Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

M. Tvllii Ciceronis Orationvm Pars ...

Cicero, Marcus Tullius

Coloniae Agrippinae, 1622

urn:nbn:de:bsz:31-116541

Visual Library



I-74 n 33
42 A 1223, 1 R

74 N 33
R

Anno et urbe condita Romana, hac oratio
dicta est. Consulibus Tullio Decola et Gn.
Cornelio Dolabello. Aetate Ciceronis 26. dixit.
dicta prequinctis C. [illegible] sext. Nonis.

Judex iuratus. Caius Aquilius.
Pub. Quintilius. Marc. Marcell.
Lucium Lucullum. socii
Cicero pro. C. Hortensio.

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

Realsign. Pc 361

M.
CIC
ORA
ET AL
Scot S
& lib
COLON
In Officina
bus H
ANNO

M. TVLLII

CICERONIS ORATIONVM

Pars I.

ET ALEXANDRI

Scot Scoti studio dissecta.

Ex libris Henrici

COLONIÆ AGRIPPINÆ,
In Officina Birckmannica sumptibus Hermanni Mylij.
ANNO M. DC. XXII.

Habet tom: orationes
in quintum volumen observavit
actor Nemus urus patronus Horten:
Rom. Quintius, patro. cicero
Judex Aquatius, assessor lector Lucull:
M: Marcellus anno Cicero 26. vetus
672: agens habet Cyprium, mercatorem, constitutione causae, confirmatione:
a 2 causis exordi: a gratia Neruii
et Eloquentia Horten:
capitat Cerceno.

1942 Pd 157

42 A 1223,1

[Teils.]

Landesbibliothek Karlsruhe

Z 8

M. TVLLII CICERONIS Orationum, Quæ primo volumine continentur,

INDEX

PRo P. Quinctio,	Oratio prima.
Pro Sex. Roscio Amerino,	Oratio II.
Pro Q. Roscio Comœdo,	Oratio III.
Diuinatio in C. Verrem,	Oratio IV.
In C. Verrem, Liber II.	Oratio V.
In C. Verrem, Liber III.	Oratio VI.
In C. Verrem, Liber IV.	Oratio VII.
In C. Verrem, Liber V.	Oratio VIII.
In C. Verrem, Liber VI.	Oratio IX.
In C. Verrem, Liber VII.	Oratio X.
Pro M. Fonteio,	Oratio XI.
Pro A Cæcina,	Oratio XII.

M. TVLLII CICERONIS PRO P. QVINCTIO, ORATIO I.

QVAE res in ciuitate duæ plurimum possunt ea contra nos amba faciunt in hoc tempore, summa gratia, & eloquentia: quarum alteram, C. Aquili, vereor, alteram metuo. eloquentia Q. Hortensij ne me dicendo impediat, nonnihil commoueor: gratia Sex. Neuij, ne P. Quinctio noceat, id verò non mediocriter pertimesco. neq; hoc tantopere querendum videretur, hæc summa in illo esse, si in nobis essent saltem mediocria. verùm ita se res habet, vt ego, qui neque vsu satis, & ingenio parum possum, cum patrono disertissimo comparer: P. Quinctius, cui tenues opes, nullæ facultates, exiguæ amicorum copiæ sunt, cum aduersario gratiosissimo contendat.* Illud quoq; nobis accedit incommodum, quòd M. Iunius, qui hanc causſam, Aquili, aliquoties apud te egit, homo & in alijs causis exercitatus, & in hac multum & sæpe versatus, hoc tempore abest, noua legatione impeditus: & ad me ventum est, qui vt summa haberem cetera, temporis quidem certè vix satis habui, vt rem tantam, tot controuersijs implicatam, possem cognoscere.* ita, quod mihi consueuit in ceteris causis esse adiumento, id quoque in hac causſa deficit: nam quò minus ingenio possum, subsidio mihi diligentiam comparaui: quæ quanta sit, nisi tempus, & spatium

spatium datum sit, intelligi non potest. Quæ quò plura sunt C. Aquili, eò te, & hos, qui tibi in consilio adsunt, meliori mente nostra verba audire oportebit: vt multis incommodis veritas debilitata, tandem æquitate talium virorũ recreetur. * quòd si tu iudex nullo præsidio fuisse videbere contra vim, & gratiam, solitudini, atque inopiæ: si apud hoc consilium ex opibus, non ex veritate caussa pendetur: profectò nihil etiam sanctum, atq; sincerum in ciuitate: nihil, quod humilitatem cuiusquam grauitas & virtus iudicis consoletur. certè aut apud te, & eos, qui tibi adsunt, veritas valebit: aut ex hoc loco repulsa vi, & gratia, locum, vbi consistat, reperire non poterit. non eò dico C. Aquili, quò mihi veniat in dubium tua fides, & constantia: aut quò non in ijs, quos tibi aduocasti, viris electissimis ciuitatis, spem summam habere P. Quinctius debeat. quid ergo est? * primum magnitudo periculi summo timore hominẽ afficit, quòd vno iudicio de fortunis omnibus decernit. idq; dum cogitat, non minus sæpe ei venit in mentem potestatis, quàm æquitatis tuæ: propterea quòd omnes, quorum in alterius manu vita posita est, sæpius illud cogitãt, quid possit is, cuius in ditione ac potestate sunt, quàm quid debeat facere. * deinde habet aduersarium P. Quinctius verbo, S. Neuium, reuera huiusce ætatis homines disertissimos, florẽtissimos, ornatissimos nostræ ciuitatis, q. cõmuni studio, summis opibus Sex. Neuiũ defendũt: si id est defẽdere, cupiditati alterius obtẽperare, quò is facilius, quẽ velit, iniquo iudicio opprimere possit. * nã quid hoc iniquius, aut indignius, C. Aquili, dici, aut cõmemorari potest, quàm me, qui caput alterius,

rius, famam, fortunasque defendam, priore loco causſam dicere: cùm præsertim Qu. Hortensius, qui hoc iudicio partes accusatoris obtinet, contra me sit dicturus, cui summam copiam facultatemq; dicendi natura largita est? ita fit, vt ego qui tela depellere, & vulneribus mederi debeam, tum id facere cogar, cùm etiam telum aduersarius nullum iecerit: illud autem id tempus impugnandi detur, cùm & vitandi illorum impetus potestas ademta nobis erit, &, si qua in re, id quod parati sunt facere falsum crimen, quasi venenatum aliquod telum, iecerint, medicinæ faciendæ locus non erit. Id accidit prætoru iniquitate, & iniuria: primùm, quòd contra omnium consuetudinem iudicium prius de probro, quam de re, maluit fieri: deinde, quòd ita constituit id ipsum iudicium, vt reus, antè quàm verbum accusatoris audisset, causam dicere cogeretur. quod eorum gratia, & potentia factum est, qui, quasi sua res, aut honos agatur, ita diligenter Sex. Neuij studio & cupiditati morem gerunt, & in eiusmodi rebus opes suas experiuntur, in quibus, quò plus propter virtutem nobilitatemq; possunt, eò minus, quantum possint, debent ostendere. Cum tot tamq; difficultatibus affectus atq; afflictus in tuam C. Aquili fidem, veritatem, misericordiã se Quinctius confugerit, cum adhuc ei propter vim aduersariorum non ius par, non agendi potestas eadem, nõ magistratus æquus reperiri potuerit: cum ei summam per iniuriã omnia inimica atq; infesta fuerint: te, C. Aquili, vosq; qui in consilio adestis, orat atque obsecrat, vt multis iniurijs iactatam atq; agitatam æquitatem, in hoc tandẽ loco consistere, & confirma-

Captatio benevolentiæ

ri

ri patiamini. *id quo facilius facere possitis, dabo
operã, vt à principio res, quẽadmodũ gesta & cõtracta
sit, cognoscatis. C. Quinctius fuit. P. Quinctij huius,
frater, sanè ceterarum rerum paterfamilias & pru-
dens, & attentus, vna in re paulò minus cõsideratus,
qui societatem cum Sex. Neuio fecerit, viro bono, ve-
runtamen non ita instituto, vt iura societatis, & offi-
cia certi patrisfamilias nosse posset: non quo ei deesset
ingenium: (nam neq; parum facetus scurra Sex. Ne-
uius, neq; inhumanus præco est vnquã existimatus)
quid ergo est? cùm ei natura nihil melius, quam vocẽ
dedisset pater nihil præter libertatem reliquisset: vocẽ
in quæstum contulit, libertate vsus est, quo impunius
dicax esset. *quare, quòd socium tibi eum velles adiũ- 12
gere, nihil erat, nisi vt in tua pecunia condiscceret, qui
pecuniæ fructus esset: tamen inductus consuetudine,
ac familiaritate Quinctius fecit, vt dixi, societatẽ ea-
rum rerum, quæ in Gallia comparabantur erat ei pe-
cuariæ res ampla, & rustica saluè bene culta, & fru-
ctuosa: tollitur ab atrijs Licinijs, atque à præconum
cõsessu in Galliã Neuius, & alpes vsq; trãsfertur. fit
magna mutatio loci, non ingenij: nã qui ab adolescẽ-
tulo quæstum sibi instituisset sine impendio, postea-
quam nescio quid impendit, & in commune contu-
lit, mediocri quæstu contentus esse non poterat: * nec 13
mirum, si is, qui vocẽ venalem habuerat, ea quæ voce
quæsierat, magno sibi quæstui fore putabat. itaque
hercule haud mediocriter de communi, quicquid po-
terat, ad se in priuatam domum seuocabat. qua in
re ita diligens erat, quasi ij, qui magna fide socie-
tatem gererent, arbitrio pro socio condemnari so-
lerent.

lerent. verùm his de rebus non necesse habeo dicere ea, quæ me P. Quinctius cupit commemorare. tametsi caussa postulat, tamen, quia postulat, non flagitat, prætermittam. * cùm annos iam complures societas
14 esset, & cùm sæpè suspectus Quinctio Neuius fuisset, neque ita commodè posset rationem reddere earum rerum, quas libidine, non ratione gesserat: moritur in Gallia Quinctius, cùm adesset Neuius, & moritur repentinò. hæredem testamento reliquit hunc P. Quinctium, vt, ad quē summus mœror morte sua veniebat, ad eundem summus honos quoque peruen-
15 iret. * quo mortuo, nec ita multò pòst in Galliam proficiscitur Quinctius: ibi cum isto Neuio familiariter vsus est: annum fere vna sunt, cum & de societate inter se multa communicarent, & de tota illa ratione atq; re Gallicana: neq; interea verbum vllum interposuit Neuius, aut societatem sibi quippiam debere, aut priuatim Quinctium debuisse. cùm aris alieni aliquantulum esset relictum, quibus nominibus pecuniam Romæ curari oporteret: auctionem in Gallia P. hic Quinctius Narbone se facturum esse proscribit ea-
16 rum rerum, quæ ipsius erant priuatæ. * ibi tum vir optimus Sex. Neuius hominem multis verbis deterret, ne auctionetur: eum nō ita commodè posse eo tempore, quæ proscripsisset, vendere: Romæ sibi nummorum facultatem esse, quam si saperet, communem existimaret pro fraterna illa necessitudine, & pro ipsius affinitate: nam P. Quinctij consobrinam habet in matrimonio Neuius, & ex ea liberos. quia ꝙ virum bonū facere oportebat, id loquebatur Neuius: credidit Quinctius, eum, qui orationē bonorum imitaretur,

facta

facta quoq; imitaturum. auctionem velle facere desistit: Romam proficiscitur: decedit ex Gallia Romam simul Neuius. *cùm pecuniam C. Quinctius P. Scapulæ debuisset, per te, C. Aquili, decidit P. Quinctius, quod liberis eius dissolueret. hoc eò per te agebatur, quod propter æratiam rationem non satis erat in tabulis inspexisse, quantum deberetur, nisi à quæstoribus quæsisset quantum solueretur. decidit, statuitq; tu propter necessitudinem, quæ tibi cum Scapulis est, quid ijs ad denarium solueretur. *hæc omnia Quinctius agebat auctore, & consuasore Neuio: nec mirũ, si eius vtebatur consilio, cuius auxilium sibi paratum putabat, non modo ensim pollicitus erat in Gallia, sed Romæ quotidie, simulatq; sibi hic innuisset, numeraturum se dicebat. Quinctius porro istum posse facere videbat: debere intelligebat: mẽtiri, quia caussa, cur mentiretur, non erat, non putabat: quasi domi nummos haberet, ita constituit Scapulis se daturũ. Neuium certiorem facit: rogat, vt curet, quod dixisset. *tum iste vir optimus (vertor, ne se deriderí putet, quod iterum iam dico optimus) qui hanc in summas angustias adductum putaret, vt eum suis conditionibus in ipso articulo temporis astringeret, abesse se negat daturum, nisi prius de rebus rationibusq; societatis omnibus decidisset, & scisset, sibi cũ Quinctio controuersiæ nihil futurum posterius, inquit, ista videbimus, Quinctius: nũc hoc velim cures (si tibi videtur) q̃ dixisti. negat, se alia ratione facturũ: quod promisisset, nõ plus sua referre, quàm si, cùm auctione venderet, domini iussu quippiã promisisset. *destitutione illa perculsus Quinctius, à Scapulis paucos dies

17

18

19

20

aufert,

auſert, in Galliam mittit, vt ea, quæ proſcripſerat, ve-
nirent. deteriore tempore abſens auctionatur: Scapu-
la difficiliore conditione diſſoluit. tunc appellat vltrò
Neuiũ, vt quoniam ſuſpicaretur aliqua de re fore cõ-
trouerſiam, videret, vt quam primùm, & quam mi-
21 nima cum moleſtia tota res tranſigeretur * dat iſte a-
micum M. Trebellium: nos communem neceſſarium,
qui iſtius domi erat educatus, & quo vtebatur iſte
plurimum, propinquum noſtrum Sex. Alphenũ. res
conuenire nullo modo poterat: propterea quòd hic me-
diocrem iacturam facere cupiebat: iſte mediocri pre-
22 da contentus non erat. * itaque ex eo tempore res eſſe
in vadimonium cœpit, cùm vadimonia ſæpè dilata
eſſent, & cùm aliquantum temporis in ea re eſſet
conſumtum, neque quicquam profectum eſſet: venit
ad vadimonium Neuius. Obſecro C. Aquili, vos, qui
adeſtis in conſilio, vt diligenter attendatis, vt ſingu-
lare genus fraudis, & nouam rationem inſidiarum
cognoſcere poſſitis. * ait ſe auctionatum eſſe in Gallia:
23 quod ſibi videretur, ſe vendidiſſe: curaſſe, ne quid ſibi
ſocietas deberet: ſe iam neque vadari amplius, neque
vadimonium promittere: ſi quid agere ſecum velit
Quinctius, nõ recuſare. hic, cùm rem Gallicanam cu-
peret requirere, hominem in præſentia non vadatur.
ita ſine vadimonio diſcedit. deinde Romæ dies XXX
ferè Quinctius commoratur: cum ceteris, quæ habe-
bat, vadimonia differt, vt expeditus in Galliã pro-
ficiſci poſſet. proficiſcitur: * Roma egreditur ante diem
24 11. Kalẽd. Februarij, Scipione & Norbanio coſſ. Quæ-
ſo, vt eum diem memoriæ mandetis. L. Albus Sex. fi-
lius, Quirina, vir bonus, & cùm primis honeſtus vna

profe-

profectus est, cùm venissent ad Vada Volaterrana, quæ nominantur, vident per familiarem Neuij, qui ex Gallia pueros venales isti adducebat, L. Publicium qui vt Romam venit, narrat Neuio, quo in loco viderit Quinctium. quod nisi ex Publicio narratum Neuio esset, non tam citò res in contentionem venisset* tum Neuius pueros circum amicos dimittit: ipse suos necessarios ab atrijs Licinys, & a faucibus macelli convocat, vt ad tabulam Sestiam sibi adsint hora secunda postridie. veniunt frequentes: testificatur iste P. Quinctium non stetisse, & se stitisse. tabulæ maximæ signis hominum nobilium consignantur, disceditur, postulat à Burriено prætore Neuius, vt ex edicto bona possidere liceat. iussit bona proscribi eius, quicũ familiaritas fuerat, societas erat, affinitas liberisistius viuis diuelli nullo modo poterat. *qua ex re intelligi facilè potuit, nullũ esse officium tã sanctũ, atq; solenne, quod non auaritia cõminuere, atq; violare soleat. etenim si veritate amicitia, fide societas, pietate propinquitas colitur, necesse est, iste, qui amicum, socium, affinem fama ac fortunis spoliare conatus est, vanũ se, & perfidiosum, & impium esse fateatur* libellos Sex. Alphenus procurator P. Quinctij, familiaris & propinquus Sex. Neuij, deijcit: seruulum vnum, quem iste prehenderat, adducit: denunciat, se procuratorem esse, istum, æquum esse famæ fortunisq; P. Quinctij consulere, & aduentum eius exspectare: quod si facere nolit, atque imbiberit, eiusmodi rationibus illum ad suas conditiones perducere, sese nihil precari, &, si quid agere velit, iudico defendere.* Hæc dũ Ro-

28

ma

ma geruiu*, Quinctius interea, cõtra ius & cõsuetudinẽ, edicto prætoris, de saltu, agroq; cõmuni à seruis cõmunib. vi detruditur. Existima, C. Aquili, id, modo & ratione Roma Neuiũ fieri posse. si hoc, q per literas istius in Gallia gestum est, recte, atque ordine factum videtur. expulsus, atque eiectus è prædio Quinctius, accepta insigni iniuria, confugit ad C. Flaccum imperatorem, qui tum erat in prouincia: quem, vt ipsius dignitas poscit, honoru gratia nomino. ũ eam rem quam vehementer vindicandam putauerit, ex decretis eius poteritis cognoscere. * Alphenus interea Romæ cum isto gladiatore vetulo quotidie pugnabat: vtebatur populo sane suo, propterea, quòd iste caput petere non desinebat. iste postulabat, vt procurator iudicatum solui satisdaret: negat Alphenus, æquum esse procuratorem satisdare, quod reus satisdare nõ deberet, si ipse adesset. appellantur Tribuni: à quibus cũ esset certum auxilium petitum, ita tamen disceditur, vt idibus Sept. P. Quinctium sisti Sex. Alphenus promitteret. venit Romã Quinctius ad vadimonium: sistit se. iste homo acerrimus, bonorũ possessor, expulsor, eriptor, annũ & sex menses nihil petit: quiescit, conditionibus hunc quoad potest, producit: à Cn. Dolabella denique prætore postulat, vt sibi Quinctius iudicatũ solui satisdet, ex formula quòd ab eo petat, cuius ex edicto prætoris Romam bona dies XXX. possessa sint. Nõ recusabat Quinctius, quin ita satisdare iuberet, si bona possessa essent ex edicto, decernit: quàm æquũ, nihil dico. vnum hoc dico, nouũ: & hoc ipsũ tacuisse mallem, quoniam vtrumque quiuis intelligere potuisset: iubet P. Quinctium aut satisdare, aut sponsionẽ

cum

cum Sex. Nevio facere, ni bona sua ex edicto P. Burrieni prætoris dies XXX. possessa essent. recusabat, qui aderant tum Quinctio: demonstrabant, de re iudicii fieri oportere: vt aut uterq; inter se, aut neuter satisdaret: non necesse esse famam alterius in iudicium venire *clamabat porrò ipse Quinctius, sese idcirco nolle satisdare, ne videretur iudicasse, bona sua ex edicto possessa esse: sponsionem porrò si istiusmodi faceret, se, id quod nunc euenit, de capite suo priore loco causam esse dicturum. Dolabella (quemadmodum solent homines nobiles: seu recte seu perperam facere cœperūt, ita in vtroq; excellunt, vt nemo nostro loco natus assequi possit) iniuriam facere fortissimè perseuerat: perseuerat: aut satisdare, aut sponsionem iubet facere, & interea recusantes nostros aduocatos acerrimè submouit. *cōturbat sanè discedit Quinctius: neq; mirum, cui hæc optio tam misera, tamq; iniqua daretur, vt aut ipse se capitis damnaret, si satis dedisset; aut causam capitis, si sponsionem fecisset, priore loco diceret, cùm in altera re causæ nihil esset, quin secus iudicaret ipse de se, quod iudicium grauissimum est: in altera spes esset ad talem tamen virum iudicem, veniendi, vnde eò plus opis afferret, quò minus attulisset gratiæ. spōsionem facere maluit: fecit: te iudicem, C. Aquili, sumpsit, ex sponso egit. in hoc summa iudicij, caussaq; tota consistit. Iudicium esse, C. Aquili, non de re pecuniaria, sed de fama fortunisq; P. Quinctij vides. *cum maiores ita constituerint, vt qui pro capite diceret, is posteriore loco diceret: nos, inaudita criminatione accusatorum, priore loco causam dicere intelligis: eos porrò, qui de fœdere consuerūt, vides accusare,

31 opponebat

32

dilemma

commissum

proponit

articulo

38

cusare, & ea ingenia conuerti ad perniciem, quæ antea versabantur in salute atq; auxilio ferendo. Illud etiam restiterat, quod hesterno die fecerũt, vt te in ius adducerent, vt nobis tempus, quàm diu diceremus, præstitueres: quamprem facilè à Prætore impetrassent, nisi tu, quod esset tuum ius, & officium, partesq; docuisses. *neq; nobis adhuc præter te quisquam fuit, 34
vbi nostrum ius contra illos obtineremus: neq; illis vnquã satis fuit illud obtinere, quod probari omnibus posset: ita sine iniuria potetiam leuem, atque inopem esse arbitrantur. verùm quoniam tibi instat Hortensius, vt eas in consilium, à me postulat, ne dicendo tempus absumam: queritur, priore patrono caussam defendente, nunquam perorari potuisse: non patiar istam manere suspicionem, nos rem iudicari nolle: nec illud mihi arrogabo, me posse caussam commodius demonstrare, quàm antea demonstrata sit: neque tamen tam multa verba faciam: propterea quòd & ab illo, qui antè dixit, informata iam caussa est: & à me, qui neque excogitare, neque pronunciare multa possum, breuitas postulatur, quæ mihi metipsi amiciss.ma est. *faciam, quod te sæpè animaduerti facere Hortensi: totam caussæ meæ dictionem certas in partes diuidam, tu id semper facis, quia semper potes: ego in hac caussa faciam, propterea quòd in hac videor posse facere. quod tibi natura dat vt semper possis, id mihi caussa dat, vt hodie possim, certos mihi fines, terminosq; constituam, extra quos egredi non possim, si maximè velim, vt & mihi sit propositum de quo dicam: & Hortensius habeat exposita ad quæ respondeat: & tu C. Aquili iam ante animo prospice- 35

re

re posſit, quibus de rebus auditurus sis. * Negamus, te bona P. Quinctij Sexte Neui possedisse ex edicto Prætoris in eo sponsio facta est. ostendam, primũ, causſam non fuisse, cur à Prætore postulares, vt bona P. Quinctij posſideres: deinde, ex edicto te posſidere nõ potuisse: postremò, non posſedisse. Quæso C. Aquili, vosque qui estis in consilio, vt, quid pollicitus sim, diligenter memoriæ mandetis: etenim rem facilius tam accipietis, si hæc memineritis: & me facilè vestra existimatione reuocabitis, si extra hos cancellos egredi conabor, quos mihi ipse circũdedi. Nego fuisse causſam, cur posſularet: nego ex edicto posſidere potuisse: nego posſedisse. hæc tria cum docuero, perorabo. * Non fuit causſa, cur postularet. qui hoc intelligi potest? quia Sex. Neuio neque ex societatis ratione, neque priuatum quicquam debuit Quinctius. quis huic rei testis est? idem, qui aterrimus aduersarius. in hac re te, te inquã testem Neui citabo. annum, & eo diutius post mortem C. Quinctij fuit in Gallia tecum simul Quinctius. doce, te peruisse ab eo istam nescio quã innumerabilem pecuniam. doce, aliquando mentionem fecisse, dixisse, deberi: debuisse concedam. * mori tur C. Quinctius, qui tibi, vt ais, certis nominibus grandem pecuniam debuit? hæres eius P. Quinctius in Galliam ad te ipsum venit, in agrum communẽ, eò denique, vbi non modò reserat, sed ratio quoq; omnis, & omnes literæ. quis tam dissolutus in re familiari fuisset, quis tam negligens, quis tam tui, Sexte dissimilis, qui cum res ab eo, quicum contraxisset, recepisset, ad hæredem peruenisset, non hæredem, cùm primum vidisset, certiorem faceret? appellaret? ratio-

nem af-

nem afferret? si quid in controuersiam veniret, aut intra parietes, aut summo iure experiretur? quid ne est? quod viri optimi faciunt, & si qui suos propinquos, ac necessarios charos, honestos esse, atque haberi volunt, id Sextus Nevius non faceret? qui vsque eò feruet, ferturq; auaritia, vt de suis commodis nolit aliquam partem amittere, ne quam partem huic propinquo suo vltius ornamenti relinquat: * & is pecuniam, si quæ deberetur non peteret, qui quia quod debitum nunquam est, id datum non est, non pecuniam modò, verum etiam hominis propinqui sanguinem, vitamq; eripere conatur? huic tu molestus esse videlicet noluisti, quem nunc respirare liberè non sinis. quē nunc interficere nefarie cupis, eum tum pudenter appellare nolebas? ita credo, hominem propinquum, tui obseruantem, virum bonum, pudentem, maiorē natu, nolebas, aut non audebas appellare. sæpè, vt fit, cū ipse te confirmasses, cum statuisses de pecunia mentionem facere, cum paratus, meditatus q; venisses, homo timidus, virginali verecundia, subitò ipse te retinebas: excidebat repentè oratio: cum cuperes appellare, non audebas, ne inuitus audiret. id erat profectò. * credamus hoc, Sex. Nevium, cuius caput oppugnet, eius auribus peperciss. si debuisset, Sexte, petisses statim: si non statim paulò quidem post: si non paulò, at aliquando: sex quidem illis mensibus profecto, anno verterente sine controuersia. anno & sex mensibus verò, cum tibi quotidie potestas hominis fuisset admonendi, verbum nullum facis. biennio iam confecto fere, appellas. qui tam perditus ac profusus nepos, non iam, sed abundanti pecunia, sic dissolutus fuisset,

set, vt fuit Sex. Neuius? cum hominem nomino, satis
mihi videor dicere. * debuit tibi C. Quinctius, nun- 41
quam petisti. mortuus est ille: res ad haeredem venit.
cum eum quotidie videres, post biennium denig; ap-
pellas. dubitabitur, vtrum sit probabilius, Sex. Neuiũ
statim, si quid deberetur, petiturum fuisse, an ne ap-
pellaturum quidem biennio? appellandi tempus non
erat? at tecum anno plus vixit. in Gallia agi non po-
tuit? at & in prouincia ius dicebatur. & Roma iudi-
cia fiebant. restat, vt aut summa negligentia tibi ob-
stiterit, aut vnica liberalitas. si negligentiam dices,
mirabimur: si bonitatem, ridebimus: neque praeterea
quid possu dicere, inuenio. Satis est argumenti, nihil
esse debitum Neuio, quod tã diu nihil petiuit. * quid, 42
si hoc ipsum, quod nunc facit, ostendo testimonio esse,
nihil deberi? quid enim iam nunc agit Sex. Neuius?
qua de re controuersia est? quod est hoc iudicium, in
quo iam biennium versamur? quid negotij geritur,
in quo ille tot & tales viros defatigat? pecuniam pe-
tit: nũc denig;? verum tamen petit: audiamus. * de ra- 43
tionibus & controuersiis societatis vult dijudicari.
serò: verùm aliquando tamen concedamus. Non, in-
quit, id ago C. Aquili, neque in eo nunc laboro. pecu-
nia mea tot annos vtitur P. Quinctius. vtatur sane.
non peto. quid igitur pugnas? an, qu; sepe multis ni
cis dixisti, ne in ciuitate sit? ne locũ suum, quẽ adhuc
honestissimè defẽdit, obtineat? ne numeretur inter vi-
ros? decernat de vita, & ornamẽtis suis omnibus? a-
pud iudicẽ caussã priore loco dicat? &, eã cùm pero-
rarit, tũ denig; vocẽ accusatoris audiat? quid? hoc quò
pertinet? vt ocyus ad tuũ perueniat? at, si id vellet, iam

44 pridem actũ esse potest? vt honestiore iudicio cõfi-
ctere? at fine summo scelere P. Quinctium, propinquũ
tuum, iugulare non potes vt facilius iudiciũ fit? at ne-
que C. Aquilius de capite alterius libenter iudicat: &
Q. Hortensius contra caput nõ didicit dicere. Quid à
nobis autẽ C. Aquili refertur? pecuniam petis: nega-
mus deberi. iudiciũ fiat statim: nõ recusamus. nũ quid
praterea? si veretur, vt res, iudicio facto, parata sit,
iudicatũ solui satis accipiat. quibus à me verbis satis
accipiet, ijsdẽ ipse, quod peto, satisdet. Actũ iã potest
esse C. Aquilii: iã tu potes discedere liberatus mo-
45 propè dicã nõ minore quàm Quinctius. quid agimus
Hortensi? quid de hac cõditione dicimus? possumus a-
liquando, depositis armis, sine periculo fortunarũ, de
re pecuniaria disceptare? possumus ista rẽ nostrã per-
sequi, vt hominis propinqui caput incolume esse patia-
mur? possumus petitoru personam capere, accusatoris
deponere? immò, inquit, abs te satis accipiam. ego au-
tem tibi nõ satisdabo. Quis tandem nobis ista iura iã
aqua describit? quis hoc statuit, qd aquũ sit in Quin-
ctium, id iniquum esse in Neuium? Quinctij bona,
inquit, ex edicto Pratoris possessa sunt. ergo id vi cõsi-
tear, postulas: vt, quod nunquam factũ esse iudicio de-
fendimus, id perinde quasi factũ sit, nostro iudicio cõ-
46 firmemus. Inueniri ratio C. Aquili non potest. vt ad
suum quisq; quamprimum sine cuiusquã dedecore,
infamia, perniciẽq; perueniat? profectò si quid de-
beretur, peteret: non omnia iudicia fieri mallet,
quàm vnum illud, vnde hæc omnia nascuntur. qui
inter tot annos ne appellarit quidẽ Quinctius, cũ po-
testas esset agendi quotidie: qui, quo tẽpore malẽt

gere

gere cœpit, in vadimonijs differendis tempus omne consumserit: qui postea quàm vadimonium missum fecerit, hunc per insidias vi de agro cõmuni detecerit: qui cum de re agendi, nullo recusante, potestas fuisset, sponsionem de probo facere maluerit: qui, cùm reuocetur ad id iudicium vnde hæc nata sunt omnia, cõditionem æquissimam repudiet: fateatur, se non pecuniam, sed vitam & sanguinem petere. is non palàm dicit? mihi si quid deberetur, peterem, atq; adeò iam pridem abstulissem* nihil hoc tanto negocio, nihil tam inuidioso iudicio, nihil tam copiosa aduocatione vterer, si petendum esset: extorquendum est inuito, atq; ingratis, quod non debet, eripiendum, atque exprimendum est: de fortunis omnibus P. Quinctius dimicandum est: potentes, diserti, nobiles omnes aduocandi sunt: adhibenda vis est veritati: minæ iactentur: pericula intendantur: formidines opponantur, vt his rebus aliquando victus, & perterritus ipse cedat: quæ me hercule omnia, cum, qui contrà pugnent, video, & cũ illũ consessum considero, adesse, atque impendere videtur, neq; vitari vllo modo posse. cũ autem ad te, C. Aquili, oculos, animumq; retuli, quo maiore conatu studioq; aguntur, eo leuiora, infirmioraq; existimo.* Nihil igitur debuit, vt tu ipse prædias. Quid si debuisset? continuone causa fuisset, cur à prætore postulares, vt bona possideret? non opinor id quidem ius esse, neque cuiquam expedire. Quid igitur demonstrat? vadimonium sibi ait esse desertum. antequã doceo id factum non esse, libet mihi C. Aquili ex officij ratione, atque ex omnium consuetudine rẽ ipsam, & factum simul Sex. Neuij cõsiderare. Ad vadimo-

dimonium non venerat, vt aiũ, is, quicum tibi affinitas, societas, omnes denique causſæ, & neceſſ. tudines veteres intercedebãt: illicó ne ad prætorẽ ire conuenit? continuóne verum fuit poſtulare, vt ex edicto bona poſſidere liceret? ad hæc extrema, & inimiciſſima iura tam cupidè decurrebas, vt tibi nihil in poſſerum, quod grauius, atque crudelius facere poſſes, 49 reſeruares? *nam quid homini turpius, quid viro miſerius, aut acerbius vſuuenire? quod tantum euenire dedecus? quæ tãta calamitas inueniri poteſt? pecuniam ſi cuiquam fortuna ademit, aut ſi alicuius eripuit iniuria, tamen, dum exiſtimatio eſt integra facile cõſolatur honeſtas egeſtatem. \at non nemo aut ignominia affectus, aut iudicio turpi cõuictus, bonis quidem ſuis vtitur, alterius opes, id quod miſerrimũ eſt, non exſpectat: hoc tamen in miſeriis adiumento, & ſolatio ſubleuatur: cuius verò bona venierunt, cuius non modo illa amplißimæ fortunæ, ſed etiam victus, veſtitus q, neceßarius ſub præcone cum dedecore ſubiectus eſt: is non modo ex numero viuorum exturbatur, ſed ſi fieri poteſt, infra etiam mortuos amandatur: etenim mors honeſta ſæpe vitam quoque turpem exornat: vita turpis ne morti quidem honeſtæ lo- 50 cũ relinquit. *ergo hercule cuius bona ex edicto poſſidentur, huius omnis fama, & exiſtimatio cum bonis ſimul poſſidetur: de quo libelli in celeberrimis locis proponuntur, huic ne perire quidem certè, tacitè, obſcureq; conceditur. cui magiſtri fiunt, domini conſtituuntur, qui qualis, & qua cõditione pereat, pronũcient: de quo homine præconis vox prædicat, & pretiũ cõficit, huic acerbiſſimũ vinũ, videmiq; funus

denuntur:

ducitur: si funus id habendum sit, quò non amici conueniunt ad exequias cohonestandas, sed bonorũ emptores, vt carnifices, ad reliquias vitæ lacerãdas & distrahendas.* itaque maiores nostri raro id accidere 51
voluerunt, prætores, vt considerate fieret, comparauerunt. viri boni, cum palàm fraudantur, cum experiundi potestas non est, timidè tamen & pedetentim istuc descendunt, vi ac necessitate coacti, inuiti, multis vadimonijs desertis, sæpe illusi, ac destituti: considerant enim, quid & quãtum sit, alterius bona proscribere. iugulare ciuem, ne iure quidem quisquã bona proscribere. iugulare ciuem ne iure quidem quisquã bonus vult: mauult enim commemorare, se, cum posset perdere, pepercisse, quàm, cum parcere potuerit, perdidisse. hæc in homines nulla secum cognatione aut affinitate coniunctos, alienissimos, denique inimicissimos, viri boni faciunt, & hominum existimationis, & communis humanitatis caussa, vt, cum ipsi nihil alteri scientes incommodarint, nihil ipsis iure incommodi cadere possit.* ad vadimonium non 52
non venit: quis? propinquus. si res ista grauissima sua sponte videretur, tamen eius atrocitas necessitudinis nomine leuaretur. ad vadimonium non venit: quis? socius. etiam grauius aliquid ei deberes concedere, qui cum te aut voluntas congregasset, aut fortuna coniunxisset. ad vadimonium non venit: quis? is, non, qui tibi præsto semper fuit. ergo in eum, qui semel hoc cõmisit, vt tibi præsto non esset, omnia tela cõiecisti, quæ parata sunt in eos, qui permulta malè agendi caussa 53
fraudãdique fecerunt?* si dupondius vnus agitetur, Sex.
Neui, si in paruula re captionis aliquid vereare, non

statim ad C. Aquiliũ, aut ad eorũ aliquẽ, quì consulumtur, concurrisses? cùm ius amicitiæ, societatis, affinitatis ageretur: cũ officij rationem atq; existimationis duci conueniret, eo tempore tu non modò C. Aquilium, aut L. Lucullum, sed ne ipse quidẽ te cõsuluisti, sed ne ipse quidem ad te retulisti: ne hæc quidem tecũ locutus es: horæ duæ fuerunt: Quinctius ad vadimoniũ nõ venit. Quid ago? si me hercule hæc tecum duo verba fecisses, quid ago? respiraſſet cupiditas, atq; auaritia paululum: aliquid loci rationi & consilio dedisses: tu te collegisses: nõ in eam turpitudinem venisses, vt hoc tibi esset apud tales viros confitendum, qua tibi vadimonium non sit obitum, eadem te hora consilium cepisse, hominis propinqui fortunas funditus euertere. * ego pro te nũc hos consulo post tempus in alienare, quos tu in tua re, cùm tempus erat, consulere oblitus es. quæro abs te C. Aquili, L. Luculle, P. Quinctì, M. Marcelle, vadimonium mihi non obijt quidã socius & affinis meus, quicum mihi necessitudo vetus, controuersia de re pecuniaria recens intercedit. postulóne à Prætore, vt eius bona mihi possidere liceat? an cùm Romæ domus eius, vxor, liberi sint, domũ potius denunciem? quid est, quod hac tandem de re vobis possit videri? profectò, si rectè vestram bonitatẽ, atque prudentiam cognoui, non multum me fallit, si consulamini, quid situs responsuri, primùm expectare: deinde, si latitare, ac diutius ludificare videatur, amicos conuenire: quærere, quis procurator sit: domũ denunciare, dici vix potest, quàm multa sint, quæ respondeatis antè fieri oportere, quàm ad hanc rationẽ extremã ac necessariam deuenire. * quid ad hæc Neuius?

uius? videt scil. nostram amentiam, qui in vita sua rationem summi officij desideremus. & instituta bonorum virorum requiramus. quid mihi, inquit, cum ista summa sanctimonia, ac diligentia? viderint ista officia viri boni: de me autē ita considerent, non quid habeam, sed quibus rebus inuenerim, quærāt, & quēadmodum natus & quo pacto educatus sim, memini. vetus est de scurra, multo facilius diuitem, quam patrem familiās fieri posse. * hæc ille si verbis non audet, re quidem vera palàm loquitur. etenim si vnis virorum bonorum instituto viuere, multa oportet, discat, atq; dediscat: quorum illi ætati vtrunq; difficile est. Non dubitaui, inquit, cùm vadimonium desertum esset, bona proscribere. improbe: verùm, quoniam tu id tibi arrogas & concedi postulas, concedamus: quid, si nunquam deseruit? si ista caussa abs te totaper sūmam fraudem, & malitiam ficta est? si vadimonium omnino tibi cum P. Quinctio nullum fuit, quo te nomine appellemus? improbum? at etiamsi desertum vadimonium esset, tamen in ista postulatione, & proscriptione bonorum improbissimus reperiebare. malitiosum? non negas. fraudulentum? iam id quidem arrogas tibi, & præclarum putas. audacem? cupidum? perfidiosum? vulgaria, & obsoleta sunt, res autem noua, & inaudita. * quid ergo est? vereor me herculē, ne aut grauioribus vtar verbu, quàm natura fert, aut leuioribus, quàm caussa postulat. Au esse vadimonium desertum. quæsiuit à te statim, vt Romam rediit, Quinctius, quo die vadimonium istuc factum esse diceres. respondisti statim, nonis Februarij. discedens in memoriam rediit, Quinctius, quo 57

die Roma in Galliam profectus sit: ad Ephemeridem
reuertitur: inuenitur dies profectionis, pridie Kalēd.
Februarij. nonis Februar. si Romæ fuit, caussæ nihil
58 dicimus, quin tibi vadimonium promiserit. *quid?
hoc inueniri quit potest? profectus est vnà L. Albius,
homo inprimis honestus. dicet testimonium. prosecuti
sunt familiares & Albij, & Quinctij. dicent hi quo-
que testimonium. literæ P. Quinctij, testes tot, qui-
bus omnibus caussa iustissima est cur scire potuerint,
nulla cur mentiatur, cum adstipulatore tuo compa-
59 rabuntur.* & in hac eiusmodi caussa P. Quinctius
laborabit? & diutius in tanto metu miser periculo
versabitur? & vehementius eũ gratia aduersarij per-
terrebit, quam fides iudicij consolabitur? vixit enim
semper inculte, atque horride: natura tristi, ac recõ-
dita fuit: non ad solarium, non in campo, non in conui-
uijs versatus est: id est, vt amicos obseruantia, rẽ
parsimonia retineret: antiquam officij rationem di-
lexit, cuius splendor omnis his moribus obsoleuit. at
si in caussa pari discedere inferior videretur, tamen
esset non mediocriter conquerendum. nunc in caussa
superiore, ne par quidem sit, postulat: inferiorem se
esse patitur, duntaxat vsque eo, ne cum bonis, fama,
fortunisq; omnibus Sex. Neuij cupiditati crudelita-
tiq; dedecat. *
60 Docui, quod primum pollicitus sum,
C. Aquili, caussam omnino, cur postularet, non fuisse:
quod neque pecunia deberetur, & si maximè debere-
tur, commissum nihil esset, quare ad istam rationem
perueniretur. Attende nunc, ex edicto prætoris, bona
P. Quinctij possideri nullo modo potuisse. recita edi-
ctum: QVI FRAVDATIONIS CAVSSA

LATI-

LATITARIT. non est is Quinctius: nisi si latitant, qui ad negocium suum, relicto procuratore, proficiscuntur. QVI HERES NON EXTABIT. ne eis quidem. QVI EXVLII CAVSSA SOLVM VERTERIT. Hoc à Neuio non objicitur, quod videt esse falsum. QVI ABSENS IVDICIO DEFENSVS NON FVERIT. quo tempore existimas oportuisse Neui absentem Quinctium defendi? aut quo modo? tum, cum postulabas, vt bona possideres? nemo affuit: neque enim quisquam diuinare poterat te postulaturum: neque quenquam attinebat id recusare, quod prætor ex edicto suo non fieri iubebat. * qui locus igitur absentis 61
defendendi procuratoris primus datus est? cum proscribebas. ergo affuit, nõ passus est, libellos deiecit Sex. Alphenus: qui primus erat officij gradus, seruatus est à procuratore summa cum diligentia. Videamus, quæ deinde sint consecuta. Hominem P. Quinctij deprehendis in publico, conaris abducere. non patitur Alphenus, vt tibi ademit, curat vt domum reducatur ad Quinctium. hic quoq; summè constat procuratoris diligentis officium debere tibi dici Quinctium: procurator negat. vadari vis: promittit: in ius vocas: sequitur. iudicium postulas: non recusat. quid aliud sit absentem defendi, ego non intelligo. * at quis erat 62
procurator? credo aliquem eiectum hominem, egentem, litigiosum, improbum, qui posset scurræ diuitis quotidianum cõuicium sustinere: nihil minus. eques Rom. locuples, sui negocij bene gerẽs, deniq; is, quem, quoties Neuius in Galliam profectus est, procuratorem Romæ reliquit. & audes, Sex. Neui, negare absentem

sentem defensum esse Quinctium, cùm eum defende-
rit, idem, qui te solebat? & cùm is iudicium acceperit
pro Quinctio, cui tu & rem & famã tuã cõmenda-
re proficiscens & cõcedere solebas, conaris hoc dicere,
neminem extitisse, qui Quinctium iudicio defende-
63 ret.* Postulabam, inquit, vt satisdaret. iniuria postu-
labas. ita iubebare. recusabat Alphenus. ita verum
Prætor decernebat. Tribuni igitur appellabantur. hic
te, inquit, teneo. non est istud iudicium patri, neq; iu-
dicio defendere, cùm auxilium à Tribunis petas. Hoc
ego, cùm attendo quæ prudentia sit Hortensius, di-
cturum esse eum non arbitror: cùm autem antea dix-
isse audio, & caussam ipsam cõsidero, quid aliud di-
cere posit, non reperio: fatcatur enim libellos Alphe-
num deieciße, vadimonium promisiße: iudiciũ quin
acciperet in ea ipsa verba, quæ Neuius edebat, nõ re-
cusasse, cum satis dare iuberetur, recusasse, ita tamẽ,
more & instituto per eum Magistratum, qui auxilij
caussa constitutus est,* aut hæc facta non sint, necesse
64 est, aut C. Aquili, talis vir iuratus hoc ius in ciuitate
constituit, cuius procurator omnia iudicia acceperit,
quæ quisque in verba postularet: cuius procurator à
Prætore Tribunos appellare ausus sit, eum non defen-
dere: eius bona rectè possideri posse: ei misero, absenti, ig-
naro omnia fortunarum suarum, omnia vitæ orna-
menta per summum dedecus, & ignominiam diripi
65 conuenire.* quod si probari nemini potest, illud
certè probari omnibus necesse est, defensum esse
iudicio absentem Quinctium. quod cùm ita est, ex
edicto bona possessa non sunt. At enim Tribuni ple-
bis ne audierũt quidẽ. fateor. si ita est, procuratorem
de-

decreto Prætoris R. oportuisse parere. quid, si M. Brutus intercessurum se dixit palàm, nisi quid inter ipsum Alphenum, & Neuium conueniret? videturne intercessisse appellatio Tribunorum non moræ, sed auxilij causſa?* quid deinde fit? Alphenus, vt omnes 66
intelligere possent iudicio defendi Quinctium, ne qua subesse posset aliena aut ipsius officio, aut huius existimatione lubricio, viros bonos complures aduocat. testatur ipso audiente, se pro communi necessitudine id primum petere, ne quid atrocius in P. Quinctium absentem sine causſa facere conetur: sin autem inimicissimè, atque infestissime contendere perseueret, se paratum esse omni recta atque honesta ratione defendere: quod petat, non deberi: se iudicium in id quod edat, accipere.* eius rei, conditionisque tabellas obsignauerunt viri comp ures. res in dubium venire non potest. fit, rebus omnibus integris, neque proscriptis, neque possessis bonis, vt Alphenus promittat Neuio sisti Quinctium. venit ad vadimonium Quinctius: tacet res in controuersijs, isto calumniante, biennium, vsque dum inueniretur, qua ratione res abusitata consuetudine recederet, & in hoc singulare iudicium causſa omnis concluderetur* quod officium, Aquili, 68
commemorari procuratoris potest, quod ab Alpheno præteritū esse videatur? quid affertur, quare P. Quinctius absens negetur esse defensus? an verò id, quod Hortensium quia nuper iniecit, & quia Neuius semper id clamitat, dicturum arbitror, non fuisse Neuio parem certationem cum Alpheno, illo tempore, illis dominantibus? quod si velim confiteri, illud opinor, concedent, non procuratorē P. Quinctij neminē fuisse, sed

se, sed gratiosum fuisse, mihi autem ad vincendum satis est, fuisse procuratorem, qui cum experiri posset. qualis is fuerit, si modò absentem defendebat per ius
69 & magistratum, nihil ad rem arbitror pertinere * erat, inquit, illarum partium. quid ni? qui apud te esset educatus, quem tu à puero sic institu:sses, vt nobili ne gladiatori quidem cederet, sicut tu semper sũ. mè concupisti. idem volebat Alphenus. ea de re tibi cum eo par contentio erat. Bruti, inquit, erat familiaris: itaque is intercedebat. tu contrà Burrieni, qui iniuriam decernebat: omnium denique illorum, qui tum & poterant per vim, & scelus plurimum, & quod poterant, id audebant. an omnes tu istos vincere volebas, qui nunc, tu vt vincas, tantopere laborant? aude id dicere, non palàm, sed his ipsis,
70 quos aduocasti. * tametsi nolo eam rem commemorando renouare, cuius omnino rei memoriam omnem tolli funditus, ac deleri arbitror oportere. vnum illud dico: si propter partium studium potens erat Alphenus, potentiß:mus Neuius. si fretus gratia postulabat aliquid iniquius Alphenus, multo iniquiora Neuius impetrabat: neque enim inter studium vestrum quicquam, vt opinor, interfuit: ingenio, vetustate, artificio tu facile vicisti. vt alia omittam, hoc satis est: Alphenus cum ijs, & propter eos perijt, quos diligebat: tu, postquam, qui tibi erant amici, non poterant vincere vt amici tibi essent, qui vincebant,
71 effecisti. * quòd si tum par tibi ius cum Alpheno fuisse non putas, quia tamen aliquem contra te aduocare poterat: quia magistratus aliquis reperiebatur, apud quem Alphenni causſa consisteret: quid hoc tempore

pore Quinctio statuendum est? cui neq; magistratus adhuc æquus inuentus est: neq; iudicium redditum est vsitatum: non conditio, non sponsio, non denig; vlla vnquam intercessit postulatio? mitto æqua, verùm ante hoc tempus ne fando quidem audita. De re pecuniaria cupio cõtendere. non licet. at ea de re controuersia est. nihil ad me attinet: causam capitis dicas oportet: accusa vbi ita necesse est. non, inquit, nisi tu ante nouo modo, priore loco dixeru: dicendum necessariò est: præstituenda hora ad arbitrium nostrum: iudex ipse arcessitur. * quid tum? tu aliquem patronum inuenies, hominem antiqui officij, qui splendorem nostrum, & gratiam negligat? pro me pugnabit L. Philippus, eloquentia grauitate, honore florentissimus ciuitatis: dicet Hortensius, excellens ingenio, nobilitate, existimatione: aderunt autem homines nobilissimi, ac potentissimi, quorum frequentiam, & consessum non modò P. Quinctius, qui de capite decernit, sed quisuis, qui extra periculum sit, perhorrescat. * hæc est iniqua certatio, qua tu huic, ne vbi consisteret quidem contra te, locum reliquisti, non illa, qua tum contra te Alphenus velitabatur. quare aut doceas oportet, Alphenum negasse se procuratorem esse, non deiecisse libellos, iudicium accipere noluisse: aut, cum hæc facta sint, ex edicto te bona P. Quinctij non possedisse, concedas. etenim si ex edicto possedisti: quæro, cur bona non venierint? cur cæteri sponsores, & creditores non conuenerint? nemóne fuit, cui deberet Quinctius? fuerunt, & complures fuerunt: propterea quòd Caius frater aliquantum aris alieni reliquerat. quid ergo est? homines erant ab hoc omnes alie-

probat non possedisse, nec 74

alienissimi, & ijs debebatur: neque tamen quisquam inuentus est tam insigniter improbus, qui violare P. Quinctij existimationem absentis auderet, * vnus fuit, affinis, socius, necessarius Sex. Neuius, qui, quasi eximio præmio sceleris exposito, cupidissimè contenderet, vt per se afflictum, atque euersum propinquum suum non modò honestè partis bonis, verùm etiam communi luce priuaret. vbi erant cæteri creditores? denique hoc tempore vbi sunt? quis est, qui fraudationis caussa latuisse dicat? quis, qui absentem defensum neget esse Quinctium? nemo inuenitur. * at contrà omnes, quibuscum ratio huic aut est, aut fuit, adsunt, defendunt: fides huius multis locis cognita, ne perfidia Sex. Neuij derogetur, laborant. in huiusmodi sponsionem testes dare oportebat, ex eo numero qui hæc dicerent, vadimonium mihi deseruit: me fraudauit: à me nominis eius, quod inficiatus esset, diem petiuit: ego experiri non potui, latitauit, procuratorem nullum reliquit. horum nihil dicitur. parantur testes, qui hæc dicant. verùm opinor viderimus, cùm dixerint. vnum tamen hoc cogitent, ita se graues esse, vt, si veritatem volent retinere, grauitatem possint obtinere: sin eam negligent, ita leues sint, vt omnes intelligant non ad obtinendum mendacium, sed ad verum probandum auctoritatem adiuuare. * ego hæc duo quæro: primùm, qua ratione Neuius susceptum negotium non transegerit, hoc est, cur bona, quæ ex edicto possidebat, non vendiderit: deinde, cur ex tot creditoribus alijs ad aliam rationem nemo accesserit: vt necessariò confiteare, neque

probat absentem defensum argumento 75 76

neque eorum tam temerarium quenquam fuisse, neque teipsum id, quod turpissimè suscepisset, perseuerare & transigere potuisse, quid, si tu ipse Sex. Neui statuisti bona P. Quinctij ex edicto possessa non esse? opinor, tuum testimonium, quod in aliena re leue esset, id in tua, quoniam contra te est, grauissimum debet esse. emisti bona Sex. Alpheni, L. Sylla dictatore vendente, socium tibi in his bonis edidisti Quinctium. plura non dico. cum eo tu voluntariam societatem coibas, qui in te hereditaria societate fraudarat? & eum iudicio tuo comprobabas, quem spoliatum fama fortunisq; omnibus arbitrabare. * Diffidebam mehercule C. Aquili, satis animo certo & confirmato, me posse in hac causa consistere: sic cogitabam, cùm contradicturus esset Hortensius, & cum attentè auditurus Philippus, fore, vt ipse multis in rebus timore prolaberer. dicebam huic Q. Roscio, cuius soror est cum P. Quinctio, cùm à me peteret, & summe contenderet, vt propinquum suum defenderem, mihi perdifficile esse contra tales oratores non modò tantam causam perorare, sed omnino verbum facere conari. cum cupidius instaret, homini pro amicitia familiarius dixi, mihi videri ore durissimo esse, qui præsente eo gestum agere conaretur: qui verò cum ipso contenderent, eos, etiamsi quid antea recti aut venusti habere visi sunt, id amittere: ne quid mihi huiusce modi accideret, cùm contra talem artificem dicturus essem, me vereri. * tum mihi Roscius & alia multa confirmandi mei causa dixit: & mehercule, si nihil diceret, tacito ipso officio & studio, quod adhibebat erga propinquum suum, quemuis com-

77

78

commouerat. etenim cùm artifex eiusmodi sit, vt solus dignus videatur esse, qui in scena spectetur: tum vir eiusmodi est, vt solus dignus videatur, qui eò non accedat. veruntamen, quid si, inquit, habes huiusmodi causam, vt hoc tibi planum sit faciendum, neminem esse, qui possit biduo, aut summum triduo, DCC. millia passuum ambulare? tamenne vereris, vt possis hæc contra Hortensium contendere? minimè, inquam: sed quid ad rem? nimirum, inquit: in eo causa
79 consistit. * quo modo? docet me eiusmodi rem, & factum simul Sex. Nevij, quod si solum proferretur, satis esse deberet: quod abs te C. Aquili, & à vobis, qui adestis in consilio, quæso, vt diligenter attendatis. profectò intelligetis, illinc ab initio cupiditatem pugnasse, & audaciam: hinc veritatem & pudorem, quoad potuerit, restitisse. Bona postulas, vt ex edicto possidere liceat: quo die? te ipsum, Nevi, volo audire: volo, inauditum facinus ipsius, qui id commisit, voce conuinci. die, Nevi diem. ante diem V.^to Calend. intercalareis. bene agis. quàm longè est hinc in saltum vestrum Gallicanum? Nevi, te rogo. DCC. millia passuum. optimè. de saltu deijcitur Quinctius: quo die? possumus hoc quoque ex te audire: quid taces? dic, inquam, diem. pudet dicere: intelligo: verum & serò, & nequicquam pudet. deijcitur de saltu C. Aquili, pridie Calend. intercalares. biduo pòst, aut, vt statim de iure aliquis cucurrerit, non toto triduo DCC. mil-
80 lia passuum conficiuntur. * ô rem incredibilem! ô cupiditatem inconsideratam! ô nuncium volucrem! administri & satellites Sex. Nevij Roma trans Alpes in Sebusianos biduo veniunt. ô hominem fortunatum,

natum, qui eiasmodi nuncios, siu potiùs Pegasos habeat. hic ego, si Crassi omnes cum Antonii existiant? si tu L. Philippe, qui inter illos florebas, hanc caussam volens cum Hortensio dicere, tamen superior sim necesse est. non enim, quemadmodum putatis, omnia sunt in eloquentia: est quadam tamen ista persuasio veritas, vt eam infirmare nulla res possit. * an, antequam postulasti vt bona possideres, misisti, qui curarent, vt dominus de suo fundo à tua familia vi dejiceretur? vtrum libet elige: alterum incredibile est, alterum nefarium: & ante hoc tempus vtrunque inauditum. DCC. millia passuum via esse decursa biduo? dic, negas? ante igitur misisti. malo: si enim illud diceres, improbè mentiri videretur: cùm hoc confiteris, id te amisisse concedis, quod ne mendacio quidem tegere possis, hoc consilium Aquilio, & talibus viris, tàm cupidum, tam audax, tam temerarium, probabitur? * quid hæc amentia? quid hæc festinatio? quid hæc immaturitas tanta significat? non vim? non scelus? non latrocinium? non denique omnia potiùs, quàm iur, quàm officium, quàm pudorem? mittis in iussu Prætoris: quo consilio? iussurum scieba's? quid? cùm iussisset, tum mittere nónne poteras? postulaturus eras: quando? post dies XXX. nempe si te nihil impediret, si voluntas eadem maneret: si valeres: denique si viueres. Prætor iussisset: opinor si vellet si valeret, si ius diceret, si nemo reclamaret, quin ex ipsius decreto & satisdaret, & iudicium acciperet. * nam per deos immortales, si Alphenus procurator P. Quinctij tibi tũ satisdare, & iudicium accipere, denique omnia, quæ postulares facere voluisset, quid ageres? renocares eum

eum, quem in Galliam miseras? at hic quidem iam de fundo expulsus, iam à suis dijs penatibus præceps eiectus, iam, quod indignissimum est, suorum seruorũ manibus, nuncio atq; imperio tuo violatus esset. corrigeres hæc scilicet tu postea. de cuiusquam vitæ dicere audes, qui hoc concedas necesse est, ita te cæcum cupiditate, & auaritia fuisse, vt, cùm postea quid futurum esset, ignorares (accidere autem multa possent) spem maleficij præsentis in incerto reliqui temporis euentu collocares? * omnia sunt C. Aquilis eiusmodi, quibus vt perspicere possit, in hac caussa improbitatem & gratiam cum inopia & veritate contendere. atq; hæc perinde loquor, quasi, si ipso illo tempore, cùm te prætor iussisset ex edicto possidere, in possessionem missses, debueris, aut potueris P. Quinctium de possessione deturbare. Prætor te quemadmodum possidere iussit? opinor, ex edicto. sponsio quæ in verba facta est? mi ex edicto prætoris bona P. Quinctij possessa non sint redeamus ad edictum. id quidem quemadmodũ iubet possidere? num quid est caussæ C. Aquili, quin, si longè aliter possedit, quàm prætor edixit, iste ex edicto nõ possederit. ego sponsione vicerim? nihil, opinor. cognoscamus edictum. QVI EX EDICTO MEO IN POSSESSIONEM VENERINT, (de te loquitur Neui quemadmodum tu putas. ais enim, te ex edicto venisse: tibi, quid faciãt, definit, te instituit, tibi præcepta dat:) EOS ITA VIDETVR IN POSSESSIONE ESSE OPORTERE. quomodo? QVOD IBIDEM RECTE CVSTODIRE POTERINT, ID IBIDEM CVSTODIANT: QVOD NON POTERVNT

RVNT, ID AVFERRE, ABDVCERE LIBEBIT. quid tum? DOMINVM, inquit, INVITVM DETRVDERE NON PLACET. eum ipsum, qui fraudandi caussa latitet: eum ipsum, quem iudicio nemo defendat: eum ipsum, qui cum omnibus creditoribus suis, malè agat, inuitum de prædio detrudi vetat. * proficiscenti tibi in possessionem Prætor ipse Sex. Neui palam dicit, ita possideto, vt tecum simul possideat Quinctius: ita possideto, vt Quinctio vis non afferatur. quid? tu id quem, admodum obseruas? mitto illud dicere, eum, qui non latitarit, cui Romæ domus, vxor, liberi, procurator esset: eum, qui tibi vadimonium non deseruisset: hæc omnia mitto: illud dico, dominum expulsum esse de prædio, domino à familia suâ manus allatas esse ante suos lares familiares. hoc dico, 85

Desunt omnia quæ ad tertium partitionis membrum pertinebant, & ex Epilogi principio pauca.

Neuium ne appellauisse quidem Quinctium, cũ simul esset, experiri posset quotidie: deinde quod omnia iudicia difficillima cum summa sua inuidia, maximoque periculo P. Quinctij fieri mallet, quàm illud pecuniarium iudicium, quod vno die transigi posset: ex quo vno hæc omnia nata, & profecta esse concedit. quo in loco conditionem tulit, si vellet pecuniam petere, P. Quinctium iudicatum solui satisdaturum, dũ ipse, si quid peteret, pari conditione vteretur. * ostendi, quã multa antè fieri contenerit, quàm hominis propinqui bona possideri postularentur, præsertim cũ Romæ domus eius, vxor, liberi essent, & procurator aquè 86

vtriusque necessarius. docui, cùm desertum esse dicat vadimonium, omnino vadimonium nullũ fuisse: quo die hũc sibi promisisse dicat, eo die ne Romæ quidẽ eũ fuisse, id testibus me pollicitus sum planum facturũ, qui & scire deberent, & causſam, cur mentirentur, non haberent. Ex edicto autem non potuisse bona possideri, demonstraui, quòd neque fraudandi causſa latitasset, neq; exilij causſa solũ vertisse diceretur. * Reliquum est, vt eum nemo iudicio defenderit: quod cõtrà copiosissimè defensum esse contendi, non ab homine alieno, neque ab aliquo calumniatore atq; improbo, sed ab equite R. propinquo, & necessario suo, quem ipse Sext. Neuius procuratorem relinquere antea consuesset: neq; eum, si Tribunos appellarit, iccirco minus iudicium pati paratum fuisse, neq; potentia procuratoris Neuio ius ereptum: contra, istum potentia sua tum tantummodo superiorem fuisse, nunc vobis vix respirandi potestatem dare * quæsiui, quæ causſa fuisset, cur bona non venissent, cum ex edicto possiderentur. deinde illud quoque requisiui, qua ratione ex tot creditoribus nemo neque tum idem fecerit, neq; nunc contradicat, omnesq; pro P. Quinctio pugnent, præsertim cùm in tali iudicio testimonia creditorũ existimentur ad rem maxime pertinere. postea sum vsus aduersarij testimonio, qui sibi eum nuper edidit socium, quem, quomodo nunc intendit, ne in viuorum quidem numero tum demonstrat fuisse. tum illam incredibilem celeritatem, seu potius audaciam protuli: confici mauis necesse esse, aut biduo DCC. millia passuum esse decursa, aut Sex. Neuium diebus compluribus antè in possessionẽ misisse, quàm postularet, vt ei is-

87

88

si liceret bona possidere * postea recitaui edictũ, quod 89
apertè dominũ de prædio detrudi vetaret: in quo constitit Neuium ex edicto non possedisse, cùm confiteretur ex prædio detrusum esse Quinctium: omnino autem bona possessa non esse constitui, quòd bonorũ possessio spectetur non in aliqua parte sed in vniuersis, quæ teneri, acpossideri possint. dixi, Romæ domum fuisse, quòd iste ne aspirarit quidem: seruos complures, ex quibus iste non possiderit neminẽ, ne attigerit quidem: vnum fuisse, quem attingere conatus sit, prohibitum fuisse, quieuisse. * in ipsa Gallia cognouistis in 90
prædia priuata Quinctij Sex. Neuium non venisse: denique ex hoc ipso saltu, quem per vim expulso socio possedit, seruos priuatos Quinctij non omnes eiectos esse. Ex quo, & ex cæteris dictis factis, cogitatuq; Sex. Neuij quiuis potest intelligere, istum nihil aliud egisse, neque nunc agere, nisi vti per vim, per iniuriam, per iniquitatem iudicij totum agrum, qui communis est, suum facere possit. * Nunc caussa perorata, res ipsa 91
& periculi magnitudo C. Aquili cogere videtur, vt te, atque eos, qui tibi in consilio assunt, obsecret, obtestetur q; P. Quinctius per senectutem, ac solitudinem suam, nihil aliud, nisi vt vestræ naturæ, bonitati q; obsequamini: vt, cùm veritas cum hoc faciat, plus huius inopiæ possit ad misericordiam, quàm illius opes ad crudelitatem. * quo die ad te iudicem venimus, eodem 92
die illorum minas, quas antè horrebamus, negligere cœpimus. si caussa cum caussa contenderet, nos nostrã perfacile cuiuis probaturos statuebamus. quòd vitæ ratio cum ratione vitæ decerneret, iccirco nobis etiam nobiscum te iudice opus esse arbitrati sumus. ea res enim

nunc in discrimine versatur, vtrúmne possit se contra
luxuriam, ac licentiam, rusticana illa atque inculta
parsimonia defendere: an deformata, atq; ornamẽtis
omnibus spoliata, nuda cupiditati, petulantiæ addi-
93 catur. * non comparat se tecum gratia P. Quinctius
Sex. Nevii, non opibus, nõ facultate contendit: omnes
tuas artes, quibus tu magnus es, tibi concedit. fatetur
se non bellè dicere, non ad voluntatem loqui posse, nã
ab afflicta amicitia transfugere, atq; ad florentem a-
liam deuolare, non profusis sumptibus viuere, non or-
nare magnificè splendideq; conuiuium, nõ habere do-
mum clausam pudori & sanctimoniæ, patentem atq;
adeo expositam cupiditati, & voluptatibus: contra,
sibi officium, fidem, diligentiam, vitam omnino sem-
per horridam, atq; aridam cordi fuisse. ista superiora
94 esse, ai plurimum posse his moribus, sentit. * quid ergo
est? non vsq; eò tamen, vt in capite fortunisq; hominũ
honestissimorum dominentur ij, qui, relicta bonorum
virorum disciplina, & questum, & sumptu Gallonij
sequi maluerunt, atq; etiam, quod in illo non fuit, cũ
audacia perfidiaq; vixerunt. silicet viuere eum, quẽ
Sex. Nevius nõ vult: si est homini honesto locus in ci-
uitate inuito Nevio: si fas est respirare P. Quinctium
contra nutum ditionemq; Nevij: si, qua pudore or-
namenta sibi peperit, ea potest contra petulantiam te
defendente obtinere: spes est, & hunc miserum atq; in-
felicem aliquando tandem posse consistere, sin & po-
terit Nevius id, quod libet, & ei libebit, quod non li-
cet, quid agendum est? qui deus appellandus est? cuius
hominis fides implorãda est? qui denig; questus, qui
95 mœror dignus inueniri calamitate tanta potest? * mi-

serum

serum est exturbari fortunis omnibus miserius est, iniuria. acerbum est, ab aliquo circumueniri: acerbius, à propinquo. calamitosum est, bonis euerti: calamitosius, cum dedecore. funestum est à forti atq; honesto viro iugulari: funestius, ab eo, cuius vox præconio quæstu professit, indignum est, à pari vinci, aut superiore: indignius ab inferiore, atq; humiliore. luctuosum est, tradi alteri cũ bonis: luctuosius, inimico: horribile est, causam capitis dicere: horribilius, priore loco dicere. *omnia circumspexit Quinctius, omnia periclitatus 96
est, C. Aquili: non prætorẽ modò, à quo ius impetraret, inuenire non potuit, atq; adeo ne vnde arbitratu quidẽ suo postularet: sed ne amicos quidẽ Sex. Neuij, quorum sæpè & diu ad pedes iacuit stratus, obsecrans per deos immortales, vt aut secum iure contenderent, aut iniuriam sine ignominia sibi imponerent. *deniq; 97
ipsius inimici vultũ superbissimum subijt: ipsius Sex. Neuij lacrymans manum apprehendit, in propinquorum bonis proscribendis exercitatam: obsecrauit per fratris sui mortui cinerem, per nomẽ propinquitatis, per ipsius coniugẽ, & liberos, quibus propior P. Quinctio nemo est, vt aliquando misericordiam caperet: aliquam, si non propinquitatis, at ætatis suæ: si nõ hominis, at humanitatis rationem haberet: vt secũ aliquid, integra sua fama, qualibet dummodo tolerabili conditione transigeret. *ab ipso repudiatus, ab amicis 98
eius nõ sublleuatus, ab omni magistratu agitatus, atq; perterritus, quem præter te appellet habet neminem, tibi se, tibi suas omnes opes fortunasq; commendat: tibi committit existimationem, ac spem reliquæ vitæ: multis vexatus contumelijs, plurimis iactatus iniu-

 riis,

tiùs, non turpiùs ad te, sed miser confugit è fundo ornatissimo deiectus, ignominiis omnibus appetitus, cum illum in suis paternis bonis dominari videret, ipse filiæ nubili dotem conficere non posset, nihil alienum tamẽ vita superiore cõmisit. * itaq; te hoc obsecrat C. Aquili, vt, quam existimationem, quam honestatem in iudicium tuum propè acta iam ætate decursaq; attulit, eam liceat ei secum ex hoc loco efferre: ne is, de cuius officio nemo vnquam dubitauit sexagesimo denique anno, dedecore, macula, turpissimaq; ignominia notetur: ne ornamentis eius omnibus Sex. Neuius prospicias abuti atur: ne per te fiat, quò minus, quæ existimatio P. Quinctium vsque ad senectutem perduxit, eadem vsque ad rogum prosequatur.

PRO SEXTO ROSCIO AMERINO

ORATIO II.

CREDO ego vos iudices miraui, * quid sit, quòd, cùm tot summi oratores, homines nobilissimi sedeant, ego potissimũ surrexerim, iuuenis, qui neq; ætate, neque ingenio, neque auctoritate sim cum his, qui sedeant, comparandus. omnes enim hi, quos videtis adesse in hac tam noua iniuriam nouo scelere conflatam putant oportere defendi, defendere ipsi propter iniquitatem temporum non audent. ita fit, vt adsint, propterea quòd officium sequuntur: taceant autem idcirco, quia periculum metuunt, * quid ergo? audacissimus ego ex omnibus? minimè.

at tam-

at tanto officiosior, quam cæteri? neistius quidem laudis ita sum cupidus, vt alijs eam præreptam velim, quæ me igitur res præter cæteros impulit, vt caussam Sex. Roscij reciperem? quia, si quis istorum dixisset, quos videtis adesse, in quibus summa auctoritas est, atque amplitudo si verbū de rep. fecisset, id quod in hac caussa fieri necesse est, multo plura dixisse, quàm dixisset, putaretur: *ego etiāsi omnia, quæ dicenda sunt, liberè dixero, nequaquam tamen similiter oratio mea exire, atque in vulgus emanare poterit. deinde quod ceterorum neque dictum obscurum potest esse propter nobilitatem & amplitudinem, neque temerè dicto concedi propter eruditionem & prudentiam: ego si quid liberius dixero, vel occultum esse propter ea, quòd nondum ad remp. accessi, vel ignosci adolescentiæ meæ poterit, tametsi non modò ignoscendi ratio, verùm etiam cognoscendi consuetudo iam de ciuitate sublata est. *accedit illa quoq; caussa, quòd à cæteris forsitan ita petitum sit, vt diceret, vt vtrumuis saluo officio se facere posse arbitrarentur: à me autem ij contenderunt, qui apud me & amicitia, & beneficijs & dignitate plurimum possunt: quorum ego neque beneuolentiam erga me ignorare, nec auctoritatem aspernari, nec voluntatem negligere debeam. *His de caussa ego huic caussæ patronus extiti: nō electus vnus, qui maximo ingenio sed relictus ex omnibus, qui minimo periculo possim dicere: neque vti satu firmo præsidio defensus Sex. Roscius, verum vti ne omnino desertus esset: Forsitan quæratis, qui iste terror sit, & quæ tanta formido, quæ tot, ac taleis viros impedeat, quò minus pro capite & fortunis alterius,

quemadmodũ cõsueuerunt, causã velint dicere. & ad-
huc vos ignorare non mirũ est, propterea quòd cõsultò
ab accusatoribus eius rei, quæ constauit hoc iudiciũ,
6 mẽtio facta nõ est.* quæres ea est? bona patris huiusce
Sex. Roscij, quæ sunt sexagies, quæ de viro fortissimo,
& clarissimo L. Sylla, quem honorũ caussa nomino,
duob. millibus nũmũm sese dicit emisse adolescens, vel
potẽtissimus hoc tẽpore nostræ ciuitatis L. Cornelius
Natra. Chrysog. is à vobis Iud. hoc postulat, vt, quoniam in
alienã pecuniã tã plenã, atq; præclarã, nullo iure in-
uaserit: quoniãq; ei pecuniæ vita Sex. Roscij obsta re,
atq; officere videatur, deleatu ex animo suo suspicio-
nẽ omnẽ, metũq; tollatu. sese hoc incolumi non arbi-
trabatur huius innocẽtis patrimoniũ tã amplũ & co-
piosũ posse obtinere: dãnato, & eiecto sperat se posse,
quod adeptus est per scelus, id per luxuriã effũdere, at-
que cõsumere. hũc sibi ex animo scrupulũ, qui se dies
noctesq; stimulat, ac pũgit, vt euẽllatu, postulat: & ad
hãc suã prædã tã nefariã adiutores vos profiteamini,
7 *si vobis aqua, & honesta postulatio videtur iudices,
ego contrà breuẽ postulationẽ affero, &, quomodo mi-
hi persuadeo, aliquãto aquiorẽ. Primùm à Chrysogo-
no peto, vt pecunia, fortunisq; nostris cõtẽtus sit, san-
guinẽ & vitã ne petat. deinde à vobis Iudices, vt au-
daciũ scelerj resistatis, innocẽtiũ calamitatẽ leuetis, &
in caussa Sex. Roscij periculũ, & in oẽs intẽditur, pro-
8 pulsetis* quòd si caussa criminu, aut facti suspicio, aut
quælibet denicj, vel minima res reperietur, quamobrẽ
videantur illi nõnihil tamẽ in deferẽdo nomine secu-
ti. postremò si præter eã prædã, quã dixi, quicquã ali-
ud caussa inueneritis, nõ recusemus, quin illorũ libidi-

ni Sex.

ni Sex. Roscij vita dedatur: sin aliud, agitur nihil, nisi vt ijs ne quid desit, quib. satis nihil est: si hoc solùm hoc tẽpore pugnatur, vt ad illã optimam præclarãq; prædã dãnatio Sex. Roscij, velut cumulus accedat; nõne cùm multa indigna, tũ vel hoc indignißimum est, vos idoneos habitos, per quorũ sententias, iuxtaq; iurãdũ id assequãtur, quod antea ipsi scelere, & ferro aßequi cõsueuerũt? qui ex ciuitate in senatũ propter dignitatẽ, ex senatu in hoc cõsiliũ delecti estis propter seueritatẽ, ab his hoc postulare homines sicarios, atq; gladiatores, nõ modò vt supplicia vitent, quæ à vobis pro maleficijs suis metuere atq; horrere debẽt, verùm etiã vt spolijs Sex. Roscij hoc iudicio ornati auctiq; discedãt? *his de rebus tãtis, tamq; atrocibus, neq; satis me 9
commodè dicere, neq; satis grauiter cõqueri, neq; satis liberè vociferari posse intelligo: nam cõmoditati ingeniũ, grauitati ætas, libertati tẽpora sũt impedimento: huc accedit sũmus timor, quẽ mihi natura pudorque meus attribuit, & vestra dignitas, & vis aduersariorũ, & Sex. Roscij pericula. quapropter vos oro atq; obsecro iudices, vt attẽtè bonaq; cum venia verba mea audiatis. *fide sapiẽtiaq; vestra fretus, plus oneris sustuli, quam ferre me posse intelligo: hoc onus si vos aliquã ex parte alleuabitis, ferã, vt potero, studio & industria iudices. sin à vobis, id quod nõ spero, deseror, tamẽ animo nõ deficiã. sed id, quod suscepi, quoad potero perferã: quòd si perferre nõ potero, opprimi me onere officij malo, quàm id, quod mihi cum fide semel impositũ est, aut propter perfidiã abijcere, aut propter infirmitatem animi deponere. *Te quoque magno- 11
pere M. Fanni quæso, vt, qualem te iam antea populo R. præbuisti, cum huic eidem quæstioni iudex præ-

esses,

esses, talem te & nobis, & P. R. hoc tempore impertias, quanta multitudo hominum conuenerit ad hoc iudicium, vides, quæ sit omnium mortalium expectatio, quæ cupiditas, vt acria ac seuera iudicia fiant, intelligis. longo interuallo iudicium inter sicarios hoc primum committitur, cùm interea cædes indignissima maximaque factæ sint. omnes hanc quæstionem te Prætore de manifestis maleficijs ante admissis, 12 quotidianoque sanguine sperant futuram.* qua vociferatione in cæteris iudicijs accusatores vti consueuerunt, ea nos hoc tempore vtimur, qui causam dicimus: petimus abs te M. Fanni, à vobis Iud. vt quam acerrimè maleficia vindicetis, vt quàm fortissimè hominibus audacissimis resistatis, vt hoc cogitetis, nisi in hac causa, qui vester animus sit, ostenderis, eò prorumpere hominum cupiditatem & scelus, & audaciam, vt non modò clàm, verùm etiam hic in foro, ante tribunal tuum M. Fanni, ante pedes vestros, iudices, inter ipsa subsellia cædes futura sint.* etenim 13 quid aliud hoc iudicio tentatur, nisi vt id fieri liceat: accusant ij, qui in fortunas huius inuaserunt: caussam dicit is, cui præter calamitatem nihil reliquerunt. accusant ij, quibus occidi patrem Sex. Roscij bono fuit: caussam dicit is, cui non modò luctum mors patris attulit, verum etiam egestatem. accusant ij, qui hunc ipsum iugulare summè cupierunt: caussam dicit is, qui etiam ad hoc ipsum iudicium cum præsidio venit, ne hic ibidem ante oculos vestros trucidetur. denique accusant ij, quos populus poscit: caussam dicit 14 is, qui vnus relictus ex illorum nefaria cæde restat* atque vt facilius intelligere possitis Iudices, ea quæ facta

facta sunt indigniora esse, quàm hæc sunt quæ dicimus, ab initio res quemadmodum gesta sit, vobis exponemus: quò facilius & huius hominis innocentissimi miserias & illorum audaciam cognoscere possitis, & reipublicæ calamitatem.* Sex. Roscius pater huiusce, municeps Amerinus, fuit cum genere, & nobilitate, & pecunia non modò sui municipij, verùm etiam eius vicinitatis facilè primus, tum gratia atq; hospitiis florens hominum nobilissimorum. Nam cum Metellis, Seruilijs, Scipionibus erat ei non modò hospitium, verum etiam domesticus vsus, & consuetudo: quas, vt æquum est, familias honestatis amplitudinisque gratia nominatasque ex suis omnibus commodis hoc solum filio reliquit: nam patrimonium domestici prædones vi ereptum possident: fama & vita innocentis ab hospitibus amicisque paternis defenditur.* hic cùm omni tempore nobilitatis fautor fuisset, tum hoc tumultu proximo, cùm omnium nobilium dignitas & salus in discrimen ventret, præter cæteros in ea vicinitate eam partem, causamq; operamq; studeo, auctoritate defendit. etenim rectum putabat, pro eorum honestate se pugnare, propter quos ipse honestissimus inter suos numerabatur, posteaquam victoria constituta est, ab armisque recessimus, cùm proscriberentur homines, atque ex omni regione caperentur ij, qui aduersarij fuisse putabantur, erat ille Romæ frequens, atque in foro, & in ore omnium quotidie versabatur, magis vt exultare victoria nobilitatis videretur, quàm timere, ne quid ex ea calamitatis sibi accideret.* erant ei veteres inimicitiæ cum duobus Rosc. Amerinis, quorum alterum sedere in accusatorum

torum subsellijs video: alterũ tria huiusce prædia possidere audio: quas inimicitias si tam cauere potuisset, quàm metuere solebat, viueret. neq; enim iudices iniuria metuebat, nam duo isti sunt Titi Rosc. quorum alteri Capitoni cognomen est, iste, qui adest, Magnus vocatur: homines eiusmodi, alter plurimarum palmarũ vetus ac nobilis gladiator habetur: hic aũt nuper se ad eũ lanistã contulit, qui cùm ante hãc pugnã tyro esset, scientia facilè ipsũ magistrũ scelere, audaci
18 tate q; superauit, *nam cùm hic Sex. Roscius esset Ameriæ, T. autẽ iste Roscius Romæ: cùm hic filius assiduus in prædijs esset, cumq; se voluntate patris rei familiari, vitæq; rusticæ dedisset, iste autem frequens Romæ esset: occiditur ad balneas Palatinas rediens à cœna Sex. Roscius. Spero ex hoc ipso non esse obscurum, ad quem suspicio maleficij pertineat, verum id, quod ad. huc est suspiciosum, nisi perspicuum res ipsa fecerit,
19 hunc affinem culpæ iudicatote. *Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Manlius Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij: & nunciat domum, non filij, Sed T. Capitonis inimici: & cùm post horam primam noctis occisus esset, primo diluculo nuncius hic Ameriam venit, decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisijs peruolauit, non modò vt exoptatum inimico nuncium primus afferret. sed etiã cruentẽ inimici quàm recentissimum, telumq; paulò antè è corpore
20 extractum ostenderet. *quatriduo, q; hæc gesta sũt, res ad Chrysogonum in castra L. Sullæ Volaterras defertur: magnitudo pecuniæ demonstratur bonitas: prædiorum, (nam fundos decem, & tres reliquit,

qui

qui Tyberim ferè omnes tãgunt) huius inopia & solitudo cõmemoratur, demonstrant, cùm pater huiusce Sex. Roscius, homo tã splendidus & gratiosus: nullo negocio sit occisus, perfacile hunc, hominẽ incautũ, & rusticum, & Romæ ignotum, de medio tolli posse. ad eam rem operam suam pollicentur. Nè diutius vos temẽ Iudices, societas coitur. *cùm iam proscriptionis 23
mentio nulla fieret: & cùm, etiam qui antea metuerãt, redirẽt: ac tã defunctos, sese periculis arbitrarentur: hominis studiosissimi nobilitatis manceps sit Chrysogonus: tria prædia vel nobilissima Capitonis propria tradũtur, quæ hodie possidet in reliquas omnes fortunas iste T. Roscius nomine Chrysogoni, quẽadmodum ipse dicit, impetum facit. hæc bona sexagesies H-S. emuntur duobus millibus nũmûm. hæc omnia iudices imprudẽte L. Sylla facta esse certò scio* neque 22
enim mirum, cùm eodem tẽpore & ea quæ præterita sunt, reparet, & ea, quæ videntur instare, præparet: cùm & pacis cõstituẽdæ rationẽ, & belli gerẽdi potestatem solus habeat: cùm omnes in vnũ spectẽt, vnus omnia gubernet, cùm tot tãtis negocijs distẽtus sit, vt respirare liberè nõ possit, si aliquid nõ animaduertat: cùm præsertim tã multi occupationẽ eius obseruent, tẽpusq; aucupẽtur, vt simul atq; ille desplexerit, aliquid huiusce modi moliantur. huc accedit, quòd, quãuis ille felix sit, sicut est, tamẽ tãta felicitate nemo potest esse in magna familia, qui neminẽ nr̃q; seruũ, nr̃q; libertum improbum habeat. Interea iste T. 24
Roscius, vir optimus procurator Chrysogoni, Ameriam venit in prædia huius inuadit, hunc miserũ, luctu perditum, qui nõdum etiam paterno funeri iusta sol-

soluisset, nudum eiecit domo atque socij patrijs diuq3
penatibus praecipitem. Iudices, exitu bat: ipse amplissi-
mae pecuniae fit dominus, quum sua re fuisset egentiss=
mus, erat, vt fit, insolens in aliena: multa palàm do-
mum suam comportabat, plura clàm de medio remouebat: non pauca his adiutoribus large effusq3 dona-
24 bat. Reliqua constitutur a auctione vēdebat* quod Ame-
rinus vsque adeo visum est indignum, vt vbe tota fle-
tus gemitusque fieret. Etenim multa simul ante oculos versabantur: mores hominis flocciissimi, Sex. Rosci
crudelissima: filij autem eius egestas indignissima, cui
de tanto patrimonio praedo ille nefarius ne iter quidē
ad sepulchrum patrium reliquisset: bonorum emptio,
flagitiosa possessio, furta, rapina, donationes, nemo e-
rat qui non arderet omnia mallet, quàm videre in
Sex. Roscij viri optimi atque honestissimi, boni ia-
25 ctātē se, ac dominantē T. Roscium.* Haq3 decurionum
decretum statim fit, vt decem primi proficiscantur ad
L. Syllam, doceantq3 eum, qui vir Sex. Roscius fuerit:
conquerantur de istorum scelere, & iniurijs orent,
vt & illius mortui famā, & filij innocentis fortunas
conseruatas velit. atque ipsum De cretū quaeso cogno-
scite, DECRETVM DECVRIONVM. Legati in ca-
stra veniūt. Intelligitur Iudices, id quod tā antè dixi,
imprudente L. Sylla scelera haec & flagitia fieri: nam
statim Chrysogonus ipse ad eos accedit, & homi-
nes nobiles allegat. Ab illo quaerebant, ne ad Syllam a-
dirent. & omnia Chrysogonum, quae vellent, esse fa-
26 cturum pollicerentur* vsq3 adeò autē ille pertimuerat, vt meri mallet, quàm de his rebus Sylla doceri ho-
minem antiquum, qui ex sua natura cateros fingeret, cū
ille

PRO SEX. ROS

ille confirmaret se nomen Se
pturum, praeda vacua filio tr
futurum T. Rosc. Caput, qui e
mitterent, crederent, amer
terunt. ac primò rem differr
nare istis cupiditatem deinde alie
gere atq; deludere postremò
est, insidiari vitae huius Sex.
arbitrari posse diutius dicha
lucri obtinere. * quod si simul
cognatorum, sententia Rom
Caecilium Nigrum seruum, qu
nino carnifici, quae pater v
mulierem Iudices etiā nunc, id
stimauerunt, quasi exempla
officijne etiam in Sex. Rosci
atq; expleri ex suis bonis,
& manu, reuocat dominum, hu
stra atq; ab omnibus spectat
ligentia factum est, vt hic pot
occisum proscriptum referret
intelligetur summa diligen
custodiri, nec filium Caecil
consilium deferret? plenū sce
men huius de parricidio defe
liquem accusatorem vehemen
re posset dicere aliquid, in q
cia: denig. vt quemquam cr
pere ipso pugnante? Ita
tam diu facta non essent, an
qui primus in iudicium ad

ille confirmaret sese nomen Sex. Roscij de tabulis exceptum, prædia vacua filio traditurum, cumq; id ita futurum T. Rosc. Capito, qui in X. legatis erat, adpromitteret, crediderunt, Ameriam re inhonorata reuerterunt. ac primò rem differre quotidie ac procrastinare isti cœperunt: deinde aliquanto lentius, nihil agere atq; deludere: postremò, id quod facilè intellectu est, insidias vitæ huiusce Sex. Roscij parare: neq; sese arbitrari posse diutius alienâ pecuniâ domino incolumi obtinere. *quod is simul atq; sensit, de amicorum cognatorumq; sententia Romam confugit, & sese ad Cæciliam Nepotis sororem, quam honoris caussa nomino, contulit, qua pater vsus erat plurimum. in qua muliere Iudices etiâ nunc, id quod omnes semper existimauerunt, quasi exempli caussa vestigia antiqui officij remanêt. ea Sex. Roscium inopê, ejectum domo, atq; expulsum ex suis bonis, fugientê latronum tela & minas, recepit domum, hospitioq; oppresso iam, desperatoq; ab omnib. opitulata est. eius virtute, fide, diligentia factum est, vt hic potius viuus in reos, quàm occisus in proscriptos referretur. *nam postquam isti intellexerunt, summa diligentia vitam Sex. Roscij custodiri, neq; sibi vllam cadis faciûdæ potestatê dari: consilium dederunt plenũ sceleris, & audaciæ, vt nomen huius de parricidio deferrent: vt ad eam rem aliquem accusatorem veterem compararent, qui de ea re posset dicere aliquid, in qua re nulla subesset suspicio: deniq; vt quoniam crimine non poterant, tempore ipso pugnarent: ita loqui homines, quòd iudicia tam diu facta non essent, condemnari eum oportere, qui primus in iudicium adductus esset: huic autem

patronos propter Chrysogoni gratiam defuturos: de bonorum venditione, & de ista societate verbum esse facturum neminem: ipso nomine parricidij, & atrocitate criminis, fore, vt hic nullo negocio tolleretur, cum
29 ab nullo defensus esset. * hoc cõsilio, atq; adeò hac amẽtia impulsi, quẽ ipsi, cùm cuperẽt, non potuerunt occidere, eum iugulãdum vobis tradiderunt. Quid primũ querar? aut vnde potissimum exordiar iudices? aut quod, aut à quib. auxiliũ petam? deorúmne immortaliũ, populine Romani, vestramne, qui Summã potestatẽ habetis, hoc tempore fidem implorẽ? * pater occi-
30 sus nefariè, domus obsessa, ab inimicis bona adempta, possessiões, direpta, filij vita insidijs sæpe ferro atq; insidijs appetita: quid ab his tot maleficijs sceleris abesse videtur? tamen hæc alijs nefarijs cumulãt, atq; adaugẽt: crimen incredibile confingunt: testes in hunc & accusatores huiusce pecunia comparant: hanc conditionem misero ferunt, vt optet vtrum malit, ceruices Roscio dare, an insutus in culeum, per summum dedecus vitam amittere, patronos huic defuturos putauerunt: desunt, qui liberè dicat, qui cum fide defendat, id quod in hac caussa est satis, quoniam quidem
31 suscepi, non deest profectò, iudices. * & forsitan in suscipiẽda caussa temerè impulsus adolescentia fecerim: quoniam quidem semel suscepi, licet hercule vndique omnes terrores, minæ, periculaq; impendeant omnia, succurrã, atq; subibo. tertiũ est, deliberatum q; quæ ad caussam pertinere arbitror, omnia nõ modò dicere, verùm etiã libenter, audacter, libereque dicere. nulla res tanta existat iudices, vt possit vim mihi maiorẽ ad-
32 hibere metus, quàm fides: * etenim quis tam dissoluto

animo

animo est, qui, haec cùm videat, tacere ac negligere possit: patrem meu, cum proscriptus non esset, iugulastis: occisum in proscriptorum numerum retulistis: me domo mea per vim expulistis: patrimonium meum possidetis: quid vultis amplius? etiamne ad subsellia cum ferro atque telis venistis, vt hic aut iuguletis, aut condemnetis Sex. Roscium? * hominē lōge audaciſſimum nuper habuimus in ciuitate C. Fimbriam, & quod inter omnes cōstat, nisi inter eos, qui ipsi quoq; insaniunt, insanissimum. is cùm curasset in funere C. Marij, vt Q. Scaeuola vulneraretur, vir sanctissimus atque ornatissimus nostrae ciuitatis, de cuius laude neque hic locus est vt multa dicantur, neq; plura tamen dici possunt, quàm populus R. memoria retinet: dicm Scaeuolae dixit, posteaquam comperit eum posse viuere. cùm ab eo quaereretur, quid tandē accusaturus esset eum, quem pro dignitate ne laudare quidem quisquam satis commodē posset: atqui hominē, vt erat furiosus, respondisse, quòd non totum telum corpore recepisset. quo populus R. nihil vidit indignius, nisi eiusdem viri mortem, quae tantum potuit, vt omnes ciues suos perdiderit, & afflixerit: quos quia seruare per cōpositionem volebat, ipse ab iis interemptus est. * estne hoc illi dicto atque facto Fimbriae non simillimum? accusatis Sex. Roscium: quid ita? quia de manibus vestris effugit, quia se occidi passus non est. illud, quia in Scaeuola factum est, magis indignum videtur: hoc, quia sit Chrysogono, * num est fereūq; nam: per deos immortales, quid est in hac causa, quod defensione indigeat? qui locus ingenium patroni requirit, aut oratoris eloquētiam magnopere desiderat? totam causam,

sam, Iudices, explicemus atque ante oculos exposita
consideremus. ita facillimè, quæ res totum iudicium
contineat, & quib. de rebus vos dicere oporteat, &
quid vos sequi conueniat, intelligetis.* Tres sunt res,
35 quãtum ego existimare possum, quæ obstent hoc tem-
pore Sex. Rosc. crimen aduersariorum, audacia, &
potentia. criminis confictionẽ accusator Erutius fusce-
pit: audaciæ partes Roscij popoſcerunt: Chrysogonus
autem, u, qui plurimum potest, potentia pugnat. de
36 hisce omnibus rebus me dicere oportere intelligo:*
nõ eodem modo de omnib. ideo quod prima illa res ad
meum officiũ pertinet, duas autẽ reliquas vobis popu-
lus R. imposuit. quod igitur est? ego crimẽ oportet di-
luam: vos & audaciæ resistere, & hominum eius mo-
pernicioſam atq; intolerandam potentiã primo quo-
37 que tempore extinguere, atq; opprimere debetis.* Oc-
cidisse patrem Sex. Roscius arguitur. Scelestum, dij
immortales, ac nefarium facinus, atq; eius modi, quo
vno maleficio scelera omnia complexa esse videãtur.
etenim si, id quod præclarè à sapientib. dicitur, vultu
sæpe læditur pietas, quod supplicium satis acre repe-
rietur in eum, qui mortem obtulerit parenti: pro quo
mori ipsum, si res postularet, iura diuina atq; huma-
na cogebant? In hoc tanto, tam atroci, tam singulari
maleficio, quod ita raro extitit, vt si quando auditũ
38 sit, portẽti ac prodigij simile numeretur,* quibus tãdẽ
te C. Eruti argumentis accusatore censes vti oporte-
re? nonne & audaciã eius, qui in crimen vocetur, sin-
gulare ostendere, & mores feros, immanẽq; naturam
& vitam vitiis flagitiisque omnibus deditam, & de-
nique omnia ad perniciem profligata atque perdita?

quorum

quorum tu nihil in Sex. Roscij ne obiiciendi quidem
caussa, contulisti. *Patrē occidit Sex. Rosc. qui homo? 39
adolescentulus corruptus, & ab hominib. nequam in-
structus? annos natus magis quadraginta. vetus vide-
licet sicarius, homo audax, & sæpe in cæde versatus. at
hoc ab accusatore ne dici quidē audistis. luxuries igi-
tur hominē nimirū, & æris alieni magnitudo, & in-
domita animi cupiditates ad hoc scelus impulerūt. de
luxuria purgauit Erutius, cum dixit hunc ne in con-
uiuio quidem vllo ferè interfuisse. nihil autē vnquā
debuit. cupiditates porrò quæ possunt esse in eo, qui, vt
ipse accusator obiecit, ruri semper habitarit, & in a-
gro colendo vixerit, quæ vita maximè disiuncta à cu-
piditate, & cum officio coniuncta? *quæres igitur tā- 40
tum istum furorem Sex. Roscio obiecit? patri, inquit,
non placebat. patri non placebat? quam ob caussam?
necesse est enim eam quoque iustam, & magnam, &
perspicuam fuisse. nam vt illud incredibile est, mor-
tem oblatā esse patri à filio sine plurimū & maximis
caussis; sic hoc verisimile non est, odio fuisse parenti
filium sine caussa multis, & magnis, & necessariis. * 41
rursus igitur eodem reuertamur, & quæramus, qua
tanta vitia fuerint in vnico filio, quare is patri displi-
ceret. at perspicuum est, nullum fuisse. pater igitur a-
mens, quî odisset eum sine caussa, quem procreasset? at
is quidem fuit omnium constantissimus. ergo illud iā
perspicuum profectò est, si neque amens pater, neque
perditus filius fuerit, neque odij caussam patri, neque
sceleris filio fuisse. *nescio, inquit, quæ caussa odij fue- 42
rit. fuisse odium intelligo, quia antea, cùm duos filios
habaret, illum alterum, qui mortuus est, secum om-

ni tempore volebat esse, hunc in prædia rustica relegarat. Quod Erutio accidebat in mala nugatoriaq; accusatione, idem mihi vsuenit in caussa optima. ille, quo modo crimen commentitium confirmaret, non inueniebat: ego res tam leues qua ratione infirmem
43 ac diluam, reperire non possum.* Quid agis Eruti? tot prædia, tã pulchra, tã fructuosa Sex. Roscius fil. suo relegationis ac supplicij gratia colenda, ac tuẽda tradiderat? quid hoc? patres familiás, qui liberos habent, præsertim homines illius ordinis ex municipiis rusticanis, nõne optatissimũ sibi putãt esse filios suos rei familiari maximè seruire, & in prædijs colendis operã plurimũ studijq; consumere?* an amandaret hũc sic,
44 vt esset in agro, ac tantummodo aleretur ad villam, vt commodis omnibus careret? quid si constat, hunc non modò colendis prædijs præfuisse, sed certis fundi, patre viuo, frui solitum esse? tamen ne hæc attenta vita, & rusticana relegatio atq; amandatio appellabitur? vides Eruti, quantũ distet argumentatio tua abre ipsa, atq; à veritate. quod cõsuetudine patres faciunt, id quasi nouũ reprehendis: quod beneuolentia fit, id odio factum criminaris: quod honoris caussa pater filio suo concessit, id eum supplicij caussa fecisse dicis.
45 *neque hæc tu non intelligis, sed vsq; eò, quid arguas, non habes, vt non modò tibi cõtra nos dicendũ putes, verum etiam contra rerum naturã, contraq; consuetudinem hominum, contraq; opiniones omnium. Ait enim, cùm duos filios haberet, alterum à se nõ dimittebat, alterũ ruri esse patiebatur. Quæso Eruti, vt hoc in bonam partem accipias: non enim ex probrandi caussa, sed commonendi gratia dicã, * si tibi fortuna non
46 deliit,

dedit, vt patre certo nascerere, ex quo intelligere posses, qui animus patrius in liberos esset; at natura certè dedit, vt humanitatis non parum haberes. eò accessit studium doctrinæ, vt ne à literis quidem alienus esses. ecquid tãdem tibi videtur (vt ad fabulas veniamus) senex ille Cæcilianus minoris facere Eutychum filium rusticum, quàm illum alterum Chærestratum? (nã, vt opinor, hoc nomine est) alterum in vrbe secum honoris caussa habere, alterum rus supplicij caussa relegasse? quid ad istas ineptias abis, inquies? *quasi verò 47
mihi difficile sit, quamuis multos, nominatim proferre (ne longius abeã) vel tribules, vel vicinos meos, qui suos liberos, quos plurimi faciunt, agricolas assiduos esse cupiunt. verũ homines notos sumere odiosum est: cùm & illud incertum sit, velintne hi sese nominari: & nemo vobis magis notus futurus sit, quàm est hic Eutychus: & certè ad rem nihil interfit, vtrũ hunc ego comicũ adolescentẽ, an aliquem ex agro Veiente nominẽ. etenim hæc conficta arbitror à poëtis esse, vt effictos nostros mores in alienis personis expressamq; imaginem nostræ vitæ quotidianæ videremus. * Age 48
nũc, refer animũ, si vis, ad veritatẽ, & considera, non modò in Vmbria atq; in ea vicinitate, sed in his veteribus municipijs, quæ studia à patribus familiàs maximè laudentur: iam profectò te intelliges inopia criminũ summã laudè Sex. Roscio vitio & culpæ dedisse. at non modò hoc patrum voluntate liberi faciunt, sed permultos & ego noui, &, nisi me fallit animus, vnusquisque vestrûm, qui & ipsi incensi sunt studio, quod ad agrum colendum attinet, vitamq; hãc rusticam, quã tu probro, & crimini putas esse oportere, &

49 honestißimam & snauißimã esse arbitrantur. *quid censes hunc ipsũ Sex. Roscium, quo studio, & qua intelligentia esse in rusticis rebus? vt ex his propinquis eius, hominibus honestißimis, audio, non tu in isto artificio accusatorio callidiores, quàm hic in suo. verũ, vt opinor, quoniam ita Chrysogono videtur. qui huic nullum prædium reliquit, & artificiũ obliuiscatur, & studium deponat, licebit. quod tametsi miserum, & indignum est, feret tamen æquo animo, Iudices, si per vos vitam & famã poterit obtinere. hoc vero est, quod fieri non potest, si & in hãc calamitatem venit propter prædiorum bonitatem & multitudinem, &, quòd ea studiose coluit: id erit ei maximè fraudi: vt parum miseria sit, q̃ alijs coluit, non sibi, nisi etiã quod omni-

50 no coluit, crimini fuerit. *Nã tu Eruti accusator esses ridiculus, si illis temporibus natus esses, cùm ab aratro arcessebantur, qui cõsules fierent: etenim, qui præesse agro colendo flagitiũ putes, profectò illũ Attilium, quem suã manu spargentẽ semẽ, qui missi erant, conuenerunt, hominem turpißimũ, atq; inhonestißimũ iudicares, at hercule maiores nostri longè aliter & de cæteris talibus viris existimabant. itaq; ex minima tenuißimaq; rep. maximã & florentißimã nobis reliquerunt: suos enim agros studiosè colebant, non alienos cupidè appetebant: quibus rebus & agris, & vrbibus, & nationibus rempub. atque hoc imperium, &

51 populi R. nomen auxerunt. *neque ego hæc eò profero, quòd conferenda sint cũ his, de quibus nũc quærimus; sed vt illud intelligatur, cùm apud maiores nostros summi viri, clarißimiq; homines, qui omni tẽpore ad gubernacula reipubl. sedere debebant, tamen

in agris

in agris quoque colendis aliquantum operæ, temporisq; consumpserint; ignoscí oportere ei homini, qui se fateatur esse rusticum, cùm ruri assiduus semper vixerit: cùm præsertim nihil esset, quod aut patri gratius, aut sibi iucundius, aut re vera honestius facere posset.* Odium igitur acerrimũ patris in filium 52
ex hoc opinor ostenditur, Eruti, quòd hunc ruri esse patiebatur. nunquid est aliud? imò verò, inquit, est: nam istũ exheredare in animo habebat. audio. nunc dicis aliquid, quod ad rem pertineat. nam illa opinor tu quoque concedis leuia esse atque inepta. conuiuia cum patre non inibat: quippe qui ne in oppidum quidem nisi perrarò veniret. domum suam istum nõ ferè quisquam vocabat: nec mirum, quem neq; in vrbe videret, neque rure vocaturus esset. Verum hæc tu quoque intelligis esse nugatoria. illud, quod cœpimus, videamus, quo certius argumentũ odij reperiri nullo modo potest. * exheredare pater filium cogitabat. 53
mitto quærere, qua de caussa: quæro, quid scias? tametsi te dicere atque enumerare caussas omnes oportebat: & id erat certi accusatoris officium, qui tanti sceleris argueret, explicare omnia vitia, atque peccata filij, quibus incensus parens potuerit animum inducere, vt naturam ipsam vinceret: vt amorem illi penitus insitum eiceret ex animo: vt denique patrem se esse obliuisceretur. quæ sine magnis huiusce peccatis accidere potuisse non arbitror.* Verum concedo tibi, 54
vt ea prætereas, quæcùm taces, nulla esse concedis. illũ quidem voluisse exheredare, certè tu planum facere debes. quid ergo affers, quare id factum putemus? vtrè nihil potes dicere, finge aliquid saltem commodè,

vt ne planè videaris id facere, quod apertè facis, huius miseri fortunis, & horum virorum talium dignitati illudere. exheredare filium voluit: quam ob causam? nescio, exheredauitne? non. quis prohibuit? cogitabat. cogitabat? cui dixit? nemini. quid est aliud, iudicio, ac legibus, ac maiestate vestra abuti ad quaestum, atque libidinem, nisi hoc modo accusare, atque id obijcere, quod planum facere non modo non
55 possis, verùm ne coneris quidem? * nemo nostrum est Eruti, quin sciat tibi inimicitias cum Sex. Roscio nullas esse: vident omnes qua de causa huic inimicus venias: sciunt huiusce pecunia te adductum esse. quid ergo est? ita tamen quaestus te cupidum esse oportebat, vt horum existimationem, & legem Memmiam putares aliquid valere oportere. accusatores multos esse in ciuitate vtile est, vt metu contineatur audacia: verumtamen hoc ita est vtile, vt ne planè illudamur ab accusatoribus. innocens est quispiam: veruntamen quanquam abest à culpa, suspicione tamen non caret, tametsi miserum est, tamen ei, qui hunc accuset, possim aliquo modo ignoscere: cùm enim aliquid habeat, quod possit criminosè ac suspiciosè dicere, aper-
56 tè ludificari & calumniari sciens non videtur. *quare facilè omnes patimur esse quàm plurimos accusatores, quod innocens, si accusatus sit, absolui potest: nocens, nisi accusatus fuerit, condemnari non potest. vtilius est autem absolui innocentem, quàm nocentem causam non dicere. anseribus cibaria publicè locantur, & canes aluntur in Capitolio, vt significent, si fures venerint. at fures internoscere non possunt. significant tamen, si qui noctu in Capitolium venerint:

& quia

& quia id est suspicio sum, tametsi bestiæ sunt, tamen in eam partem potius peccant, quæ est cautior. quòd si luce quoque canes latrent, cùm deos salutatum aliqui venerint, opinor, ijs crura suffringantur: quod acres sint etiam tum, cum suspicio nulla sit.* simillima est accusatorum ratio, alij vestrûm anseres sunt, qui tantummodo clamant, nocere non possunt: alij canes, qui & latrare, & mordere possunt. cibaria vobis præberi videmus: vos autem maximè debetis in eos impetum facere, qui merentur. hoc populo gratissimum est. deinde si voletis, etiam tum, cùm verisimile erit aliquem commisisse, in suspicione latratote. id quoque concedi potest. sin autem sic agetis, vt arguatis aliquem patrem occidisse, neque dicere possitis, aut quare, aut quomodo, ac tantummodo sine suspicione latrabitis: crura quidem vobis nemo suffringet; sed, si ego hos bene noui, litteram illam, cui vos vsque eò inimici estis, vt etiam alias omnes oderitis, ita vehementer ad caput affigent, vt postea neminem alium nisi fortunas vestras accusare possitis. 57

* Quid mihi ad defendendum dedisti bone accusator? quid hisce autem ad suspicandum? ne exheredaretur, veritus est, audio: sed, qua de causa vereri debuerit, nemo dicit. habebat pater in animo. planum facis nihil esse: non qui cum deliberarit: quem certiorem fecerit, vnde istud vobis suspicari in mentem venerit. Cùm hoc modo accusas Eruti, nónne hoc palàm dicis? ego, quid acceperim, scio: quid dicam, nescio. vnum illud spectaui, quod Chrysogonus aiebat, neminem illi patronum futurum: de bonorum emptione, deq; ea ciuitate neminem esse, qui verbum facere hoc tempore aude- 58

auderet. hæc te opinio falsa in istam fraudem impulit. non mehercule verbum feciſſes, ſi tibi quenquam re-
59 ſponſurum putaſſes. *Operæ pretium erat ſi animaduertiſtis Iudices, negligentiam eius in accuſando conſiderare. credo, cùm vidiſſet, qui homines in iſto ſubſelliis ſederent, quæſiſſe num ille, aut ille defenſurus eſſet: de me ſuſpicatum quidem, quòd antea cauſſam publicam nullam dixerim. poſteaquam inuenit neminem eorũ, qui poſſunt, & ſolent, ita negligens eſſe cœpit, vt, cùm in mentem veniret ei, reſideret: deinde ſpatiaretur: nonnunquam etiam puerum vocaret: credo cui cœnam imperaret: prorſus vt veſtro conſeſſu, & hoc conuentu pro ſumma ſolicitudine abuteretur: *peroravit aliquando: aſſedit. ſurrexi ego, reſpi-
60 rare viſus eſt, quòd non alius potius diceret. cœpi dicere. vſque eò animaduerti Iudices eum iocari, atque alias res agere, antequam Chryſogonum nominaui: quem ſimul atque attigi, ſtatim homo ſe erexit, mirari viſus eſt. intellexi, quid eum pupugiſſet: iterum, ac tertio nominaui. poſtea homines curſare vltro & citro non deſiterunt, credo, qui Chryſogono nunciarent, eſſe aliquem in ciuitate, qui contra voluntatem eius dicere auderet: aliter cauſſam agi, atq; ille exiſtimaret: aperiri bonorum emptionem: vexari peſſimè ſocietatem: gratiam potentiamq; eius negligi: Iudices diligenter attendere: populo rem indignam
61 videri. *quæ quoniam te fefellerunt Eruti: quoniam. que vides verſa eſſe omnia, cauſſam pro Sex. Roſcio ſi non commodè, at liberè dici: quem dedi putabas, defendi intelligis: quos tradituros ſperabas, vides iudicare. reſtitue nobis aliquando veterem tuam illam callit-

calliditatem, atque prudentiam: aut confitere huc eā
ſpe veniſſe, quod putares hic latrocinium, nō iudicium
futurum. De parricidio cauſſa dicitur. ratio ab accu-
ſatore reddita non eſt, quam ob cauſſam patrem filius
occiderit, *quod in minimis noxiis, & in his leuioribus 62
peccatis, quæ magū crebra, & iam propè quotidiana
ſunt, maximè, & primum quæritur, quæ cauſſa ma-
leficij fuerit: id Erutius in parricidio quari non putat
oportere. in quo ſcelere Iudices, etiam cū multæ cauſ-
ſæ conueniſſe vnum in locum, atque inter ſe congrue-
re videntur, tamen non temere creditur: neque leui
coniectura res penditur: neq; teſtis incertus auditur:
neq; accuſatoris ingenio res iudicatur, cū multa an-
tea commiſſa maleficia, tum vita hominis perditiſſi-
ma, tum ſingularis audacia oſtendatur neceſſe eſt: ne-
que audacia ſolùm, ſed ſummus furor, atq; amentia.
hæc cùm ſint omnia, tamen extent oportet expreſſa
ſceleris veſtigia, vbi, qua ratione, per quos, quo tempo-
re maleficium ſit admiſſum, quæ niſi multa, & ma-
nifeſta ſunt, profectò res tam ſceleſta, tam atrox, tam
nefaria credi non poteſt * magna eſt enim vis huma- 63
nitatis: multum valet communio ſanguinis: recla-
mitat iſtiuſmodi ſuſpicionibus ipſa natura: portentū
atq; monſtrum certiſſimum eſt, eſſe aliquem humana
ſpecie, & figura, qui tantum immanitate beſtias vi-
cerit, vt, propter quos hanc ſuauiſſimam lucem aſpe-
xerit, eos indigniſſimè luce priuarit: cùm etiam ferat
inter ſeſe partus, atq; educatio, & natura ipſa conci-
liet. * non ita multis antè annis aiunt T. Cælium 64
quendam Tarracinenſem, hominem non obſcurum,
cùm cœnatus cubitum in idem conclaue cum duobus
adole-

adolescentibus filiis isset, inuentum esse manè iugulatum. cùm neque seruus quisquam reperiretur, neque liber, ad quem ea suspicio pertineret: id ætatis autem duo filij propter cubantes ne sensisse quidem dicerent: nomina filiorum de parricidio delata sunt, quid postea? erat sanè suspiciosum neutrum sensisse? ausum autem esse quenquã se in id cõclaue committere, eo potissimum tempore, cum ibidem essent duo adolescentes filij, qui & sentire & defendere facilè
65 possent? * erat porro nemo, in quem ea suspicio conueniret. tamen, cùm planum iudicibus esset factum, aperto ostio dormientes eos repertos esse: iudicio absoluti adolescentes, & suspicione omni liberati sunt. nemo enim putabat quenquam esse, qui cùm omnia diuina atque humana iura scelere nefario polluisset, somnum statim capere potuisset: propterea quòd qui tantum facinus commiserunt, non modò sine cura quiescere, sed ne spirare quidem sine metu possunt.
66 * Videtisne, quos nobis poëtæ tradiderunt patris vlciscendi caussa, supplicium de matre sumpsisse, cùm præsertim deorum immortalium iussu, atque oraculis id feciisse dicantur: tamen vt eos agitent furiæ, neque consistere vsquam patiantur? quod nepij quidem sine scelere esse potuerunt. Sic se res habet Iudices, magnam vim, magnam necessitatem, magnam possidet religionem paternus maternusq; sanguis: ex quo, si qua macula concepta est, non modò elui non potest, verùm vsq; eò permanat ad animum, vt summus furor atque amentia consequatur. * nolite enim putare, quemadmodũ in fabulis sæpenumerò videtis, eos,
67 qui aliquid impiè sceleratèq; commiserint, agitari, & per-

& perterreri furiarum tedijs ardentibus: sua quemque fraus, & suus terror maximè vexat: suum quemq; scelus agitat, amentiaq; afficit: suæ malæ cogitationes, conscientiaq; animi terrent. hæ sunt impijs assiduæ domesticæq; furiæ, quæ dies noctesq; parentum pœnas à conscelleratissimis filijs repetant. * Hæc magnitudo maleficij facit, vt, nisi penè manifestum parricidium proferatur, credibile non sit: nisi turpis adolescentia: nisi omnibus flagitijs vita inquinata: nisi sumptus effusi cum probro atque dedecore: nisi prorupta audacia: nisi tanta temeritas, vt non procul abhorreat ab insania; accedat huc oportet odium parentis: animaduersionis paternæ metus: amici improbi: serui conscij: tempus idoneum: locus opportunè captus ad eam rem: penè dicam, respersas manus sanguine paterno iudices videant, oportet, si tantum facinus, tam immane, tam acerbum crediturí sunt. * Quare hoc, quò minus est credibile, nisi ostenditur, eò magis est, si conuincitur, vindicandum. itaque cùm multis ex rebus intelligi potest, maiores nostros non modò armis plus, quàm cæteras nationes, verùm etiam consilio sapientiaq; potuisse; tum ex hac re vel maximè, quod in impios singulare supplicium inuenerunt. qua in re quantum prudentia præstiterint ijs, qui apud cæteros sapientissimi fuisse dicuntur, cõsiderate. * Prudentissima ciuitas Athenienſium, dum ea rerum potita est, fuisse traditur. eius porro ciuitatis sapientissimum Solonem dicunt fuisse, eum, qui leges, quibus hodie quoque vtuntur, scripserit. is cùm interrogaretur, cur nullum supplicium constituisset in eum, qui parentem necasset, respondit, se id neminem

68

69

70

factu-

non omnem frugem neque arborem in omni agro reperire posſu: sic non omne facinus in omni vita nascitur. in vrbe luxuries creatur: ex luxuria existat auaritia necesse est: ex auaritia erumpat audacia: inde omnia scelera ac maleficia gignuntur. vita autem haec rustica, quam tu agrestem vocas, parsimonia, diligentia, iustitia magistra est. verùm haec missa facio.

76 illud quaero, si homo, qui, vt tute dicis, nunquã inter homines fuerit, per quos homines hoc tantũ facinus, tam occultum, absens praesertim, conficere potuerit? multa sunt falsa, iudices, quae tamen argui suspiciosè possunt: in hu reb. si suspicio reperta erit, culpam inesse concedam. Romae Sex. Roscius occiditur, cùm in agro Amer. esset filius. literas, credo, misit alicui fiducio, qui Romae nouerat neminem. arcessiuit aliquẽ: at quando? nuncium misit: quem? aut ad quẽ? pretio, gratia, spe, promissis induxit aliquem. nihil horũ ne confingi quidem potest: & tamen caussa de parricidio dicitur. Reliquum est, vt per seruos id admiserit. vbi dij immortales, rem miseram & calamitosam. quod in tali crimine innocenti saluti solet esse, vt seruos in quaestionem polliceatur: id Sex. Rosc. facere nõ licet: vos qui hunc accusatis, omnes eius seruos habetis: vnus puer victus quotidiani administer, ex tanta familia Sex. Roscio relictus nõ est. Te nunc appello P. Scipio, te Metelle: vobis aduocatis, vobis agentibus, aliquoties duos seruos paternos in quaestionem ab aduersariis Sex. Rosc. postulauit. meministisne T. Rosc. recusare? quid? ij serui vbi sunt? Chrysogonum, Iudices, sectantur, apud eum sunt in honore, & in pretio. etiam nunc, vt ex his quaeratur, ego postulo, hic orat,

77 atq;

atque obsecrat. quid facitis? cur recusatis?* dubita- 78 Ironia
te etiam nunc Iudices, si potestis, à quo sit Sex. Rosc.
occisus: ab eone, qui propter illius mortem in egestate
& insidijs versatur, cuine quærendi quidem de morte
patris potestas permittitur? an ab ijs, qui quæstionem
fugitant? bona possident? in cæde, atq; ex cæde viuũt?
omnia Iudices in hac caussa sunt misera atque indi-
gna: tamen hoc nihil neque acerbius, neque iniquius
proferri potest. mortis paternæ de seruis paterni quæ-
stionem habere filio non licet: ne tãdiu quidem domi-
nus erit in suos, dum ex ijs de patris morte quæratur.
veniam neque ita multò post ad hunc locum. Iam hoc
totum ad Rosc. pertinet, de quorum audacia tum me
dicturũ pollicitus sum, cùm Erutij crimina diluissem.
*Nunc Eruti ad te venio. conueniat mihi tecum, ne- 79
cesse est, si ad hunc maleficium istud pertinet, aut ipsũ
sua manu fecisse, id quod negas: aut per aliquos libe-
ros: aut seruos, liberósne, quos neque vt conuenire po-
uerit, neque qua ratione inducere, neq; vbi, neque per
quos, neq; quaspe, aut pretio, potes ostendere? ego cõ-
tra ostendo, non modò nihil eorum fecisse Sex. Ro-
scium, sed ne potuisse quidem facere: quòd neq; Rome
multis annis fuerit, neque de prædijs vnquam temerè
discesserit. restare tibi videbatur seruorum nomen,
quò quasi in portum reiectus à cæteris suspicionibus,
confugere posses: vbi scopulum offendis eiusmodi, vt
non modò ab hoc crimen resilire videas, verùm o-
mnem suspitionem in vosmet ipsos recidere intelligas?
*quid est ergo? quò tandem accusator inopia argu- 80
mentorũ confugerit? eiusmodi tempus erat, inquit, vt
homines vulgò impunè occiderentur: quare tu hoc,

propter multitudinem sicariorum, nullo negocio facere potuisti. interim mihi videris Eruti vna mercede duas res assequi velle, nos iudicio perfundere, accusare autem eos ipsos, à quibus mercedē accepisti. quid ais? vulgò occidebantur? per quos? & à quibus? nónne cogitas te à sectoribus huc adductum esse? quid postea? nescimus, per ista tempora eosdē ferè sectores fuis-
81 se collorum, & bonorum? *ij denique, quibus tum armati dies noctesq; concursabant, qui Romæ erant assidui, qui omni tempore in præda & sanguine versabantur, Sex. Rosc. temporis illius acerbitatem iniquitatemq; obijcient? & illam sicariorum multitudinem, in qua ipsi duces ac principes erant, huic crimini putabunt fore, qui non modò Romæ non fuit, sed omnino quid Romæ ageretur, nesciret, propterea quòd ruri
82 assiduus, quemadmodum tute confiteris, fuit? * vereor, ne aut molestus sim vobis, Iudices, aut ne ingeniis vestris videar diffidere, si de tam perspicuis rebus diutius disseram. Eruti crimination tota, vt arbitror, dissoluta est: nisi forte expectatis, vt illa diluam quæ de peculatu, ac de eiusmodi reb. commentitijs, inaudita nobis ante hoc tempus, ac noua, obiecit. quæ mihi iste visus est ex alia oratione declamare, quam in alium reum commentaretur: ita neque ad crimen parricidij, neque ad eum, qui caussam dixit, pertinebant. de quibus quoniam verbo arguit, verbo satis est negare. si quid est, quod ad testes reseruet, ibi nos quoque, vt in
83 ipsa caussa paratiores reperiet, quàm putabat. * Venio nunc eò quò me non cupiditas duxit, sed fides: nā si mihi liberet accusare, accusarē alios potius, ex quibus possem crescere: quod certum est non facere, dum

virum-

PRO SEX. R

Vtrumnis licebit: ni enim
gni sua virtute in alterum
escendi per alterum enitem
Defuimus aliquando in
quaramus, vbi mali sicarii
iam intelliges Eruti, cer
spicionibus coargueris
& leuiter vnumquemque
cerem, nisi meum esse
facere, quid non per
ius, & mea fides postulabat
periculum Sex. Rosci
tecum enim mihi res
ac te palam adire
videremus si, quem ad
stu prodiret. vñ alias
quibus me ne
quem populus
cem putabat, idemidem
bono fuisse, si vita
nemo conetur
*hunc qui sicarem, a
bant ij, quibus periculum
etsi veritatis vtr
propensus ad miser
ueritatem videbam
sionis vir & contra
nocentia clementissimum
illo ipso acerrimo Iudice
Iudices, quarum etiam
est, nomen ipsum reform

Vtrumuis licebit: is enim mihi videtur amplissimus, qui sua virtute in altiorem locum peruenit, non qui ascendit per alterius incommodum & calamitatem. Desinamus aliquando ea scrutari, quæ sunt inania: quæramus, vbi maleficium & est, & inueniri potest. Iam intelliges Eruti, certum crimen quam multis suspicionibus coarguatur. tametsi neque omnia dicam, & leuiter vnumquodque tangam: neque enim id facerem, nisi necesse esset: & id erit signum me iniustè facere, quòd non persequar longius, quàm salus huius, & mea fides postulabit. *Ca ssam tu nullam re- 84
periebas in Sex. Roscio: at ego in T. Roscio reperio: tecum enim mihi res est T. Rosc. quoniam istic sedes, ac te palàm aduersarium esse profiteris. de Capit. post viderimus si, quemadmodum paratum esse audio, testis prodierit. tu alias quoq; suas palmas cognoscet. de quibus me ne audisse quidem suspicatur. L. Cass. ille, quem populus R. verissimum & sapientissimum iudicem putabat, identidem in causis quærere solebat, cui bono fuisset. sic vita hominum est, vt ad maleficium nemo conetur sine spe, atque emolumento accedere. *hunc quæsitorem, ac iudicem fugiebant, atq; horre- 85
bant ij, quibus periculum credebatur: ideo quod, tametsi veritatis erat amicus, tamen natura non tam propensus ad misericordiam quàm inclinatus ad seueritatem videbatur. ego, quanquã præst huic quæstioni vir & contra audaciam fortissimus, & ab innocentia clementissimus, tamen facilè me paterer, vel illo ipso acerrimo Iudice quærente, vel apud Cassian. Iudices, quorum etiam nuncij, quibus causa dicenda est, nomen ipsum reformidant, pro Sex. Rosc. dicere:

T. Iasius

86 * in hac enim cauſſa cũ viderẽt illos ampliſſimam pecuniam poſsidere, hunc in ſumma mendicitate eſſe, illud quidem nõ quærerent, cui bono fuiſſet, ſed & perſpicuum crimen & ſuſpicionem potius ad prædam adiungerent, quàm ad egeſtatem. quid ſi accedit eodem, vt tenuis antea fuerit? quid ſi, vt auarus? quid ſi, vt audax? quid ſi, vt illius, qui occiſus eſt, inimiciſſimus? num quærenda cauſſa, quæ te ad tantum facinus adduxerit? quid ergo horũ negari poteſt? tenuitas hominis eiuſmodi eſt, vt diſsimulari non queat, atque eo

87 magis eluceat, quo magis occultatur. * auaritiam præfers, qui ſocietatẽ coieris de municipis cognatiq; fortunis cum alienißimo. quàm ſis audax (vt alia obliuiſcar) hinc omnes intelligere potuerunt, quod ex tota ſocietate, hoc eſt, ex tot ſicariis, ſolus tu inuentus es, qui cum accuſatoribus ſederes, atq; os tuum non modò oſtenderes, ſed etiam offerres. inimicitias tibi fuiſſe cum Sex. Roſcio, & magnas rei familiaris controuerſias, concedas, neceſſe eſt. * Reſtat, Iudices, vt hoc

88 dubitemus, vter potius Sex. Roſcium occiderit, is, ad quem morte eius diuitiæ venerint; an is, ad quẽ mendicitas: is qui antea tenuis fuerit; an is, qui poſtea factus ſit egentißimus: is, qui ardens auaritia feratur infeſtus in ſuos; an is, qui ſemper ita vixerit, vt quæſtum noſſet nullum, fructum autem eum ſolum, quẽ labore peperiſſet: is, qui omnium ſectorum audaciſſimus ſit; an is, qui propter fori iudiciorumq; inſolentiam non modò ſubſellia, verùm etiam vrbem ipſam reformidat: poſtremò iudices, id quod ad rẽ mea ſententia maximè pertinet, vtrum inimicus potius, an filius. * Hæc tu Eruti, tot & tanta ſi nactus eſſes in reo,

89 quàm

quàm diu diceres? quo te modo iactares? tempus hercule te citius, quã oratio deficeret: etenim in singulis reb. eiusmodi materies est, vt dies singulos posßis consumere: neq; ego non possum, non enim mihi tantũ derogo, tametsi nihil arrogo, vt te copiosiùs, quã me, putem posse dicere: verùm ego forsitan propter multitudinem patronorũ in grege annumerer. te pugna Cannensis accusatorem sat bonum facit: multos cæsos nõ ad Trasimenum Lacum, sed ad Seruilium vidimus. *quis tibi non est vulneratus ferro Phrygio? non necesse est omnes commemorare, Curtios, Marios, denicq; Mamercos, quos iam ætas à prælijs auocabat: postremò primum ipsum senem, Antistium, quẽ non modo ætas, sed etiam leges pugnare prohibebant. iam quos nemo propter ignobilitatẽ nominat, sexcenti sunt, qui inter sicarios, & de veneficiis accusabant. qui omnes, quod ad me attinet, vellem viuerent: nihil enim mali est, canes ibi quamplurimos esse, vbi permulti obseruandi, multaq; seruanda sunt. * verum, vt fit, multa sæpe imprudentibus imperatoribus vis belli ac turba molitur, dũ is in alijs rebus erat occupatus, qui summam rerum administrabat: erant interea, qui suis vulneribus mederentur, qui tanquam si offusa reip. sempiterna nox esset, ita ruebant in tenebris, omniaq; miscebant, à quibus miror, ne quod iudiciorũ esset vestigium, nõ subsellia quoq; esse combusta: nam & accusatores, & iudices sustulerunt. hoc cõmodi est, quod ita vixerunt, vt testes omnes si cuperent, interficere nõ possent: nam, dum hominũ genus erit, qui accuset eos nõ deerit: dũ ciuitas erit, iudicia fient. Verùm, vt cœpi dicere, & Erutius hæc si haberet in causßa, quæ com-

memorauí, possit ea quamuis diu dicere: & ego iudices possum: sed in animo est, quemadmodum ante dixi leuiter transire, ac tantummodo perstringere vnã quamq; rem, vt omnes intelligant, me non studio accusare, sed officio defendere. * Video igitur causas esse permultas, quæ istum impellerent. videamus nunc, ecquæ facultas suscipiendi maleficij fuerit. Vbi occisus est Sex. Roscius? Romæ. quid tu Roscí, vbi tunc eras? Romæ: verũ quid ad rem? & alij multi. quasi nunc id agatur, qui ex tanta multitudine occiderit: ac nõ hoc quæratur, cum, qui Romæ sit occisus, vtrum verisimilius sit ab eo esse occisum, qui assiduus eo tempore Romæ fuerit; an ab eo qui multis annis Romam omnino nõ accesserit. * Age nunc, cæteras facultates quoque consideremus. Erat tum multitudo sicariorum, id quod commemorauit Erutius: & homines impunè occidebantur. quid? ea multitudo quæ erat? opinor, aut eorum, qui in bonis erant occupati: aut eorum, qui ab ijs conducebantur, vt aliquem occiderent. si eos putas, qui alienum appetebant, tu es in eo numero, qui nostra pecunia diues es: sin eos, quos, qui leuiore nomine appellant, percussores vocant, quares in cuius fide sint, & clientela. mihi crede, aliquem de societate tua reperies. & quicquid tu contra dixeris, id cum defensione nostra contendito. ita facillimè caussa Sex. Roscij cum tua conferetur. * Dices, quid postea, si Romæ assiduus fuit? respondebo; at ego omnino non fui. fateor me sectorem esse: verùm & alij multi. at ego, vt tute arguis, agricola & rusticus. non continuò, si me in gregem sicariorum contuli, sum sicarius. at ego profectò, qui ne noui quidẽ quenquam

quam sicarium, longè absum ab eiusmodi crimine. Permulta sunt quæ dici possunt, quare intelligatur, summam tibi facultatem fuisse maleficij suscipiendi: quæ non modò iccirco pretereo, quòd te ipsum non libenter accuso; verùm eò magis etiam, quòd si de illis cædibus velim commemorare, quæ tum factæ sunt ista eadem ratione, qua Sex. Roscius occisus est, vereor ne ad plures oratio in ea pertinere videatur. *Videamus nunc strictim, sicut cætera quæ post mortem Sex. Roscij abs te T. Rosci facta sunt: quæ ita aperta & manifesta sunt, vt medius fidius Iudices, inuitus ea dicã: vereor enim, *cuiusmodi es Roscî, ne ita hunc videar voluisse seruare, vt tibi omnino non pepercerim, cùm hoc vereor, & cupio tibi aliqua ex parte, quod salua fide possim, parcere, rursus immuto voluntatem meam: venit enim mihi in mentem orîi tui, te, cùm cæteri socij tui fugerent, ac se occultarent, vt hoc iudicium non de illorum præda, sed de huius maleficio fieri videretur, potissimum tibi partes istas depoposcisse, vt in iudicio versarere, & sederes cum accusatore: qua in re nihil aliud assequeris, nisi vt ab omnibus mortalibus audacia tua cognoscatur, & impudentia. *Occiso Sex. Roscio, qui primus Ameriam nunciat? Manlius Glaucia quem iam antea nominaui, tuus cluens & familiaris. quid attinuit eum potissimum nuncidre? quòd si nullũ iam antea consilium de morte, ac de bonis eius inieras, nullamq; societatem neque sceleris, neque præmij cum homine vllo coieras, ad te minimè omnium pertinebat. sua sponte Manlius nũciat? quid quaso eius intererat? an cùm Ameriam nõ huiusce rei causa venisset, casu accidit, vt id, quod

95

96

Rome audierat, primus nunciaret? cuius rei causſa venerat Ameriam? non poſſum, inquit, diuinare. cò rem iam adducam, vt nihil diuinatione opus ſit. qua ratione Roſcio Capitoni primum nunciauit? cùm Ameriæ Sex. Roſcij domus, vxor, liberiq; eſſent: cum tot propinqui cognatiq; optimè cõuenientes; qua ratione factũ eſt, vt iſte tuus cliens, ſceleris tui nuncius, T. Roſcio Capitoni potiſſimùm nũciaret? * occiſus eſt à cœna
97 redeens. nondum lucebat, cùm Ameriæ ſcitũ eſt. quid hic incredibile curſus? quid hac tanta celeritas, feſtinatioq; ſignificat? Nõ quæro quis percußerit: nihil eſt Glaucia, quod metuas: nõ ex. utio te: ſi quid fortè ferri habuiſti, nõ ſcrutor: nihil ad me arbitror pertinere, quoniã, cuius conſilio occiſus ſit, inuenio: cuius manu ſit percuſſus, non laboro. vnum hoc ſumo, quod mihi apertum tuum ſcelus, resq; manifeſta dat, vbi, aut vnde audiuit Glaucia, qui tã citò ſciuit? fac audiſſe ſtatim. quæres cum nocte vna tantum itineris contendere coegit? qua neceſſitas eum tanta premebat, vt, ſi ſua ſponte uter Ameriam faceret, id temporis Roma proficiſceretur? nullam partem nobis requieſceret? etiamne in tam perſpicuis rebus argumentatio quærẽda, aut coniectura capiẽda ſit? * nonne vobis hac, quæ
98 audiſtis, cernere oculis videmini Iudices? non illum miſerum, ignarum caſus ſui, redeuntem à cœna vidiſtis? non poſitas inſidias? non impetum repentinum? non verſatur ante oculos vobis in cæde Glaucia? non adeſt iſte T. Roſcius? non ſuis manibus in curru collocat Automedontem illum, ſui ſceleris acerbiſſimi nefariaq; victoriæ nunciũm? non erat, vt eam noctem peruigilet? vt honoris ſui cauſſa laboret? vt Capitoni

ni quamprimum nuncies?* quid erat, quod Capito- 99
nem primum fore voluerit? nescio: nisi hoc video, Ca-
ptonem in his bonis esse socium: de tribus & decem
fundis tres nobilissimos fundos eum video possidere:
audio præterea, non hanc suspicionem nunc primum
in Captonem conferri: multas esse infames palmas.
*hanc primum esse tamen hominis audaciam, quæ Roma 100
deferatur: nullum modum esse hominis occidendi,
quo ille non aliquot occiderit; multos ferro, multos
veneno. habeo etiã dicere, quem contra morem maio-
rum, minorem annis LX. de ponte in Tyberim deiece-
rit. quæ, si prodierit, atque adeò cum prodierit, (scio
enim proditurum esse.) audies. *veniat modò, expli- 101
cet suum volumen illud, quod ei planum facere possum
Erutium conscripsisse: quod aiunt illum Sex. Roscio
intentasse, & minitatum esse, se omnia illa pro testi-
monio esse dicturum. ô præclarum testem iudices! ô
grauitatem dignam expectatione! ô vitam honestã!
atque ita comparatam, vt libentibus animis ad eius testimo-
nium vestrum iusiurandum accommodetis. profectò
non tam perspicuè istorum maleficia videremus, nisi
ipsos cœcos reddere cupiditas, & auaritia, & audacia.
*alter ex ipsa cæde volucrem nuncium Ameriã 102
ad socium, atque ad magistrum suum misit, vt si dis-
simulare omnes cuperent, se scire ad quem malefi-
cium pertineret, tamen ipse apertum suum scelus
ante omnium oculos ponret: alter, si dijs immor-
talibus placet, testimonium etiam in Sex. Ros-
cium dicturus est. quasi verò id nunc agatur, v-
trum id quod dixerit, credendum, an, quod fecerit,
vindicandum sit. itaque more maiorem comparatam

tum est, vt in minimis rebus homines amplissimi testi-
103 monium de sua re non dicerent. *Africanus, qui suo
cognomine declarat, tertiam partem orbis terrarum
se subegisse, tamen si sua res ageretur, testimonium nō
diceret. nam illud in talem virum non audeo dicere,
si diceret, non crederetur. Videte nunc, quam versa
& mutata in peiorem partem sint omnia. cùm de bo-
nis, & de cæde agatur, testimonium dicturus est is, qui
& sector est & sicarius, hoc est, qui & illorum ipsorū
bonorum, de quibus agitur, emptor atque possessor
est, & eum hominem occidendum curauit, de cuius
104 morte quæritur. *quid tu vir optime? ecquid habes,
quod dicas? mihi ausculta: vide ne tibi desis, tua quo-
que res permagna agitur: multa scelerate, multa
audaciter, multa improbè fecisti, vnum stultissimè,
profectò tua sponte, non de Erutij sententia: nihil opus
fuit te istic sedere. neq; enim accusatore muto, neque
teste quisquam vtitur eo, qui de accusatoris subsellio
surgit. huc accedit, quòd paulò tamen occultior, atque
tectior vestra ista cupiditas esset. nunc quid est, quod
quisquam ex vobis audire desideret, cùm quæ facitis,
eiusmodi sint, vt ea dedita opera à nobis contra vos-
105 metipsos facere videamini? * Age, nunc illa videamus
iudices, quæ statim consecuta sunt. Ad Volaterras in
castra L. Syllæ mors Sex. Roscij quatriduo, quo is oc-
cisus est, Chrysogono nunciatur. Quæritur etiā nunc,
quis eum nuncium miserit, nonne perspicuum est, eū-
dem, qui Ameriam? Curat Chrysogonus, vt eius bo-
na veneant statim, qui non norat hominem, aut rē.
at; qui ei venit in mentem prædia concupiscere homi-
nis ignoti, quem omnino nunquam viderat? soletis,
cùm

cùm aliquid huiusmodi auditis, Iudices, continuò dicere, necesse est aliquem dixisse municipem, aut vicinum ij plerumque indicant: per eos plerique produntur.* hic nihil est quòd suspicionem hanc putetis: non 106
enim ego ita disputabo, verisimile est Roscios istam rem ad Chrysogonum detulisse: erat enim eis cum Chrysogono iam antea amicitia: nam cùm multos veteres à maioribus Roscij patronos, hospitesque haberent, omnes eos colere atque obseruare destiterunt, ac se in Chrysogoni fidem & clientelam contulerunt.* 107
hæc possum omnia verè dicere: sed in hac caussa coniectura nihil opus est. ipsos certò scio non negare, ad hæc bona Chrysogonum accessisse impulsu suo. si eum, qui iudicij partem acceperit, oculis cernetis. Poteritisne dubitare Iudices, qui indicarit? qui sunt igitur in istis bonis, quib. partem Chrysogonus dederit? duo Roscij. num quisquam prætereà? nemo est Iudices. nũ ergo dubium est, quin ij obtulerint hanc prædã Chry- 108
sogono, qui ab eo partem prædæ tuleruni?* Age, nunc
ex ipsius Chrysogoni iudicio Rosciorum factum consideremus. Si nihil in ista pugna Roscij, quod operæ precium esset, fecerant, quam ob caussam à Chrysogono tantis præmijs donabantur? si nihil aliud fecerint, nisi rem detulerunt, nonne satis fuit his gratias agi? denique vt perliberaliter ageretur, honoris aliquid haberi. cur tria prædia, tantæ pecuniæ statim Capitoni dantur? cur, quæ reliqua sunt, iste Roscius omnia cum Chrysogono communiter possidet? nonne perspicuum est Iudices, has manubias Roscij Chrysogonum re cognita concessisse? *venit in Decemprimis legatus in 109
castra Capito. Totam vitam, naturam, mores que homi-

nius

minùs ex ipsa legatione cognoscite, nisi intellexeritis Iudices, nullum esse officium, nullum ius tam sanctum atq; integrum, quod non eius scelus, atq; perfidia violarit, & imminuerit: virum optimum esse eum iudicatote. *Impedimento est, quò minus de his rebus Sylla doceatur: cæterorum legatorum consilia, & voluntatem Chrysogono enunciat: monet vt prouideat, ne palam res agatur: ostendit, si sublata sit venditio bonorum, illum pecuniam grandem amissurum: sese capitis periculum adituru[m]: illum docere: hos, qui simul erant missi, fallere: illum identidem monere, vt caueret, hisce insidiosè spem falsam ostendere: cum illo contra hos inire consilia: horum consilia illi enunciare: cum illo partem suam depasci: hisce, aliqua fretus hora, semper omnes aditus ad Syllam intercludere, postremò isto hortatore, auctore, interessore ad Syllam legati non adierunt, istius fide, ac potius perfidia decepti, id quod ex ipsis cognoscere poteritis, si accusator voluerit testimonium eis denunciare pro re certa spem falsam domum retulerunt.* *In priuatis rebus si qui rē mandatam non modò malitiosius gessisset sui quæstus, aut commodi caussa, verùm etiam negligentius, eum maiores summum admisisse dedecus existimabant. itaq; mandati constitutum est iudicium, non minùs turpe quàm furti: credo propterea, quòd quib. in rebus ipsi interesse non possumus, in his operæ nostræ vicaria fides amicorum supponitur: quam qui lædit, oppugnat omnium communе præsidium, & quantum in ipso est, disturbat vitæ societatem. non enim possumus omnia per nos agere: alius in alia est re magis vtilis: iccirco amicitia

tia comparantur, vt commune commodum mutuis officijs gubernetur. *quid recipis mandatum, si aut 112
neglecturus, aut ad tuum commodum conuersurus? cur mihi te offers, ac meis commodis officio simulato officijs, & obstas? recede de medio: per alium transigam. suscipis onus officij, quod te putas sustinere posse: quod minimè videtur graue ijs, qui minimè ipsi leues sunt. ergo iccirco turpis hac culpa est, quòd duas res sanctissimas violat, amicitiam, & fidem. nam neq; mandat quisquam ferè nisi amico: neq; credit, nisi ei, quem fidelem putat. perditissimi est igitur homini, simul & amicitiam dissoluere, & fallere eum, qui læsus non esset, nisi credidisset. *itane est? in minimis rebus, qui 113
mandatum neglexerit, turpissimo iudicio condemnetur necesse est: in re tanta, cùm is, cui fama mortui, fortunæ viui commendatæ sunt, atq; concreditæ, ignominia mortuum affecerit, is inter honestos homines, atq; adeò inter viuos numerabitur? in minimis priuatisq; rebus etiam negligentia in crimen mandati iudicijq; infamiam reuocatur: propterea quòd, si rectè fiat, illum negligere oporteat, qui mandarit, non illum, qui mandatum receperit. in re tanta, quæ publicè gesta, atq; commissa sit, qui non negligentia priuatum aliquod commodum læserit, sed perfidia, legationis ipsius cæremoniam polluerit, maculaq; affecerit; quæ tandem pœna afficietur? aut quo iudicio damnabitur? *si hanc ei rem priuatim Sex. Roscius 114
mandauisset, vt cum Chrysogono transigeret atq; decideret, inq; eam rem fidem suam, si quid opus esse putaret, interponeret ille, qui sese facturum recepisset, nonne, si ex eo negocio tantulum in rem suam

con-

conuertisset, damnatis per arbitrum, & rem restituêret, & honestatem omnem amitteret? *nunc non hãc ei rẽ Sex. Roscius mandauit: sed id quòd multò grauius est, ipse Sex. Roscius cum fama, vita, bonisq; omnibus à decurionibus publicè Roscio mandatus est: & ex eo T. Roscius non paulùm nescio quid in rem suam conuertit, sed hũc funditus euertit bonis: ipse tria prædia sibi depactus est: voluntatem decurionum ac municipum omnium tantidem, quanti fidem suam, fe-
116 cit. *Videte iam porrò cætera iudices, vt intelligatis fingi maleficium nullum posse, quo iste sese non contaminarit. In rebus minoribus socium fallere turpissimum est, aqueq; turpe, atq; illud, de quo antè dixi: neque iniuria, propterea quod auxilium sibi se putat adiunxisse, qui cum altero rem communicauit. ad cuius igitur fidem confugiet, cùm per eius fidem læditur, cui se commiserit? atqui ea sunt animaduertenda peccata maximè, quæ difficillimè præcauẽtur. tecti esse ad alienos posumus: intimi multa apertiora videant necesse est: sociũm vero cauere qui posumus, quem etiamsi metuimus, ius officij lædimus? rectè igitur maiores eum, qui socium fefellisset, in virorum bonorum numero non putarunt haberi oportere. *at
117 vero T. Roscius non vnum rei pecuniariæ socii fefellit, (quod tametsi grauis est, tamen aliquo modo posse ferri videtur) verùm nouem homines honestissimos, eiusdem numeris, legationis, officij, mandatorumque socios, induxit, decepit, destituit, aduersarijs tradidit, omni fraude & perfidia fefellit: quis de eius scelere suspicari nihil potuerunt: socium efficij metuere nõ debuerunt: eius malitiam non viderunt: orationi vanæ credi-

crediderunt. ita nunc ill
pter istius insidias peri
isse. iste, qui vnius produc
prauò sociorum conspira
inde societatem cum ipsi
am nos, ac nonnullos bẽi
scelere, ornatus. In eius
tantisq; flagitijs hoc quoq
diuinus est, reperitis. *
vbi multa amicè, multa
multa perfidiosè facta vi
terenter illatos flagitia,
dem minimè latet, quid
est, vt nõ ex illis malefic
intelligatur, verum ex hu
tè dubitetur, omnes aut
dices? num aut ille iam
cessisse videtur? aut hic
de arte imodesta? par est
tas, satis impudenter, pe
niam fidem magis impu
puli æquitatem. * Dum
stulatos esse diuitis dom
per T. Rosci vanitatẽ
bant, indigni erant, qui
mouebat, pro qua pos
qua videbatur? postul
que integerrimi nostra
minum: quæ ita vixer
tur, vt quicquid dicere
putarit. postulabant au

trediderunt. ita nunc illi homines honestissimi propter istius insidias parū putantur cauti prouidiq; fuisse. iste, qui initio proditor fuit, deinde perfuga: qui primò sociorum consilia aduersarijs enunciauit, deinde societatem cum ipsis aduersarijs coijt; terret etiam nos, ac minatur tribus prædijs, hoc est, præmijs sceleris, ornatus. In eius modi vita ludices, in his tot tantisq; flagitijs hoc quoque maleficium, de quo iudicium est, reperietis. * etenim quærere ita debetis; 118
vbi multa auarè, multa audaciter, multa improbè, multa perfidiosè facta videtis, ibi scelus quoque latere inter illa tot flagitia, putatote. tametsi hoc quidem minimè latet, quòd ita promptum, & propositū est, vt nō ex illis maleficijs, quæ in illo constat esse, hoc intelligatur, verùm ex hoc, etiamsi quòd illorum forte dubitatur, conuincatur. Quid tandem, quæso, iudices? num aut ille lanista omnino tam à gladijs recessisse videtur? aut hic discipulus magistro tantulū de arte concedere? par est auaritia, similis improbitas, eadē impudentia, gemina audacia. etenim quoniam fidem magistri cognostis, cognoscite nunc discipuli æquitatem. * Dixi tam antea, sæpenumero po- 119
stulatos esse ab istis duos seruos in quæstionē: tu semper T. Rosci recusasti. quæro abs te, vtrum qui postulabant, indigni erant, qui impetrarent? an iste non cōmouebat, pro quo postulabant? an res ipsa tibi iniqua videbatur? postulabant homines nobilissimi, atque integerrimi nostræ ciuitatis, quos iam antea nominaui: qui ita vixerunt, talesq; à populo R. putantur, vt quicquid dicerent, nemo esset qui non æquum putaret. postulabant autem pro homine miserrimo,

atque infelicissimo, qui vel ipse sese in cruciatum dari cuperet, dum de patris morte quæreretur. res porrò abs te eiusmodi postulabatur, vt nihil interesset, vtrũ
120 eam rẽ recusares, an de maleficio confiterere. * Quæ cum ita sint, quæro abs te; quam ob causſam recusarũ? cùm occiditur Sex. Roscius, ibidem fuerunt. seruos ipsos, quod ad me attinet, neq; arguo, neq; purgo: quòd à vobis hos pugnari video, ne in quæstionem detur, suspicioſum est: quòd verò apud vos ipsos in honore tanto sunt, profectò necesse est, sciant aliquid, quod si dixerint, pernicioſum vobis futurũ sit. in dominos quari de seruis, iniquum est. anné quæritur? Sex. enim Roscius reus est: neq; enim, cũ de hoc quæritur, vos esse dominos dicitis, cũ Chrysogono sunt. ita credo: literis eorum, & vrbanitate Chrysogonus ducitur, vt inter suos omnium deliciarum atq; omnium artium puerulos, ex tot elegantissimis familiis lectos, velit hos versari, homines penè operarios, ex Amerina
121 disciplina patrisfamiliæ rusticani. * non est ita profectò iudices: non est verisimile, vt Chrysogonus horum literas adamarit, aut humanitatem: nõ vt rei familiaris negocio diligentiam cognorit eorum, & fidem. est quiddam, quod occultatur: quod quò studioſius ab ipsis opprimitur, & absconditur, eò magis eminet &
122 apparet. * quid igitur? Chrysogonus sui maleficij occultandi causſa, quæstionẽ de his haberi non vult? minime Iudices. non in omnes arbitror omnia conuenire. ego in Chrysogono, quod ad me attinet, nihil eiusmodi suspicor: neq; hoc mihi nunc primùm in mentẽ venit dicere: meminisſis me ita distribuisse initio causſam; in crimen, cuius tota argumentatio per missa

Erutio

Erutio est: & in audaciam, cuius partes Roscijs im-
positæ sunt. quidquid maleficij, sceleris, cædis erit, pro-
prium id Rosciorum esse debebit. nimiam gratiã po-
tentiamq; Chrysogoni dicimus & nobis obstare, &
præferri nullo modo posse, & à vobis, quoniam potestas
data est, non modò infirmari, verùm etiam vindicari
oportere. * ego sic existimo; qui quæri velit ex ijs, quos 123
constat, cùm cædes facta sit, affuisse, eum cupere verũ
inuenire: qui recuset, eum profectò tametsi verbo non
audet, tamen reipsa de maleficio suo confiteri. Dixi
initio Iudices, nolle me plura de istorum scelere dicere,
quàm caussa postularet, ac necessitas ipsa cogeret. nã
& multæ res afferri possũt, & de vnaquaq; earũ mul-
tis cum argumentis dici potest: verùm ego, quod inui-
tus ac necessariò facio, neq; diu, neq; diligenter facere
possum. quæ præteriri nullo modo poterant, ea leuiter
Iudices attigi. quæ posita sunt in suspicionibus, de qui-
bus, si cœpero dicere, pluribus verbis sit disserendum, ea
vestro ingenio coniecturæq; committo. * Venio nunc 124
ad illud nomen aureum Chrysogoni: sub quo nomine
tota societas statuitur: de quo Iudices neq; quo modo
dicam, neque quo modo taceam reperire possum. si e-
nim taceo, vel maximam partem relinquo: sin autem
dico, vereor ne non ille solus, id quod ad me nihil attí-
net, sed alij quoque plures læsos se esse putent. tametsi
ita res se habet, vt mihi in communem caussam secto-
rum dicendum nihil magnopere videatur: hæc enim
caussa noua profectò & singularis est. * Bonorũ Sex. 125
Roscij emptor est Chrysogonus. Primum hoc videa-
mus, eius hominis bona qua ratione venierint, aut
quo modo venire potuerint. atq; hoc non ita quæram

Iudices, vt id dicam, esse indignum hominis innocentis bona venisse: sienim hæc audientur, ac liberè dicentur, non fuit tantus homo Sex. Roscius in ciuitate, vt de eo potissimum conqueramur. verùm ego hoc quæro; qui potuerunt ista ipsa lege, quæ de proscriptione est siue Valeria est siue Cornelia, (nõ enim noui, nec scio) verùm ista ipsa lege bona Sex. Roscij venire qui potuerunt? *scriptum enim ita dicunt esse, 126
vt eorum bona venirent, qui proscripti sunt: quo in numero Sex. Roscius non est: aut eorum qui in aduersariorum præsidijs occisi sunt. dum præsidia vlla fuerunt, in Syllæ præsidijs fuit. posteaquam ab armis recesserunt, in summo ocio, rediens à cœna, Romæ occisus est. si lege: bona quoque lege venisse fateor. sin autem constat, contra omnes non modò veteres leges, verũ etiam nouas occisum esse: bona quo iure, aut quo 127
modo, aut qua lege venierunt, quæro. *in quẽ hoc dicam? quæris Eruti? non in eum, quem vis & putas: nam Syllam & oratio mea ab initio, & ipsius eximia virtus omni tempore purgauit. ego hæc omnia Chrysogonum fecisse dico, vt ementiretur, vt malũ ciuem Roscium fuisse fingeret, vt eum apud aduersarios occisum esse diceret, vt his de rebus à legatis Amerinorũ doceri L. Syllam passus non sit. denique etiam illud suspicor, omnino hæc bona non venisse. id quod postea 128
si per vos Iudices licitum erit aperietur. *opinor enim esse in lege quam ad diem proscriptiones, venditiones. quæ fiant, nimirum ad Kal. Iul. aliquot post menses & homo occisus est. & bona venisse dicuntur. profectò aut hæc bona in tabulas publicas nulla redierunt, nosq; ab isto nebulone facetiùs deludimur, quàm putamus:

tamus: aut, si redierunt, tabulæ publicæ corruptæ aliqua ratione sunt: nam lege quidem bona venire nõ potuisse constat. Intelligo, me ante tempus, Iudices, hæc scrutari, & propemodum errare, qui, cum capiti Sex. Roscij mederi debeam, reliquiam curem: non enim laborat de pecunia, non vllius rationem sui commodi ducit: facile egestatẽ suam se laturum putat, si hac indigna suspicione, & ficto crimine liberatus sit. * Verum quæso à vobis iudices, vt hæc pauca, quæ restant, ita audiatis, vt partim me dicere pro me ipso putetis, partim pro Sex. Roscio: quæ enim mihi ipsi indigna & intolerabilia videntur, quæque ad omnes, nisi prouidemus, arbitror pertinere, ea pro me ipso, ex animi mei sensu ac dolore pronuncio: quæ ad huius vitæ casum, caussamq; pertineant, & quid hic pro se dici velit, & qua conditione contentus sit, iam in extrema oratione nostra iudicetis. * Ego hæc à Chrysogono mea sponte, remoto Sex. Roscio, quæro: primũ, quare ciuis optimi bona venierint: deinde, quare hominis eius, qui neque apud aduersarios occisus est, neque proscriptus fuerat, bona venierint, cum in eos solos lex scripta sit: deinde, quare aliquanto post eam diem venierint, quæ dies in lege præfinita est: deinde, cur tantulo venierint. quæ omnia si, quemadmodum solent liberti nequam & improbi facere, in patronũ suum voluerit conferre, nihil egerit: nemo est enim, qui nesciat, propter magnitudinem rerũ multa multos partim conniuente, partim imprudente L. Sylla commisisse. * placet igitur in his rebus aliquid imprudentiæ præteriri? non placet, Iudices, sed necesse est. etenim si Iupiter Opt. Max. cuius nutu & arbitrio

129

130

131

cœlum, terra, mariaq; reguntur, sæpè ventis vehemẽtioribus, aut immoderatis tempestatibus, aut nimio çalore, aut intolerabili frigore, hominibus nocuit, vrbes deleuit, fruges perdidit: quorum nihil perniciei çaussa diuino consilio, sed vt ipsa, & magnitudine rerum factum putamus: at contra, commoda quibus vtimur, lucemq; qua fruimur, spiritumq; quem ducimus, ab eo nobis dari, atq; impertiri videmus, quid miramur, L. Syllam, cùm solus remp. regeret, orbemq; terrarum gubernaret, imperijq; maiestatem, quam armis receperat, legibus confirmaret, aliqua animaduertere non potuisse? nisi hoc mirum est, quod vis diuina assequi non possit, si id mens humana adepta non
132 sit. *verùm vt hæc missa faciam, quæ iam facta sunt; ex ijs, quæ nunc maximè fiunt, nónne quiuis potest intelligere, omnium architectum, & machinatorem vnum esse Chrysogonum, qui Sex. Roscij nomen ferendum curauit, hoc iudicium conflauit, cuius honoris caussa accusare se dicit Erucius?

deſunt non pauca.

133 *aptam, & ratione dispositam se habere existimant, qui in Salentinis, aut in Brutijs habent, vnde vix ter in anno audire nuncium possint alter tibi descendit de Palatio & ædibus suis, habet animi relaxandi causa rus amœnum, & suburbanũ, plura præterea prædia, neq; tamen vllum nisi præclarum & propinquũ: domus referta vasis Corinthijs & Deliacis, in quibus est authepsa illa, quam tanto precio nuper mercatus est, vt, qui prætereuntes pretium enumerari audiebant,

bant, fundum venire a
celati argenti? quid fr
tabularum? quid signor
illum putatis esse? tamen
splendidaq; familia in
vnam domo potuit. *
quam variis cum artifi
mitto hæc artes vulg
animi & aurium caus
tibicen cantu vocum &
cturnig; concentus tam
ta indices quos sum
fieri potuit? quæ verò
eius modi domo: si domi
officina negotiatur, &
*ipse verò quam at mode
pillo passim per fori vola
gatorum, videtis, iudices
minem pro se venire pa
potentem putet. quæ ve
velim commemorare, ve
tior existimet me cau
laisse ladere: tamen si m
parte mihi non placet
ne quis alienũ me animo
tatiu existimet. *
tenuis informatq; parta
voluit fieri nõ potuit, v
fodisse, vt ij vincerent,
qui nõ vt deret humilio
diua contenderet? quo

bant, fundum venire arbitrarentur. quid præterea
cælati argenti? quid stragulæ vestis? quid pictarum
tabularum? quid signorum? quid marmoris apud
illum putatis esse? tantum scilicet, quantum è multis
splendidusq; familiis in turba & rapinis coaceruari
vna in domo potuit. * Familiam verò quantam, & 134
quàm varijs cum artificijs habeat quid ego dicam?
mitto hasce artes vulgares, coquos, pistores, lecticarios,
animi & aurium caussa tot homines habet, vt quo-
tidiano cantu vocum & neruorum, & tibiarum, no-
cturnusq; conuiuijs tota vicinitas personet. in hac vi-
ta Iudices quos sumptus quotidianos, quas effusiones
fieri putatis? quæ verò conuiuia? honesta credo, in
eiusmodi domo: si domus hæc habenda est potius, quã
officina nequitiæ, & diuersorium flagitiorũ omnium.
* Ipse verò quemadmodum composito & delibuto ca- 135
pillo passim per forũ volitet, cum magna caterua to-
gatorum, videtis, Iudices, vt omnes despiciat: vt ho-
minem præ se neminẽ putet: vt se solum beatum, solũ
potentem putet. quæ verè efficiat, & quæ conetur, si
velim commemorare, vereor, Iudices, ne quis imperi-
tior existimet me caussã nobilitatis victoriamq; vo-
luisse ladere: tametsi meo iure possum, si quid in hac
parte mihi non placeat, vituperare: non enim vereor,
ne quis alienũ me animum habuisse à caussa nobili-
tatis existimet. * sciunt ij, qui me norunt, me pro illa 136
tenui infirmaq; parte, posteaquam id, quod maximè
volui fieri nõ potuit, vt cõponeretur: id maximè de-
fendisse, vt ij vincerent, qui vicerunt. quis enim erat,
qui nõ videret humilitatẽ cum dignitate de amplitu-
dine contendere? quo in certamine perditi ciuis erat,

pon se ad eos adiungere, quibus incolumibus, & domi dignitas, & foris auctoritas, retineretur. quæ perfecta esse, & suum cuiq; honorem, & gradum redditum, gaudeo Iudices, vehementerqúe lator, eaqúe omnia deorum voluntate, studio populi R. consilio, &
137 imperio, & felicitate L. Syllæ gesta esse intelligo* quo animaduersum est in eos, qui contra omni ratione pugnarent: non debeo reprehendere. quod viris fortibus, quorum opera eximia in rebus gerendis extitit, honos habitus est: laudo, quòd vt fierent, iccirco pugnatum esse arbitror: meq; in eo studio partium fuisse confiteor. sin autem id actum est, & iccirco arma sumpta sunt, vt homines postremi pecuniis alienis locupletarentur, & in fortunas vniuscuiusq; impetum facerent: & id non modò re prohibere non licet, sed ne verbis quidẽ vituperare; tum vero in isto bello non recreatus, neque restitutus, sed subactus oppressusq; po-
138 pulus Ro. est. * verum longè aliter est: nihil horum est Iudices: non modò non lædetur caussa nobilitatis, si istis hominibus resistetis, verum etiam ornabitur. etenim qui hæc vituperare volunt, Chrysogonum tãtum posse queruntur: qui laudare volunt, concessum ei nõ esse commemorant. Ac iam nihil est, quod quisquam aut tam stultus, aut tam improbus sit, qui dicat; vellem quidem liceret, hoc dixissem: dicas, licet. hoc fecissem: facias, licet, nemo prohibet. hoc decreuissem: decerne, modo rectè, omnes approbabunt. hoc iudicassem: laudabunt omnes, si rectè & ordine iu-
139 dicaru. * dum necesse erat, res q; ipsa cogebat, vnus omnia poterat: qui posteaquam Magistratus creauit, leges q; constituit, sua cuiq; procuratio auctoritasqúe

est

est restituta: quã si retinere volunt ij, qui receperunt, in perpetuum poterunt obtinere. sin has cades, & rapinas, & hostiarios, tamq; profusos sumptus aut facient, aut approbabunt: nullo in eos graeuius quicquã omino ne omnium quidem causa dicere. vnum hoc dico; nostri isti nobiles, nisi vigilantes, & boni, & fortes, & misericordes erunt ijs hominibus, in quibus haec erunt ornamenta, sua concedant necesse est. * quapropter 140
desinant aliquando dicere, male aliquem locutum esse, si quis verè ac liberè locutus sit: desinãt suam causam cum Chrysogono communicare: desinant, si ille laesus sit, de se aliquid detractum arbitrari: videant ne turpe miserumque sit, eos qui eq̃estrem splendorem pati non potuerunt, serui nequissimi dominationem ferre posse, quae quidem dominatio Iudices in aliis rebus antea versabatur: nunc verò quam viam munitet, quò iter affectet, videtis: ad fidem, ad iusiurandum, ad iudicia vestra, ad id quod solum propè in ciuitate sincerum, sanctumq; restat. * hic ne etiam 141
sese putat aliquid posse Chrysogonus? hic etiam potens esse vult? ô rem miseram atque acerbam! neque me hercules hoc indignè fero, quòd verear, ne quid possit: verùm quòd ausus est, quòd sperauit sese apud tales viros aliquid ad perniciem posse innocentis, id ipsũ queror: iccircone experrecta nobilitas, armis atq; ferro remp. recuperauit, vt ad libidinẽ suam libertis seruulisq; nobilium, bona, fortunas vestras, nostrasq; vexare possent? * si id actum est, fateor me errasse, qui 142
hoc maluerim: fateor insanisse, qui cũ illis senserim: tametsi inermus, Iudices sensi. sin autem victoria nobilium ornamento, atque emolumento reip. populoq;

R debet esse, tum verò optimo, & nobilissimo cuique meam orationem grauissimam esse oportet. quòd si quis est, qui & se, & caussam lædi putet, cùm Chrysogonus vituperetur, is caussam ignorat, se ipsum propè non nouit: caussa enim splendidior fiet, si nequissimo cuique resistetur: ille improbissimus Chrysogoni fautor, qui sibi cum illo rationem communicatam putat, læditur, cùm ab hoc splendore caussa separatur.* verum hæc omnis oratio, vt iam antè dixi, mea est: qua me vti resp. & dolor meus, & istorum iniuria coegit. sed Roscius horum nihil indignum putat, neminem accusat: nihil de suo patrimonio queritur: putat homo imperitus morum, agricola, & rusticus ista omnia, quæ vos per Syllam gesta esse dicitis, more, lege, iure gentium facta: culpa liberatus, & crimine nefario solutus, cupit à vobis discedere: *si hæc indigna suspicione careat, animo æquo se carere suis omnibus commodis dicit: rogat, oratq; te Chrysogone, si nihil de patris fortunis amplissimis in suam rem conuertit, si nulla in re te fraudauit, si tibi optima fide sua omnia cõcessit, adnumerauit, appendit, si vestitũ, quo ipse tectius erat, annulũq; de digito, si os suum tibi tradidit, si ex omnibus rebus se ipsum nudum, neque præterea quicquam, excepit, vt sibi per te liceat innocenti amicorũ opibus vitam in egestate degere.* prædia mea tu possides: ego aliena misericordia viuo. cõcedo: & quòd animus æquus est, & quia necesse est. mea domus tibi patet: mihi clausa est, fero, familia mea maxima vtetur: ego seruum habeo nullũ, patior, & ferendũ puto. quid vis amplius? quid insequeris? quid oppugnas? qua in re tuam voluntatem lædi à me putas?

putas? vbi tuis commodis officio? quid tibi obsto? si spoliorum caussa vt hominē occiderē: spoliasti, quid quæris amplius? si inimicitiarū: quæ sunt tibi inimicitiæ cum eo, cuius antea prædia possedisti, quàm ipsum cognouisti? si metus: ab cōne aliquid metuis, quem vides ipsum ab sese tam atrocem iniuriam propulsare non posse? sin, quod bona, quæ Roscij fuerunt, tua facta sunt, iccirco huius illius filium studes perdere: nónne ostendis id te vereri, quod præter cæteros tu metuere non debeas, ne quando liberis proscriptorum bona patria reddantur? * facis iniuriam L. Sylla, Chry- 146
sogone, si maiorem spem emptionis tuæ in huius exitio ponis, quā in ijs rebus, quas L. Sylla gessit, quod si tibi caussa nulla est, cur hunc miserū tanta calamitate affici velis: si tibi omnia sua præter animā tradidit, nec sibi quidquā paternū, ne monimenti quidē causa, reseruauit: per deos immortales, quæ ista tanta crudelitas est? quæ tam fera immanitas, quæ natura? quis vnquā prædo fuit tam nefarius, quis pirata tā barbarus, vt, cùm integrā prædam sine sanguine habere posset, cruenta spolia detrahere mallet? * scis hunc nihil ha- 147
bere, nihil audere, nihil posse, nihil vnquā contra rem tuam cogitasse: & tamen oppugnas eum, quem neq; metuere potes, neq; odisse debes, nec quicquam habere iam reliqui vides, quod ei detrahere possis: nisi hoc indignum putas, quòd vestitum sedere in iudicio vides, quem tu è patrimonio tanquam naufragio nudū expulisti. quasi verò nescias hunc & ali, & vestiri à Cæcilia Balearici filia, Nepotis sorore, spectatissima fœmina: quæ cū patrē clarissimū, amplissimos patruos, ornatissimum fratrem haberet, tamen, cùm mulier, virtu-

virtute perfecit, vt quanto honore ipsa ex illorum dignitate afficeretur, nõ minora illis ornamenta ex sua
148 laude redderet. * An, quod diligenter defenditur, id tibi indignum facinus videtur? mihi crede, si pro patris eius hospitijs, & gratia vellet omnes huius hospites adesse, & auderent libere defendere, satis copiosè defenderetur: sin autẽ pro magnitudine iniuriæ, progq; eo, quòd summa reip. in huius periculo tentatur, hæc omnes vendicarent: consistere mehercule vobis isto in loco non liceret. nunc ita defenditur, non sanè vt molestè ferre aduersarij debeant, neque vt se potentia su-
149 perari putent. * quæ domi gerenda sunt, ea per Cæciliam transiguntur: fori iudicijq; rationem Messala, vt videtis, Iudices, susceptt, qui si iam satis ætatis atq; roboris haberet, ipse pro Sex. Roscio diceret: quoniam ad dicendum impedimento est ætas, & pudor, qui ornat ætatem, caussam mihi tradidit, quẽ sua caussa cupere ac debere intelligebat: ipse assiduitate, consilio, auctoritate, diligentia perfecit, vt Sex. Roscij vita erepta de manibus sectorum, sententijs Iudicũ permitteretur. mirum Iudices pro hac nobilitate pars maxima ciuitatis in armis fuit, hæc actares est, vti nobiles restituerentur in ciuitatem, qui hoc facerent, quod facere Messalã videtis, qui caput innocentis defenderent, qui iniuriæ resisterent, qui quantum possent, in salute alterius, quã in exitio mallent ostendere. quod si omnes, qui eodem loco nati sunt facerent, & resp. ex
150 illis, & ipsi ex inuidia minus laborarent. * verùm si à Chrysogono Iudices non impetramus, vt pecunia nostra contentus sit, vitam ne petat: si ille adduci non potest, vt cũ ademerit nobis omnia, quæ nostra erant

pro-

Propria, ne lucem quoque hanc, quæ communis est, ci-
pere cupiat: si non satis habet auaritiam suam pe-
cuniæ explere, nisi etiam sanguinis perlitus sit, vnum
perfugium, Iudices, vna spes reliqua est Sex. Roscio,
eadem quæ reipublicæ, vestra pristina bonitas & mi-
sericordia. quæ si manet, salui etiam nunc esse possu-
mus. sin ea crudelitas, quæ hoc tempore in rep. versa-
ta est, vestros quoque animos, id quod fieri profectò
non potest, duriores, acerbioresq; reddit, actum est, Iu-
dices: inter feras satius est ætatem degere, quàm in hac
tanta immanitate versari. *ad eámne rem vos re- 151
seruati estis, ad eámne rem delecti, vt eos condemna-
retis, quos sectores, ac sicarij iugulare non potuissent?
solent hoc boni Imperatores facere, cùm prælium cò-
mittunt, vt in eo loco, quo fugam hostium fore arbi-
trantur, milites collocent, in quos, si qui ex acie fu-
gerint, de improuiso incidant. nimirum similiter ar-
bitrantur isti bonorum emptores, vos hic tales viros
sedere, qui excipiatis eos, qui de suis manibus effu-
gerint, dij prohibeant, Iudices, vt hoc, quod maiores cò-
silium publicum vocari voluerunt, præsidium secto-
rum existimetur. * An verò Iudices vos non intelligi- 152
tis, nihil aliud agi, nisi vt proscriptorum liberi quauis
ratione tollantur? & eius rei initium in vestro iure-
iurando atque in Sex. Roscij periculo quæri? dubium
est, ad quem maleficium pertineat, cùm videatis ex
altera parte sectorum, inimicum sicarium, eúdemq;
accusatorem hoc tempore: ex altera agentem, proba-
tum suis filium, in quo non modò culpa nulla, sed ne
suspicio quidem potuit consistere? nunquid hic aliud
videtis obstare Roscio, nisi quòd patris bona venie-
runt?

153 runt? * quòd si id vos suscipitis, & eadem in re operam vestram profitemini: si iccirco sedetis, vt ad vos adducantur eorum liberi, quorum bona venierunt, cauete per deos immortales Iudices, ne noua, & multo crudelior per vos proscriptio instaurata esse videatur. illam priorem, quæ facta est in eos, qui arma capere potuerunt, tamen senatus suscipere noluit, ne quid acrius, quàm more maiorum comparatum est, publico consilio factum videretur. hanc verò, quæ ad eorum liberos, atq; infantium puerorum incunabula pertinet, nisi hoc iudicio à vobis reijcitis, & aspernamini, videte per deos immortales, quem in locum
154 Rempublicam peruenturam putetis. * homines sapientes, & ista auctoritate & potestate præditos, qua vos estis, ex quibus rebus maximè resp. laborat, ijs maximè mederi conuenit. Vestrûm nemo est, quin intelligat populum Romanum, qui quondam in hostes leuissimus existimabatur, hoc tempore domestica crudelitate laborare. hanc tollite ex ciuitate Iudices: hanc pati nolite diutius in hac rep. versari: quæ non modò id habet in se mali, quòd tot ciues atrocissimè sustulit: verùm etiam quòd hominibus lenissimis ademit misericordiam consuetudine incommodorum: nam cùm omnibus horis aliquid atrociter fieri videmus, aut audimus, etiam qui natura mitissimi sumus, assiduitate molestiarum, sensum omnem humanitatis ex animis amittimus.

Desit fortasse quippiam.

PRO

PRO Q. ROSCIO COMOEDO,

ORATIO III.

Principium deest: etiam narratio, si quæ fuit cum nonnulla parte confirmationis.

malitiam naturæ, crederetur. is scilicet vir optimus, & singulari fide præditus, in suo iudicio tabulis suis testibus vti conatur. solent ferè dicere qui per tabulas hominis honesti pecuniam expensam tulerunt, Egóne talem virum corrumpere potui, vt meæ caussa falsum in codicem referret? expecto, quàm mox Chærea hac oratione vtatur, Egóne hanc manum plenã perfidiæ, & hos digitos meos impellere potui, vt falsum perscriberent nomen? quòd si ille suas proferet tabulas, proferet suas quoque Roscius. erit in illius tabulis hoc nomẽ. at in huius non erit. cur potius illius, quàm huius credetur? scripsisset ille, si non iussu huius expensum tulisset? non scripsisset hic, quod sibi expensum ferri iussisset? nam quemadmodum turpe est scribere, quod non debetur; sic improbum est non referre, quod debeas: æque enim tabulæ condemnantur eius, qui verum non retulit; & eius, qui falsum perscripsit. Sed ego copia & facultate caussæ confisus, vide, quo progrediar. si tabulas C. Fannius acceptí, & expensi proferi suas, in suam rem, suo arbitratu scriptas, quo minus secundum illum iudicetur, non recuso.

* quis

3 *quis hoc frater fratri, quis parens filio tribuit, vt quodcunque retulisset, id ratum haberet? ratum habebit Roscius. profer. quod tibi fuerit persuasum, huic erit persuasum: quod tibi fuerit probatum, huic erit probatum. paulo ante à M. Perpenna, P. Saturi, tabulas poscebamus, nunc tuas, C. Fanni Cherea, solius flagitamus: &, quo minus secundum eas iudicetur, non recusamus. * quid ita non profers? non conficit tabulas? imo diligentissime. non refert parua nomina in codices? imo omnes summæ, leue & tenue hoc nomen? H-S CCCIↃↃↃ sunt: quomodo tibi tanta pecunia extraordinaria tacet? quomodo H-S CCCIↃↃↃ in codice accepti & expensi nõ sunt? proh dij immortales, esse ne quenquam tanta audacia præditum, qui quod nomen referre in tabulas timeat, id petere audeat? quod in codicem iniuratus referre noluit, id iurare in litem non dubitet? quod sibi probare non potuit, id persuadere alteri conetur? * Nimium cito ait me indignari de tabulis: non habere se hoc nomen in codice accepti & expensi relatum confitetur, sed in aduersarijs patere contendit. vsque eo ne te diligis, & magnifice circumspicis, vt pecuniam non ex tuis tabulis, sed aduersarijs petas? suum codicem testis loco recitare, arrogantiæ est: suarum perscriptionum, & liturarum aduersaria proferre, non amentiæ est? * quod si eandem vim, diligentiam, auctoritatem habent aduersaria, quam tabulæ, quid attinet codicem instituere, conscribere? ordinem conseruare? memoriæ tradere literarum vetustatem? sed si, quod aduersarijs nihil credimus, iccirco codicem scribere instituimus: quod etiam apud omnis leue & infirmum

firmum est, id apud iudicem graue & sanctum esse dicetur? * quid est, quod negligenter scribamus aduersaria? quid est, quod diligenter conficiamus tabulas? qua de caussa? quia hæc sunt menstrua, illæ sunt æternæ: hæc delentur statim, illæ seruantur sanctè; hæc parui temporis memoriam, illæ perpetuæ existimationis fidem & religionem amplectuntur: hæc sunt deiecta, illæ in ordinem confecta. itaque aduersaria in iudicium protulit nemo: codicem protulit: tabulas recitauit. tu C. Piso, tali fide, virtute, grauitate, auctoritate ornatus, ex aduersarijs pecuniam petere non auderes. * ego, quæ clara sunt consuetudine, diutius dicere non debeo: illud vero, quod ad rem vehementer pertinet, quæro; quam pridem hoc nomen Fanni in aduersaria retulisti? erubescit: quid respondeat, nescit: quid fingat extemplo, non habet, sunt duo menses iam, dices: tamen in codicē accepti & expensi referri debuit. amplius sunt sex menses, cur tamdiu iacet hoc nomen in aduersarijs? quid, si tandem amplius triennium est? quomodo, cum omnes, qui tabulas conficiant, menstruas pene rationes in tabulas transferant, tu hoc nomen triennium amplius in aduersarijs iacere pateris? * vtrum cætera nomina in codicem accepti & expensi digesta habes, an non? si non, quomodo tabulas conficis? si etiam, quamobrem, cum cætera nomina in ordinem referebas, hoc nomē triennio amplius, quod erat in primis magnum, in aduersarijs relinquebas? nolebas sciri, debere tibi Roscium, cur scribebas? rogatus eras, ne referres? cur in aduersarijs scriptum habebas? Sed hæc quanquam firma esse video: tamen

men ipse mihi satisfacere non possum, nisi à C. Fannio ipso testimonium sumo, hanc pecuniam ei non deberi. magnum est, quod conor: difficile est, quod polliceor: nisi eundem & aduersarium, & testem
10 habuerit Roscius, nolo vincat. * Pecunia tibi debebatur certa, quae nunc petitur per iudicē, in qua legitimae partis sponsio facta est. hic tu si amplius H-S. nummo petisti, quam tibi debitum est, caussam perdidisti: propterea quod aliud est iudicium, aliud est arbitrium. iudicium est pecuniae certae: arbitrium incertae. ad iudicium hoc modo venimus, vt totam litem aut obtineamus, aut amittamus: ad arbitrium hoc animo adimus, vt neque nihil, neque tantum,
11 quantum postulauimus, consequamur. * eius rei ipsa verba formulae testimonio sunt, quid est in iudicio? directum, asperum, simplex. si peteret H-SIↃↃↃ dari op. hic, nisi planum facit H-SIↃↃↃ ad libellā sibi deberi, caussam perdit. quid est in arbitrio? in te, moderatum, quantum aequius & melius sit dari. ille tamen confitetur plus se petere, quàm debeatur: sed satis superq; habere dicit, quod sibi ab arbitro tribua-
12 tur. itaque alter caussa confidit, alter diffidit. * Quae cum ita sint, quaero abs te, quid ita de hac pecunia, de ipsis H-SIↃↃↃ, de tuarum tabularum fide compromissum feceris, arbitrium sumseris, quantum aequius & melius sit dari repromittiue, si peteret. quis in hac rem fuit arbiter? vtinam is quidem Romae esset. Romae est. iam vtinam adesset in iudicio. adest. vtinam sederet in consilio C. Pisonis. ipse C. Piso est. eundem ne tu arbitrum, & iudicem sumebas? eidem & infinitam largitionē remittebas? & eundē in angustis-

simam

simam formulam sponsionis concludebas? quis vnquam ad arbitrum, quantum petijt, tantum abstulit? nemo: quantum enim aequius esset sibi dari, petijt. de quo nomine ad arbitrum adisti, de eo ad iudicem venisti. *caeteri quum ad iudicem caussam labefactari animaduertunt, ad arbitrum confugiunt: hic ab arbitro ad iudicē venire est ausus: qui cum de hac pecunia, de tabularū fide arbitrum sumsit, iudicauit sibi pecuniam nō deberi. Iam duae partes caussae sunt confectae: adnumerasse sese negat: expensum tulisse non dicit: cum tabulas non recitat, reliquum est, vt stipulatū se esse dicat. praeterea enim quemadmodū certā pecuniam petere posśit, nō reperio. Stipulatus es? vbi? quo die? quo tēpore? quo praesente? quis spopondisse me dicit? nemo. *Hic ego si finem faciam dicendi, satis fidei & diligētiae meae, satis caussae & cōtrouersiae, satis formulae & sponsioni, satis etiam iudici fecisse videar, cur secundum Roscium iudicari debeat. pecunia petita est certa, cū tertia parte sponsio facta est. haec pecunia, necesse est, aut data, aut expensa lata, aut stipulata sit. datam non esse, Fannius confitetur: expensam latam nō esse, codices Fannij confirmant: stipulatam nō esse, taciturnitas testium concedit, *quid ergo est, quod & res eius est, cui & pecunia leuissima & existimatio sanctissima fuit semper: & iudex est is, quem nos non minus bene de nobis existimare, quā secundum nos iudicare velimus: & aduocatio ea est, quā propter eximium splendorem, vt iudicē vnū, ve reri debeamus? perinde ac si in hanc formulam omnia iudicia legitima, omnia arbitria honoraria, omnia officia domestica concluśa, & comprehensa sint?

perinde dicemus. illa superior fuit oratio necessaria, hac erit voluntaria: illa ad iudicem, hac ad C. Pisonem: illa pro reo, hac pro Roscio: illa victoria, hac
16 bona existimationis caussa comparata. * Pecuniam petis Fanni à Roscio: quam? dic audacter, & aperte, vtrum quæ tibi ex societate debeatur, an quæ ex liberalitate huius promissa sit, & ostentata: quorum alterum est grauius, & odiosius: alterum leuius, & facilius. quæ ex societate debeatur? quid ais? hoc iã non leuiter ferendum est, neque negligenter defendendum. si qua enim sunt priuata iudicia summæ existimationis, & pene dicam capitis, tria hæc sunt, fiducia, tutela, societatis. aque enim perfidiosum & nefarium est fidem frangere, quæ continet vitam: & pupillum fraudare, qui in tutelam peruenit: & so-
17 cium fallere, qui se negocio comunxit. * Quæ cum ita sint, qui sit qui socium fraudarit, & fefellerit, consideremus: dabit enim nobis iam tacite vita actam alteutram partem firmum & graue testimonium. Quintus Roscius? quid ais? nónne, vt ignis in aquam coniectus continuò restinguitur, & refrigeratur; sic referuens falsum crimen in purissimam & castissimam vitam collatum statim concidit, & extinguitur? Roscius socium fraudauit? potest hoc homini huic hærere peccatum, qui medius fidius (audacter dico) plus fidei, quam artis, plus veritatis, quam disciplinæ possidet in se: quem populus R. meliorem virum, quam histrionem esse arbitratur: qui it-
18 a grauissimus est scena propter artificium, vt dignissimus sit curia propter abstinentiam? * sed quid ego ineptus de Roscio apud Pisonem disco? ignotum hominem scilicet

icet pluribus verbis commendo. estne quisquam omnium mortalium, de quo melius existimes tu? estne quisquam, qui tibi purior, prudentior, humanior, officiosior, liberalior videatur? quid tu Saturi, qui contra hunc venis? existimas aliter? nonne, quotiescunque in caussa in nomen huius incidisti, toties hunc & virum bonum esse dixisti, & honoris caussa appellasti? quod nemo nisi aut honestissimo, aut amicissimo facere consueuit. * qua in re mihi ridicule es visus 19
esse inconstans, qui eundem & lædores, & laudares: & virum optimum, & hominem improbissimum esse diceres: eundem tu & honoris caussa appellabas, & virum primarium esse dicebas, & socium fraudasse arguebas. sed, vt opinor, laudem veritati tribuebas, crimen gratiæ concedebas: de hoc, vt existimamus, prædicabas: Chæreæ arbitratu caussam agebas. Fraudauit Roscius. est hoc quidem auribus, animisq; hominum absurdum. quid si tandem aliquem timidum, dementem, diuitem, inertem nactus esset, qui experiri non posset? tamen incredibile esset. * verum- 20
tamen, quem fraudauit? videamus. C. Fannium Descriptio hominis
Chæream Roscius fraudauit? oro atque obsecro vos, qui vtrunque nostu, vitam inter se vtriusque conferte: qui non nostis, faciem vtriusque considerate. nonne ipsum caput, & supercilia illa penitus abrasa olere malitiam, & clamitare calliditatem videntur? nónne ab imis vnguibus vsque ad verticem summum, si quam coniecturam afferri hominibus tacita corporis figura, ex fraude, fallacijs, mendacijs cõstare totus videtur, qui iccirco capite & supercilijs semper est rasis, ne vllum pilum viri boni habere dicatur? cuius per-

sonam præclarè Roscius in scena tractare consueuit, neque tamen pro beneficio ei par gratia refertur: nam Baßionem illum improbißimum, & periurißimum lenonem cum agit, agit Chæream. persona illa, lutulenta, impura, imisa, in huius moribus, natura, vitaq; est expressa. qui quamobrem Roscium similem sui in fraude & malitia existimarit, nihil videtur: nisi fortè, quòd præclarè hūc imitari se in persona lenonis animaduertit. *quamobrem etiam atq; etiam considera C. Piso quis quem fraudasse dicatur. Roscius Fannium? quid est hoc? probus improbum, pudens impudentem, periurum castus, callidum imperitus, liberalis auidum? incredibile est. quemadmodum si Fannius Roscium fraudasse diceretur, vtrunque ex vtriusq; persona verisimile videretur, & Fannium per malitiam fecisse, & Roscium per imprudentiam deceptum esse: sic, cùm Roscius Fannium fraudasse arguatur, vtrūq; incredibile est, & Roscium quicquā per auaritiam appetisse, & Fannium quicquam per suam bonitatem amisisse. *principia sunt huiusmodi: spectemus reliqua. H-SIↃↃↃ. Q. Roscius fraudauit Fannium. qua de caussa? subridet Saturius veterator: vt sibi videtur, aut, propter ipsa H S IↃↃↃ video: sed tamen cur ipsa H-SIↃↃↃ tam vehementer concupierit, quaero. nam tibi M. Perpenna, C. Piso certè tanti non fuisset, vt socium fraudaretis. Roscio cur tanti fuerit, causſam requiro. egebat? imò locuples erat. debebat? imo in suis numis versabatur. auarus erat? imo etiam antequam locuples, semper liberalißimus, munificentißimusq; fuit.

21 22 23

*proh deum hominumq; fidem, H-SCCCIↃↃↃ.

CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. quæstus facere noluit, (nã certè H-S CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. merere & potuit & debuit, si potest Dionysia H-S CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. merere) in per summã fraudem, & malitiam, & perfidiam H-SIↃↃↃ appetiit? & illa fuit pecunia immanis, hæc paruula: illa honesta, hæc sordida: illa iucunda, hæc acerba: illa propria, hæc in caussa, & in iudicio collocata. decem his annis proximis H-S sexagies honestissimè consequi potuit, noluit: laborem quæstus recepit, quæstum laboris reiecit: populo R. adhuc seruire non destitit, sibi seruire iam pridem destitit. * hoc tu vnquã Fanni 24
faceres? sed si hõs quæstus recipere posses, non eodem tempore & gestum & animam ageres dic nunc te ab Roscio H-SIↃↃↃ circumscriptum esse, qui tantas, & tam infinitas pecunias non propter inertiam laboris, sed propter magnificentiam liberalitatis repudiarit. Quid ego nunc illa dicam, quæ vobis in mentem venire certo scio? fraudabat te in societate Roscius. sunt iura, sunt formulæ de omnibus rebus constitutæ, ne quis aut in genere iniuriæ, aut ratione actionis errare posit: expressæ sunt enim ex vniuscuiusq; damno, dolore, incommodo, calamitate, iniuria publicæ à prætore formulæ, ad quas priuata lis accõmodatur. * quæ cùm ita sint: cur non arbitrũ pro so- 25
cio adegeris Q. Roscium, quæro. formulam nõ noras? notissima erat, iudicia grauia experiri nolebas? quid ita? propter familiaritatem veterem? cur ergo laduis? propter integritatem hominis? cur igitur insimulas? propter magnitudinem criminis? itáne vero, quem per arbitrum circumuenire non posses, cuius de

ea re proprium erat iudicum hunc per iudicem condemnabis, cuius de ea re nullum est arbitrium? quin tu hoc crimen aut obijce, vbi licet agere: aut tacere noli, vbi non oportet. tametsi iam hoc tuo testimonio crimen sublatum est: nam quo tu tempore illa formula vti noluisti, nihil hunc in societatem fraudis fecisse ostendisti. fecit pactionem. num tabulas habet, an non? si non habet, quemadmodum pactio est?
26 si habet, cur non nominas? * dic nunc, Roscium abs te petisse, vt familiarem suum sumeres arbitrum. nō petijt. dic pactionem fecisse, vt absolueretur. non pepigit. quare quare sit absolutus. quod erat summa innocentia, & integritate. quid enim factum est? venisti domum vltro Roscij: satis fecisti: quod temere cōmisisses in iudicium vt denunciares, rogasti vt ignoscere: te affuturum negasti: deberi tibi ex societate nihil, clamitasti. iudex hic denunciauit: absolutus est. tamen fraudis ac furti mentionem facere audes? perstat in impudentia: pactionem enim inquit, mecū fecerat. iccirco videlicet, ne condemnaretur? quid erat causse, cur metueret ne condemnaretur? res erat
27 manifesta: furtum erat apertum. * cuius rei furtum factum erat? exorditur magna cum expectatione veteris histrionis exponere societatē. Panurgus, inquit, fuit Fannij, is fuit ei cum Roscio communis. Hic primum quaestus est non leuiter Saturius, communem factum esse gratis cū Roscio, qui pretio proprius fuisset Fannij. Largitus est scilicet homo liberalis, & dissolu-
28 tus, & bonitate affluens Fannius Roscio. sic puto * quoniam ille hic constitit paulisper, mihi quoque necesse est paulùm commorari. Panurgum tu Saturi

pro-

proprium Fannij dicit fuisse: at ego totum Roscij fuisse contendo. quid erat enim Fannij? corpus. quid Roscij? disciplina. facies non erat, ars erat pretiosa. ex qua parte erat Fannij, non erat H-S IↃↃↃ: ex qua parte erat Roscij, amplius erat H-S CCCIↃↃↃ. nemo enim illum ex trunco corporis spectabat, sed ex artificio comico æstimabat. nam illa membra merere per se non amplius poterant duodecim aru: disciplina, quæ erat ab hoc tradita, locabat se non minus H-S CCCIↃↃↃ *ô societatem captiosam & indignam, vbi alter H-S IↃↃↃ, alter CCCIↃↃↃ quod sit, in societatem affert. nisi iccirco molestè pateris, quòd H-S IↃↃↃ tu ex arca proferebas, H-S CCC IↃↃↃ ex disciplina & artificio Roscius promebat: quam enim rem, & expectationem, quod studium, & quem fauorem secum in scenam attulit Panurgus? quòd Roscij fuit discipulus, qui diligebant hunc, illi fauebant: qui admirabãtur hunc, illũ probabant: qui denique huius nomen audierant, illum eruditum & perfectum existimabat. sic est vulgus: ex veritate pauca, ex opinione multa æstimat. *quid sciret ille, per pauci animaduertebant: vbi didicisset, omnes quærebant mihi ab hoc prauum & peruersum produci posse arbitrabantur. si veniret ab Statilio, tametsi artificio Roscium superaret, aspicere nemo posset: nemo enim, sicut ex improbo patre probum filium nasci, sic ex pessimo histrione bonum comœdum fieri posse existimaret. quia veniebat à Roscio, plus etiam scire, quam sciebat, videbatur. quod item nuper in Erote comœdo vsuenit: qui posteaquam è scena non modo fibilu, sed etiam conuicio explodebatur, sicut in aram

confugit in huius domum, disciplinam patrocinium, nomen. itaque perbreui tempore, qui ne in nouissimis quidem erat histrionibus, ad primos peruenit comœ-
31 dos. *qua res exulit eum? vnà commendatio huius: qui tamen Panurgum illum non solum, vt Roscij discipulus fuisse diceretur, domum recepit, sed etiam summo cum labore stomacho. miserâque erudijt: nam quo quisque est solertior, & ingenuosior, hoc docet iracundius, & laboriosius: quod enim ipse celeriter arripuit, id cum tardè percipi videt, discruciatur. Paulo longus oratio mea prouecta est hac de caussa. vt conditionem societatis diligenter cognoscerem. *qua deinde consecuta? Panurgum, inquit,
32 hunc seruum communem. Q. Flauius Tarquiniensis quidam interfecit. in hanc rem, inquit, me cognitorem dedisti: lite contestata, iudicio damni iniuria constituto, tu sine me cum Flauio decidisti: vtrum pro dimidia parte, an pro tota societate? planius dicam, vtrum pro me, an pro me & pro te? pro me? potui. exemplo multorum licitum est: iure fecerunt multi: mihi in ea re tibi iniuria fieri: pete tu tuum: exige, & auser quod debetur: suam quisque partem iuris possideat, ac persequatur. at enim tu tuum negotium gessisti bene. gere & tu tuum bene. magno tuam dimidiam partem dicidisti. magno & tu tuam partem decide. H-S CCCIↃↃↃ tu abstulisti. si so-
33 hoc verè, H-S CCCIↃↃↃ tu quoque auser. *sed hanc decisionem Roscij, oratione, & opinione augere licet: re & veritate mediocrem & tenuem esse inuenietis: accepit enim agrum temporibus ijs, cum iacerent pretia praediorum: qui ager neq; villam habuit, neq;

neq; ex vlla parte fuit cultus, qui nũc multo plurũ est, quàm tunc fuit: neq; id est mirum: tum enim propter reip. calamitates omnium possessiones erant incertæ: nunc, deũm immortalium benignitate, omnium fortunæ sunt certæ: tum erat ager incultus sine tecto, nunc est cultissimus cum optima villa. * verumtamẽ, 34
quoniam natura tam maluolus es, nunquam ista te molestia & cura liberabo. præclare suum negotium gessit Roscius: fundum fructuosissimũ abstulit. quid ad te? tuam partem dimidiam, quemadmodum vis, decide. vertit hic rationem, & id, quod probari non potest, fingere conatur. de tota re, inquit, decidisti. ergo huc vniuersa caussa deducitur, vtrum Roscius cum Flauio de sua parte, an de tota societate fecerit pactionem. * nam ego Roscium, si quid communi nomine peregit, consiteor præstare debere societati. 35
societatis non suas lites redemit, cum fundum à Flauio accepit. quid ita? satis non dedit, amplius à se neminem petiturum? qui de sua parte decidit, reliquis integram reliquit actionem: qui pro socio transigit, satisdat, neminem eorũ postea petiturũ. quid ita? Flauio sibi cauere non venit in mentem? nesciebat videlicet Panargum fuisse in societate. sciebat. nesciebat, Fannium Roscio esse socium præclarè. nam iste cum eo litem contestantem habebat. cur igitur decidit, & non restipulatur, neminem amplius petiturum? cur de fundo decidit, & iudicio non absoluitur? cur tam imperite facit, vt ne Roscium stipulatione alliget, neq; à Fannio iudicio se absoluat? * est hoc primum & ex 36
conditione iuris, & ex consuetudine cautionis grauissimum & firmissimum argumentum: quod ego plu-

ribus

ribus verbis amplecterer, si non alia certiora & clariora testimonia in caussa haberem. & ne forte me hoc frustra pollicitum esse prædices, te, inquam, Fanni
37 ab tuis subsellijs contra te testem suscitabo. * Criminatio tua quæ est? Roscium cum Flauio pro societate decidisse? quo tempore? ab hinc annis IV. defensio mea quæ est? Roscium pro sua parte cum Flauio transegisse, repromittis tu ab hinc triennium Roscio. quid? recita istam restipulationem clarius. attende quæso Piso: Fannium inuitum, & huc atq; illuc tergiuersantem, testimonium contra se dicere cogo. quid enim restipulatio clamat? QVOD A FLAVIO ABSTVLERO, PARTEM DIMIDIAM INDE ROSCIO MESOLVTVRVM SPONDEO. tua vox est Fanni*
38 quid tu auferre potes à Flauio, si Flauius nihil debet? quid hic porrò nunc restipulatur, quod iam pridem ipse exegit? quid verò Flauius tibi daturus est, qui Roscioom ne, quod debuit, dissoluit? cur in re tam veteri, in negotio tam confecto, in societate dissoluta, noua hæc restipulatio interponitur? quis est huius restipulationis scriptor? testis? arbiter? quis? tu Piso: tu enim Q. Roscium pro opera, pro labore, quòd cognitor fuisset, quod vadimonia obisset, rogasti, vt Fannio daret H-S CCCIↃↃↃ, hac conditione, vt si quid ille exegisset à Flauio, partem eius dimidiam Roscio dissolueret, satis ne ista restipulatio dicere tibi videtur a-
39 perte, Roscium pro se decidisse? * at enim forsitan hoc tibi veniat in mentem, repromisisse Fannium Roscio, si quid à Flauio exegisset, eius partem dimidiam: sed omnino exegisse nihil. quid? tu non exitum exactionis, sed initium repromissionis spectare debes: neque,

que, si ille persequi voluit, non, quod in se fuit, iudicauit Roscium suas, non societatis lites redemisse. quid si tandem planum facio, post decisionem veterem Roscÿ, post repromissionem recentem hanc Fannÿ H-S CCCIↃↃↃ Fannium à Q. Flauio Panurgi nomine abstulisse? tamen diutius illudere viri optimi existimationi audebit? *paulo ante quærebam id quod vehementer ad rem pertinebat, qua de caussa Flauius, 40
cum de tota lite feceret pactionem, neque satis acciperet à Roscio, neque iudicio absolueretur à Fannio. nunc vero, id quod mirum & incredibile est, requiro, quamobrem, cum de tota re decidisset cum Roscio, H-S CCCIↃↃↃ separatim Fannio dissoluit? hoc loco Saturi quid pares respondere, scire cupio: vtrum omnino Fannium à Flauio H-S CCCIↃↃↃ non abstulisse, an alio nomine, & alia de caussa abstulisse? * 41
si alia de caussa, quæ ratio tibi cum eo intercesserat? nulla. addictus erat tibi? non frustra tempus contero: omnino inquit, H-S CCCIↃↃↃ à Flauio non abstulit, neq; Panurgi nomine, neque cuiusquam. si planum facio, post hanc recentem stipulationem Roscÿ H-S CCCIↃↃↃ à Flauio te abstulisse. nunquid caussæ est, quin ab iudicio abeas turpissimè victus? * quo teste 42
igitur hoc plannm faciam? venerat, vt opinor, hæc res in iudicium? certè. quis erat petitor? Fannius. qui reus? Flauius: quis iudex? Cluuius. ex his vnus mihi testis est producendus, qui pecuniam datam dicat. quis est ex his grauissimus? sine controuersia, qui omnium iudicio comprobatus est iudex. quem igitur ex his rebus à me testem expectatis? petitorem? Fannius est: contra se nunquam testimonium dicet. reum?

Flauius

Flauius est: is iam pridem est mortuus: si viueret, verba eius audiretis. iudicem? Cluuius est. quid is dicit? H-SCCCIↃↃↃ Panurgi nomine Flauium Fannio dissoluisse, quem si ex censu spectas, eques R. est: si ex vita, homo clarissimus est: si ex te, iudicem sumpsisti. si ex veritate, id quod scire potuit & debuit, dixit. * nega, nega nunc, equiti Romano, homini honesto, iudici tuo credi oportere. circumspicit, æstuat, negat nos Cluuij testimonium recitaturos. recitabimus. erras: inane, & tenui spe te consolaris. recita testimonium T. Manilij, & C. Luscij Ocreæ, duorum senatorum, hominum ornatissimorum, qui ex Cluuio audierunt. vtrum dicis, Luscio & Manilio, an & Cluuio non esse credendum? planius atque apertius dicam: vtrum Luscius & Manilius nihil de H-SCCCIↃↃↃ ex Cluuio audierunt, an Cluuius falsum Luscio & Manilio dixit? hoc ego loco, soluto & quieto sum animo: & quorsum recidat responsum tuum non magnopere laboro: firmissimis enim, & sanctissimis testimoniis virorum optimorum causa Roscij communita est. * si iam tibi deliberatum est, quibus abroges fidem iusiurandi: responde. Manilio & Luscio negas esse credendum? dic: aude. est tuæ contumaciæ, arrogantiæ, vitæq; vniuersæ vox. quid expectas, quam mox ego Lucium & Manilium dicam ordine esse senatores, ætate grandes natu, natura sanctos & religiosos, copijs rei familiaris locupletes, & pecuniosos? non faciam: nihil mihi detrahã, cum illis exactæ ætatis seuerissimè fructum, quem meruerunt, retribuam, magis mea adolescentia indiget illorum bona existimatione, quam illo-

43

44

illorum seuerissima senectus desiderat meam laudem.
*tibi vero Piso diu deliberandum, & concoquen- 45
dum est, vtrum potius Cherea iniurato in sua lite,
an Manlio & Luscio iuratis in alieno iudicio cre-
das. Reliquum est, vt Cluuium falsum dixisse Lu-
scio & Manilio contendat, quod si facit, qua impru-
dentia est? eúmne testem improbabit? quem iudi-
cem probarit? ei negabit credi oportere, cui ipse
crediderit? eius testis ad iudicem fidem infirmabit,
cuius propter fidem & religionem iudicis testes com-
parabat? quem ego si ferrem iudicem, refugere non
deberet? cum testem producam reprehendere aude-
bit? *dixit enim, inquit, iniuratus Luscio & Man- 46
lio, si diceret iuratus, crederes? at quid interest in-
ter periurum, & mendacem? qui mentiri solet, pe-
ierare consuuit, quem ego vt mentiatur inducere
possum, vt peieret exorare facile potero: nam qui se-
mel à veritate deflexit, hic non maiore religione ad
periurium, quàm ad mendacium perduci consueuit:
quis enim deprecatione deorum, non conscientiæ fide
commouetur? propterea, quæ pœna ab dijs immor-
talibus periuro, hæc eadem mendaci constituta est:
non enim ex pactione verborum, quibus iusiurandum
comprehenditur, sed ex perfidia & malitia, per quã
insidiæ tenduntur alicui, dij immortales hominibus
irasci, & succensere consueuerunt. *at ego hoc ex cõ- 47
trario contendo. leuior esset auctoritas Cluuij, si dice-
ret iuratus, quam nunc est, cum dicit iniuratus: tum
enim forsitan improbis nimis cupidus videretur, qui
qua de re iudex fuisset testis esset: nunc omnibus ini-
micis necesse est castissimus & constantissimus esse vi-
deatur,

48 deatur, qui id, quod scit, familiaribus suis dicit * dic
nunc, si potes, si ves. si caussa patitur. Cluuium esse
mentitum. mentitus est Cluuius ? ipsa mihi veritas
manum iniecit, & paulisper consistere, & commora-
ri cogit. vnde hoc totum dictum, & conflatum men-
dacium est? Roscius est videlicet homo callidus & ver-
sutus: hoc initio cogitare cœpit, quoniam Fannius à
me petit H-S CCCIↃↃↃ petam à C. Cluuio equite
Romano, ornatissimo homine, vt mea caussa men-
tiatur: dicat decisionem factam esse, quæ facta non est:
H-S CCCIↃↃↃ à Flauio data esse Fannio, quæ data
non sunt. est hoc principium improbi animi, miseri
49 ingenij, nullius consilij. * quid deinde? posteaquam se
præclare confirmauit, venit ad Cluuium, quem ho-
minem? leuem? immo grauissimum. mobilem? immo
constantissimum. familiarem? immo alienissimum.
hunc posteaquam salutauit, rogare cœpit, blande, &
concinne scilicet; mentire mea caussa, viris optimis
tuis familiaribus præsentibus. dic Flauium cum Fan-
nio de Panurgo decidisse, qui mihil transegit: dic H-S
CCCIↃↃↃ dedisse, qui assem nullum dedit. quid il-
li? ego verò cupide & libenter mentiar tua caussa: &
si quando me vis peierare, vt paululum tu compendij
facias, paratum fore scito. non fuit caussa, cur tan-
50 tum laborem caperes & ad me venires: per nunciu
hoc, quod erat tã leue, transigere potuisti. * proh deũ
hominumqúe fidem. hoc autem Roscius vnquam à
Cluuio petijsset, si H-S millies in iudicium haberet:
aut Cluuius Roscio petenti concessisset, si vniuersa
prædæ particeps esset? vix medius fidius tu Fanni à
Ballione, aut aliquo eius simili hoc postulare auderes
& im-

& impetrare posses: quod cum est veritate falsum, tũ ratione quoque est inuertibile: obtinuistiat enim Roscium & Cluuium viros esse primarios: improbos, temporis caussa esse fing. *falsum subornauit testem 51
Roscius Cluuium: cur tam sero? cur, cum altera pensio soluenda esset? non tum, cum prima? nam iam antea H-S IↃↃↃ. dissoluerat. deinde, si iam persuasum erat Cluuio vt mẽtiretur: cur potius H-S CCCIↃↃↃ, quã CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ. CCCIↃↃↃ, data dixit Fannio à Flauio, cum ex restipulatione pars eius dimidia Roscij esset? Iam intelligo C. Piso, sibi soli, societati nihil Roscium petisse. hoc cum sentit Saturius esse apertum, resistere, & repugnare contra veritatem non audet: aliud fraudis & insidiarum in eodem vestigio diuerticulum reperit. *petis- 52
se, inquit, suam partem Roscium à Flauio. confitor: vacuam, & integram reliquisse Fannij, concedo: sed quod sibi exegit, id commune societatis factũ esse contendo, quo nihil captiosius, neque indignius potest dici. quaero enim, potuerit ne Roscius ex societate suam partem petere, nécne? si non potuit, quemadmodum abstulit? si potuit, quemadmodum non sibi exegit? nam quod sibi petitur, certè alteri non exigitur. *an 53
ita est? si, quod vniuersæ societatis fuisset, petisset; quod tum exactum esset, æqualiter omnes partirentur: nunc, cum petierit quod suæ partis esset, nõ quod abstulit, soli sibi exegit? quid interest inter eum qui per se litigat, & qui cognitor est datus? qui per se litem contestatur, sibi soli petit: alteri nemo potest, nisi qui cognitor est factus: itáne verò? cognitor si fuisset tuus; quod vicisset iudicio, ferres tuum: suo

nomine petijt: quod abstulit, tibi, non sibi exegit?
54 *quod si quisquam petere potest alteri, qui cognitor
non est factus: quæro, quid ita, cum Panurgus esset
interfectus, & in contestata cum Flauio damni in-
iuria esset, tu in eam litem cognitor Roscij sis factus?
cum præsertim ex tua oratione, quodcumque tibi pe-
teres, huic peteres: quodcunque tibi exigeres, id in so-
cietatem recideret. quod si ad Roscium nihil perue-
niret, quod tu à Flauio abstulisses, nisi te in suam li-
tem dedisset cognitorem: ad te peruenire nihil debet,
quod Roscius pro sua parte exigit, quoniam tuus co-
55 gnitor non est factus. * quid enim huic respondere po-
teris Fanni? cum de sua parte Roscius transegit cum
Flauio, actionem tibi tuam reliquit, an non? si non
reliquit, quemadmodum H-S CCCIↃↃↃ. ab eo
postea exegisti? si reliquit, quid ab hoc petis, quod per
te persequi & petere debes? similima enim, & ma-
xime gemina societas hæreditatis est. quemadmodum
socius in societate habet partem: sic hæres in hæredi-
tate habet partem. vt hæres sibi soli, non cohæredibus
petit, sic socius sibi soli, non socijs petit: & quemad-
modum vterque pro sua parte petit, sic pro sua parte
dissoluit: hæres ex sua parte, qua hæreditatem adijt:
56 socius ex ea, qua societatem coijt. * quemadmodum
suam partem Roscius suo nomine condonare potuit
Flauio, vt eam tu non peteres: sic cum exegit suam
partem, & tibi integram petitionem reliquit, tecum
partiri non debet. nisi fortè tu peruerso more, quod
huius est, ab alio extorquere non potes, huic eripere
potes. Perstat in sententia Saturius: quodcunq; sibi
petat socius, id societatis fieri. Quod si ita est: qua

(ma-

(malum) stultitia fuit Roscius, qui ex iurisperitorum consilio & auctoritate restipularetur à Fannio diligenter, vt, quod is exegisset à Flauio, dimidiam partem sibi dissolueret, siquidem sine cautione, & repromissione nihilo minus id Fannius societati, hoc est, Roscio, debebat?

Desiderantur non pauca.

M. T.

Verres quaestor in Siciliâ fuit
qui valde populo vexavit. vt supra
diximus operiore posset.

Hoc quaestio habet partes.
quaerit quis debeat esse actor aut
Cicero, an Siculus. Status coniectu-
ralis fuit. Vtrum Cicero ancillis verum
accusare debeat. Cicero probabat. Caecilium
Siculum negabat contra hunc hanc habet
orationem & ostendit cum non posse esse accusatorem

ACCVSATIONIS IN C. VERREM LIBER PRIMVS, QVI DIVINATIO DICITVR.

ORATIO IV.

*Si quis vestrum, Iudices, aut eorum, qui adsunt, fortè miratur, mequi tot annos in causis iudiciisque publicis ita sim versatus, vt defenderim multos, læserim neminem, subitò nunc mutata voluntate ad accusandum descēdere: is si mei consilij causam rationemq; cognouerit, vnà & iá quod facio probauit, & in hac causa profectò neminem mihi esse præponēdū actorem putabit. *Cùm Quæstor in Sicilia fuissē, iudices, itaq; ex ea prouincia decessissem, vt Siculis omnibus iucundam diuturnamq; memoriam Quæsturæ, nominisq; mei relinquerem: factum est, vti cū summū in veteribus patronis multis, tū nonnullum etiā in me præsidium suis fortunis constitutum esse arbitrarentur. Qui nunc populati atque vexati, cuncti ad me publicè sæpè venerunt, vt suarum fortunarum omnium causam defensionemq; susciperem: me sæpè esse pollicitum, sæpè ostendisse dicebant, si quod tempus accidisset, quo tempore aliquid à me requirerent, commodū eorum me non defuturum. * veniisse tempus

tempus aiebant, non iam vt commoda sua, sed vt vitam salutemq; totius prouinciæ defenderem: sese iam ne deos quidem in suis vrbibus, ad quos confugerent, habere: quòd eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissima sustulisset: quas res luxuries inflagitijs, crudelitas in supplicijs, auaritia in rapinis, superbia in contumelijs efficere potuisset, eas omnes sese hoc vno Prætore per triennium pertulisse: rogare & orare, ne illos supplices aspernarer, quos me incolumi nemini supplices esse oporteret. *Tuli grauiter & acerbè, Iudices, in eum me locum adductum, vt aut eos homines spes falleret, qui opem à me atque auxilium petissent: aut ego, qui me ad defendendos homines ab ineunte adolescentia dedissem, tempore atq; officio coactus ad accusandum traducerer. Dicebam habere eos actorem Q. Cæcilium, qui præsertim Quæstor in eadem prouincia post me Quæstorem fuisset. quo ego adiumento sperabam hanc à me molestiam posse dimoueri, id mihi erat aduersarium maximè: nam illi multò mihi hoc facilius remisissent, si istum non nossent, aut si iste apud eos Quæstor non fuisset. * Adductus sum, Iudices, officio, fide, misericordia, multorum bonorum exemplo, veteri consuetudine, institutoq; maiorum, vt onus hoc laboris atq; officij, non ex meo, sed ex meorum necessariorum tempore mihi suscipiendum putarem. Quo in negotio tamen illa me res Iudices, consolatur, quòd hæc quæ videtur esse accusatio mea, non potius accusatio,

quam

quàm defensio est existimanda. Defendo enim multos mortales, multas ciuitates, prouinciam Siciliam totam. Quamobrem si mihi vnus est accusandus, propemodum manere in instituto meo videor, & non omninò à defendendis hominibus subleuandisq; discedere.* Quòd si hanc causam tam idoneam, tam illustrem, tam grauem non haberem, si aut hoc à me Siculi non petissent, aut mihi cum Siculis causa tanta necessitudinis non intercederet, & hoc quod facio, me Reip. causa facere profiterer: vt homo singulari cupiditate, audacia, scelere præditus, cuius furta aliq; flagitia non in Sicilia solùm, sed in Achaia, Asia, Cilicia, Panphylia, Roma denique ante oculos omnium maxima turpissimaque nossemus, me agente in iudicium vocaretur: quis tandem esset, qui meum factum aut consilium posset reprehendere? Quid est, prò Deûm hominumq; fidem, in quo ego Reip. plus hoc tempore prodesse possim? Quid est, quod aut populo Rom gratius esse debeat? aut socijs exterisq; nationibus optatius esse possit? aut saluti fortunisq; omnium magis accomodatum sit? Populata, vexata, funditus euersa prouincia: socij stipendiarijque populi Rom. afflicti, miseri, iam non salutis spem, sed exitij solatium quærunt.* Qui iudicia manere apud ordinem Senatorium volunt, queruntur accusatores se idoneos non habere: qui accusare possunt, iudiciorum seueritatem desiderant. Populus Rom. interea, tametsi multis incommodis difficultatibusque affectus est, tamen nihil aquè in Rep.

atq; illam veterem iudiciorum vim grauitatemq; requirit. Iudiciorum desiderio Tribunitia potestas efflagitata est: iudiciorum leuitate ordo quoque alius ad res iudicandas postulatur: Iudicum culpa atque dedecore etiam Censorium nomen, quod asperius antea populo videri solebat, id nunc poscitur: id iam populare atque plausibile factum est.

9 * In hac libidine hominum nocentissimorum, in Pop. Rom. quotidiana querimonia, iudiciorum infamia, totius ordinis offensione, cum hoc vnum his tot incommodis remedium esse arbitrarer, vt homines idonei atque integri causam Reip. legumq; susciperent: fateor me salutis omnium causa ad eam partem accessisse Reip. subleuandæ, quæ maximè laboraret. * Nunc quoniam quibus rebus adductus ad causam accesserim demonstraui, dicendum necessario est de contentione nostra, vt in constituendo accusatore, quid sequi possitis, habeatis. Ego sic intelligo, Iudices, cum de pecunijs repetundis nomen cuiuspiam deferatur, si certamen inter aliquos sit, cui potissimum delatio detur, hæc duo in primis spectari oportere: quem maximè velint actorem esse ij, quibus facta esse dicantur iniuriæ, & quem minimè velit is, qui eas iniurias fecisse arguatur. * In hac causa, Iudices, tamet si vtrumq; esse arbitror perspicuum, tamen de vtroq; dicam, & de eo prius, quod apud vos plurimum debet valere, hoc est de voluntate eorum, quibus iniuriæ factæ sunt, quorum causa iudicium de pecunijs repetundis est constitutum. Siciliam pro-

prouinciam C. Verres per triennium depopulatus esse Siculorum ciuitates vastasse, domos exinanisse, fana spoliasse dicitur. Adsunt, queruntur Siculi vniuersi: ad meam fidem, quam habent spectatam iam & diu cognitam, confugiunt: auxilium sibi per me à vobis atque à Rep. Rom. legibus petunt: me defensorem calamitatum suarum, me vltorem iniuriarum, me cognitorem iuris sui, me actorem causæ totius esse voluerunt. * Vtrum, Q. Cæcili, hoc dices, me non Siculorum rogatu ad causam accedere? an optimorum fidelissimorumq; sociorum voluntatem apud hos grauem esse non oportere? Si id audebis dicere, quod C. Verres, cui te inimicum esse simulas, maximè existimari vult, Siculos hoc à me non petisse: primum causam inimicitiarum tui subleuabis, de quo non præiudicium, sed plane iudicium iam factum putatur: quod ita percrebuit, Siculos omnes actorem suæ causæ contra illius iniurias quæsisse. * Hoc si tu inimicus eius, factum negabis, quod ipse, cui maximè hæc res obstat, negare non audet, videto ne nimium familiariter inimicitias exercere videare. Deinde sunt testes viri clarissimi nostræ ciuitatis, quos omnes à me nominari non est necesse, eos qui adsunt, appellabo, quos si mentirer, testes esse impudentiæ meæ minime vellem. Scit is, qui est in consilio, C. Marcellus: scit is, quem adesse video, Cn. Lentulus Marcellinus: quorum fide atq; præsidio Siculi maximè vtuntur, quòd omninò Marcellorum nomini tota illa prouincia adiuncta est. * Hi sciunt hoc

hoc non modò à me petitum esse, sed ita sæpè, & ita vehementer esse petitum, vt aut causa mihi suscipienda fuerit, aut officium necessitudinis repudiandum. Sed quid ego his testibus vtor? quasi res dubia aut obscura sit. Adsunt homines ex tota prouincia nobilissimi, qui præsentes vos orant atq; obsecrant, Iudices, vt in actore causæ suæ deligendo, vestrum iudicium à suo iudicio ne discrepet. Omnium ciuitatum totius Siciliæ legationes adsunt, præter duas ciuitates: quarum duarum si adessent, duo crimina vel maxima minuerentur, quæ cum his ciuitatibus C. Verri communicata sunt.* 15 At enim cur à me potissimum hoc præsidium petiuerunt? Si esset dubium, petissent à me præsidium, nécne, dicerem cur petissent. Nunc verò, cùm id ita perspicuum sit, vt oculis iudicare possitis, nescio cur hoc mihi detrimento esse debeat, si id mihi obiiciatur, me potissimum esse delectum.* 16 verùm id mihi non sumo, Iudices, & hoc non modo in oratione mea non pono, sed ne in opinione quidem cuiusquam relinquo, me omnibus patronis esse præpositum. Non ita est. Sed vnius cuiusque temporis, valetudinis, facultatis ad agendum, ducta ratio est. Mea fuit semper hæc in hac re voluntas, & sententia, quemuis vt hoc mallem, de his qui essent idonei, suscipere, quam me: me vt mallem: quam neminem. 17 * Reliquum est iam, vt illud quæramus, cum hoc constet, Siculos à me petisse, ecquid hanc rem, apud vos animosq; vestros valere oporteat: ecquid autoritatis apud vos in suo iure repetundo socij

Pop.

Pop. Rom supplices vestri habere debeant. De quo quid ego plura commemorem? quasi vero dubium sit, quin tota lex de pecunijs repetundis sociorum causa constituta sit. * Nam ciuibus cum sunt ereptæ pecuniæ, ciuili ferè actione, & priuato iure 18
repetuntur. Hæc lex socialis est, hoc Ius nationum exterarum est, hanc habent arcem minus aliquando nunc quidem munitam, quàm antea: veruntamen, si qua reliqua spes est, quæ sociorum animos consolari possit, ea tota in hac lege posita est: cuius legis non modò à Pop. Rom. sed etiam ab vltimis nationibus iampridem seueri custodes requiruntur. * Quis igitur est, qui neget oportere eorum 16
arbitratu lege agi, quorum causa lex sit constituta? Sicilia tota si vna voce loqueretur, hoc diceret: quod auri, quod argenti, quod ornamentorum in meis vrbibus, sedibus, delubris fuit, quod in vnaquaque re beneficio Senatus Populique Rom. iuris habui, id mihi tu C. Verres eripuisti atque abstulisti: quo nomine abs te sestertium millies ex lege repeto. Si vniuersa, vt dixi, prouincia loqui posset, hac voce vteretur. quoniam id non poterat, harum rerum actorem, quem idoneum esse arbitrata est, ipsa delegit. In huiusmodi re quisquam tam impudens reperietur, qui ad alienam causam inuitis ijs, quorum negocium est, accedere, aut aspirare audeat? Si tibi, Q. Cæcili, hoc Siculi dicerent, te non nouimus, nescimus qui sis, nunquam te antea vidimus, sine nos per eum nostras fortunas defendere, cuius fides est nobis cognita:

nonne id dicerent, quod cuiuis probare deberent? nunc hoc dicunt: vtrumque se nosse, alterum se cupere defensorem esse fortunarum suarum, alterum
21 planè nolle.* Cur nolunt, etiamsi tacerent, satis dicunt. verum non tacent, tamen his inuitissimis te offeres? tamen in aliena causa loquere? tamen eos defendes, qui se ab omnibus desertos potius, quã abs te defensos esse malunt? tamen his operam tuam pollicebere, qui te neque velle sua causa, nec si cupias, posse arbitrantur. Cur eorum spem exiguam, reliquarum fortunarum, quam habent in legis & iudicij seueritate positam, vi extorquere conaris? cur te interponis inuitissimis his, quibus maximè lex consultum esse vult? cur de quibus in prouincia non optimè es meritus, eos nunc plane fortunis omnibus conaris euertere? cur his non modo persequendi iuris sui, sed etiam deplorandæ
22 calamitatis adimis potestatem?* Nam te actore quem eorum affuturum putas? quos intelligis non vt per te alium, sed vt per aliquem te ipsum vlciscantur, laborare? At enim solum id est, vt me Siculi maximè velint: alterum illud credo obscurum est, à quo Verres minimè se accusari velit. Ecquis vnquam tam palam de honore, tam vehementer de salute sua contendit, quam ille atque illius amici, vt ne hæc mihi delatio detur? Sunt multa, quæ Verres in me esse arbitratur, quæ scit in te, Q. Cæcili, non
23 esse: quæ cuiusmodi in vtroque nostrum sint, paulo post commemorabo.* Nunc tantum id dicam, quod tacitus tu mihi assentiare, nullam rem in me esse,

esse, quam ille contemnat: nullam in te, quam pertimescat. Itaq, magnus ille defensor, & amicus eius tibi Hortensius suffragatur, me oppugnat, petè ab iudicibus petit, vt tu mihi anteponare, & ait hoc se honestè sine vlla inuidia, ac sine vlla offensione contendere. Non enim, inquit, illud peto, quod soleo, cùm vehementius contendi impetrare, reus vt absoluatur: non peto. sed vt ab hoc potiùs, quàm ab illo accusetur, id peto. Da mihi hoc: concede, quod facilè est, quod honestum, quod non inuidiosum: quod cum dederis, sine vllo tuo periculo, sine infamia illud dederis, vt is absoluatur, cuius ego causa laboro. * Et ait facile, vt aliquis metus adiunctus sit ad gratiam, certos esse in consilio, quibus ostendi tabellas velit, id esse perfacile. non enim singulos ferre sententias, sed vniuersos constituere, ceratam vnicuiq, tabellam dari cera legitima, non illa infami ac nefaria. Atq, is non tam propter Verrem laborat, quam quòd eum minimè res tota delectat. videt enim, si à pueris nobilibus, quos adhuc elusit, si à quadruplatoribus, quos non sine causa contemsit semper, ac pro nihilo putauit, accusandi voluntas ad viros fortes spectatosq, homines translata sit, se in iudicijs dominari non posse. * Huic ego homini iam ante denuncio, si à me causam hanc vos agi volueritis, rationem illi defendendi totam esse mutandam, & ita tamen mutandam, vt meliore & honestiore conditione sit, quàm qua ipse esse vult: vt imitetur homines eos, quos ipse vidit amplissimos, L. Crassum & M. Antonium, qui nihil se

24

25

arbitrabantur ad iudicia causasq; amicorum præter fidem & ingenium afferre oportere. nihil erit quod me agente arbitretur iudicium sine magno multorum periculo posse corrumpi. * Ego in
26 hoc iudicio mihi Siculorum causam receptam, Populi Ro. susceptam esse arbitror: vt mihi non vnus homo improbus opprimendus sit, id quod Siculi petierunt: sed omnino impunitas, id quod Pop. Ro. iam dudum flagitat, extinguenda atque delenda sit. In quo ego quid eniti, aut quid efficere possim, malo in aliorum spe relinquere, quàm in ora-
27 tione mea ponere. * Tu verò, Cæcili, quid potes? quo tempore, aut qua in re non modò specimen cæteris aliquod dedisti, sed tute tui periculum fecisti? In mentem tibi non venit, quid negotij sit causam publicam sustinere? vitam alterius totam explicare? atq; eam non modò in animis iudicum, sed etiam in oculis, conspectuq; omnium exponere? sociorum salutem, commoda prouinciarum, vim legum, grauitatem iudiciorum defendere? Cognosce ex me, quoniam hoc primum tempus discendi nactus es, quam multa esse oporteat in eo, qui alterum accuset: ex quibus si vnum aliquod in te cognoueris, ego iam tibi ipse istuc quod expetis, mea voluntate concedam. Primum integritatem atque innocentiam singularem. nihil est enim quod minus ferendum sit, quàm rationem ab altero vitæ reposce-
28 re eum, qui non possit suæ reddere. * Hic ego de te plura non dicam, vnum illud credo, omnes animaduertere, te adhuc ab nullis, nisi à Siculis potuisse

cog-

cognosci: Siculos hoc dicere, cum eidem sint irati, cui tu te inimicum esse dicis, sese tamen te actore ad iudicium non affuturos. Quare negent, ex me non audies: hos patere id suspicari, quod necesse est. Illi quidem, vt est hominum genus nimis acutum & suspicio sum, non te ex Sicilia litteras in Verrem deportare velle arbitrantur, sed cum ijsdem litteris illius Prætura & tua Quæstura cõsignata sit, asportare te velle ex Sicilia litteras suspicantur. * Deinde accusatorem firmum, verumque esse oportet. Eum ego, si te putem cupere esse, facilè intelligo esse non posse. Nec ea dico, quæsi dicam, tamen infirmare non possis. te antè quàm de Sicilia decesseris, in gratiam rediisse cum Verre: Potamonem scribam, & familiarem tuum retentum esse à Verre in prouincia, cum tu decederes: M. Cæcilium fratrem tuum lectissimum atque ornatissimum adolescentem non modò non adesse, neque tecum tuas iniurias persequi, sed esse cum Verre, cum illo familiarissimè atque amicissimè viuere. Sunt hæc, & alia in te falsi accusatoris signa permulta, quibus ego nunc non vtor. hoc dico, te si maximè cupias, tamen verum accusatorem esse non posse. * Video enim permulta esse crimina, quorum tibi societas cum VERRE eiusmodi est, vt ea in accusando attingere non audeas. Quæritur Sicilia tota C. Verrem ab aratoribus cùm frumentum sibi in cellam imperauisset, & cùm esset tritici modius H.S. V. pro frumento in modios singulos, duodenos sestertios exegisse. Magnum crimen,

men, ingens pecunia, furtum impudens, iniuria non ferenda. ego hoc vno crimine illum condemnem ne-
31 cesse est. *Tu, Cæcili, quid facies? Vtrum hoc tantum crimen prætermittes? an obijcies? Si obijcies, id ne alteri crimini dabis quod eodem tempore in eadem prouincia tu ipse feceris? audebis ita accusare alterum, vt quo minus tute contemnere, recusare non possis? Si prætermittes, qualis erit ista tua accusatio, quæ domestici periculi metu, certissimi & maximi criminis non modo suspicionem, verùm etiam mentionem ipsam pertimescat?
32 Emptum est ex S.C. frumentum ab Siculis Prætore Verre, pro quo frumento pecunia omnis soluta non est. graue est hoc crimen in Verrem, graue me agente, te accusante nullum. eras enim tu Quæstor, pecuniam publicam tu tractabas: ex qua etiam si cuperet Prætor, tamen ne qua deductio fieret, magna ex parte tua potestas erat. Huius quoque igitur criminis te accusante mentio nulla fiet. Silebitur toto iudicio de maximis & notissimis illius furtis & iniurijs. Mihi crede, Cæcili, non potest in accusando, socios vere defendere is, qui cum reo crimi-
33 num societate coniunctus est. * Mancipes à ciuitatibus pro frumento pecuniam exegerunt. Quid? hoc Verre Prætore factum est solum non, sed etiam Quæstore Cæcilio. Quid igitur? datum es huic crimini, quod & potuisti prohibere ne fieret, & debuisti? an totum id relinques? Ergo id omnino Verres in iudicio suo non audiet, quod cum faciebat, quemadmodum defensurus esset, non reperiebat.

bat. Atque ego hæc, quæ in medio posita sunt commemoro. Sunt alia magis occulta furta, quæ ille, vt istius credo animos, atq; impetus retardaret, cum Quæstore suo benignissimè communicauit. * Hæc 34
tu scis ad me esse delata, quæ si velim proferre, facile omnes intelligent, vobis inter vos, non modò voluntatem fuisse coniunctam, sed ne prædam quidem adhuc esse diuisam. Quapropter si tibi iudicium postulas dari, quod tecum vna fecerit, concedo; si id lege permittitur: sin autem de accusatione dicimus, concedas oportet ijs, qui nullo suo peccato impediuntur, quo minus alterius peccata demonstrare possint. * Ac vide quantum interfuturum sit 35
inter meam atq; tuam accusationem. Ego etiam quæ tu sine Verre commisisti, Verri crimini daturus sum, quod te non prohibuerit, cum summam ipse haberet potestatem: tu contra, ne quæ ille quidem fecit, obijcies, ne qua ex parte coniunctus cum eo reperiare. Quid illa, Cæcili? contemnendane videntur esse? sine quibus causa sustineri, præsertim tanta, nullo modo potest? aliqua facultas agendi, aliqua dicendi consuetudo, aliqua in foro, iudicijs, legibus, aut ratio, aut exercitatio. Intelligo quàm 36
scopuloso difficiliq; in loco verser. nam cùm omnis arrogantia odiosa est, tum illa ingenij atque eloquentiæ multò molestissima. Quamobrem nihil dico de meo ingenio, neq; est quod possim dicere: neque si esset, dicerem. aut enim id mihi satis est, quod est de me opinionis, quicquid est. aut si id parum est, ego maius id commemorando facere non possum.

*De

37 *Dete, Cæcili, iam me hercule hoc extra hanc
contentionem certamenq; nostrum familiariter
tecum loquar. Tu ipse quemadmodum existimes
vide etiam atq; etiam: & tu te collige: & qui sis,
& quid facere possis, considera. Putasne te posse
de maximis, acerbissimisq; rebus, cum causam
sociorum, fortunasq; prouinciæ, ius Pop. Rom. gra-
uitatem iudicij legumq; susceperis, totres, tam gra-
ues, tam varias, voce, memoria, consilio, ingenio,
38 sustinere? Putasne te posse, quæ C. Verres in Quæ-
stura, quæ in legatione, quæ in Prætura, quæ Romæ,
quæ in Italia, quæ in Achaia, Asia, Pamphyliaque pa-
trârit, ea quemadmodum locis temporibusque
diuisa sint, sic criminibus & oratione distingue-
re? Putasne posse, id quod in eiusmodi reo maxi-
mè necessarium est, facere, vt quæ ille libidinosè,
quæ nefariè, quæ crudeliter fecerit, ea æquè acer-
ba & indigna videantur esse ijs, qui audient, at-
39 q; illis visa sunt, qui senserunt? Magna sunt ea, quæ
dico, mihi crede, noli hæc contemnere: dicenda, de-
monstranda, explicanda sunt omnia, causa non solũ
exponenda, sed etiam grauiter copioseq; agen-
da est. perficiendum est, si quid agere aut perfice-
re vis, vt homines te non solùm audiant, verum et-
iam libenter studioseq; audiant. In quo si te multum
natura adiuuaret, si optimis à pueritia disciplinis
atque artibus studuisses, & in his elaborasses, si lite-
ras Græcas Athenis, non Lilybæi, Latinas Ro-
mæ non in Sicilia didicisses: tamen esset magnum,
tantam causam tam expectatam, & diligentiâ
con-

consequi, & memoria complecti, & oratione exponere, & voce, & viribus sustinere. Fortasse dices, 40
quid? ergo hæc in te sunt omnia? vtinam quidem essent: veruntamen vt esse possent, magno studio mihi à pueritia est elaboratum. Quòd si ego hæc propter magnitudinem rerum ac difficultatem assequi non potui, qui in omni vita nihil aliud egi: quam longè tu te ab his rebus abesse arbitrare? quas non modò antea nunquam cogitasti, sed ne nunc quidem, cùm in eas ingrederis, quæ & quantæ sint, suspicari potes. * Ego, qui, sicut omnes sciunt, in foro 41
iudiciÿsq; ita versor, vt eiusdem ætatis aut nemo, aut pauci, plureis causas defenderint, & qui omne tempus, quod mihi ab amicorum negotÿs datur in his studÿs laboribusque consumam, quo paratior ad vsum forensem, promptiorq; esse possim: tamen ita deos mihi velim propitios, vt cum illius temporis mihi venit in mentem, quo die citato reo mihi dicendum sit, non solum commoueor animo, sed etiam toto corpore perhorresco. * iam nunc mente & 42
cogitatione prospicio, quætum studia hominum, qui concursus futuri sunt, quantam expectationem magnitudo iudiciÿ sit allatura, quantam auditorum multitudinem C. Verres infamia concitatura, quantam demiq; audientiam orationi meæ improbitas illius factura sit. Quæ cum cogito, iam nunc timeo, quidnam pro offensione hominum, qui illi inimici infensiq; sunt, & exspectatione omnium, & magnitudine rerum dignum eloqui possim. * 43
Tu horum nihil metuis, nihil cogitas, nihil labo-

ras;

ras: & si quid ex vetere aliqua oratione, Iouem ego Optimum Maximum, aut, vellem si fieri potuisset, Iudices, aut, aliquid eiusmodi edisce re potueris, præclarè te paratum in iudicium venturum arbitraris. Ac si tibi nemo respondurus esset, tamen ipsam causam, vt ego arbitror, demonstrare non posses. *

44 Nunc ne illud quidem cogitas, tibi cum homine disertißimo, & ad dicendum paratißimo futurum esse certamen: qui cum modo disserendum, modò omni oratione pugnandum certandumq; sit? Cuius ego ingeniumita laudo, vt non pertimescam: ita probo, vt me ab eo delectari facilius, quam decipi putem posse. Nunquam ille me opprimet consilio, nunquam vllo artificio peruertet, nunquam ingenio me suo labefactare atque infirmare conabitur. noui omnes hominis petitiones ratione, quæ dicendi: sæpè in ijsdem, sæpè in contrarijs causis versati sumus. Ita contra me ille dicet, quamuis sit ingeniosus, vt nonnullum etiam de suo ingenio iudicium fieri arbitre-

45 tur. *Te verò, Cæcili, quemadmodum sit elusurus, quam omni ratione iactaturus, videre iam videor: quoties ille tibi potestatem optionemq; facturus sit, vt eligas vtrum velis, factum esse nec ne, verum esse an falsum: vtrum dixeris, id contra te futurum. qui tibi æstus, qui error, quæ tenebræ dij immortales erunt, homini minimè malo? Quid cum accusationis tuæ membra diuidere cœperit, & in digitis suis singulas partes causæ constituere? Quid cũ vnumquodq; transigere, expedire, absoluere? Ipse profectò metuere incipies, ne innocenti periculũ faceſ-

seris.

seris. *Quid cum commiserari, conqueri, & ex illius 4
inuidia deonerare aliquid, & in te traïcere cœ-
perit? commemorare Quæstoris cum Prætore neces-
situdinem constitutam? morem maiorum? sortis reli-
gionem? poterisne eius orationis subire inuidiã? Vi-
de modò, etiam atq; etiam considera: mihi enim vi-
detur periculum fore, ne ille non modò verbis te ob-
ruat, sed gestu ipso ac motu corporis perstringat a-
ciem ingenij tui, teq; ab institutis tuis cogitationi-
busq; abducat. *Atq; huiusce rei iudicium iam conti- 47
nuò video futurum. Si enim mihi hodie respon-
re adhæc, quæ dico, potueris, si ab isto libro, quem
tibi magister ludi nescio quis ex alienis orationibus
compositum dedit, verbo vno discesseris, posse te & illi
quoq; iudicio non deesse, & causæ atq; officio tuo sa-
tisfacere arbitrabor: sine mecum in hac prolusione
nihil fueris, quem te in ipsa pugna cum acerrimo
aduersario fore putemus? Esto, ipse nihil est, nihil
potest: at venit paratus cum subscriptoribus exerci-
tatis & disertis. est tamẽ hoc aliquid, tametsi nõ est
satis, omnib⁹ enim rebus is, qui princeps in agẽdo est,
ornatissimus & paratissimus esse debet. Veruntа-
men L. Apuleium esse video proximum subscriptorẽ,
hominem non ætate, sed vsu forensi atque exercita-
tione tyronẽ. *Deinde, vt opinor, habet Allienũ, hunc 48
tamen à subsellijs: qui quid in dicendo possit, nun-
quam satis attendi: in clamando quidem video
eum esse benè robustum, atq; exercitatum. in hoc
spes tuæ sunt omnes. hic, si tu eris actor cõstitutus,
totum iudicium sustinebit. Ac ne is quidem tantum

cõtendet in dicendo, quantum potest: sed consulet laudi & existationi tuæ, & ex eo quod ipse potest in dicendo, aliquantũ remittet, vt tu tandem aliquid esse videare. Vt in actoribus Græcis fieri videmus, sæpe illum qui est secundarum, aut tertiarum partiũ, cum possit aliquãto clarius dicere, quam ipse primarum, multum summittere, vt ille princeps quã maxime excellat: sic faciet Allienus, tibi seruiet, tibi nocinabitur, minus aliquãto contẽdet, quam potest.

49 *Iam hoc considerate, cuiusmodi accusatores in tãto iudicio simus habituri, cùm & ipse Allienus ex ea facultate, si quam habet, aliquantũ detracturus sit, & Cæcilius tum denique se aliquid futurum putet, si Allienus min⁹ vehemẽs fuerit, & sibi primas in dicẽdo partes concesserit. Quartum quẽ sit habiturus, non video, nisi quem fortè ex illo grege Oratorum, qui subscriptionem sibi postulârunt, cuicunq; vos delationem dedisse tis. *ex quibus alienissimis hominibus ita paratus venis, vt tibi hospes aliquis sit recipiendus. Quibus ego non sum tantum honorem habiturus vt ad ea, quæ dixerint, certo loco, aut sigillatim vnicuiq; respondeam sic breuiter, quoniam non cõsulto, sed casu in eorum mentionẽ incidi: quasi præteriens satisfaciam vniuersis. Tantane vobis inopia videor esse amicorum, vt mihi non ex his, quos mecum adduxerim, sed de populo subscriptor addatur? vobis autem tanta inopia reorum est, vt mihi causam præripere conemini potius, quam aliquos à columna Meniavestri ordinis reos reperiatis. * Custodem, inquit, Tullo me apponite. Quid? mihi quàm mul-

multis custodibus opus erit, site semel ad meas capsas admisero? qui non solùm ne quid enuncies, sed etiam ne quid auferas, custodiendus sis. Sed de isto custode toto sic vobis breuissimè respondebo, non esse hos tales viros commissuros, vt ad causam tantam à me susceptam, mihi creditam, quisquam subscriptor me inuito aspirare possit. Et enim fides mea custodem repudiat, diligentia speculatorem reformidat. * Verùm vt adte, Cæcili, redeam, quam multa te deficiant, vides, quia multa sint in te, quæ reus nocens in accusatore suo cupiat esse, profectò iam intelligis. Quid ad hæc dici potest? non enim quæro, quid tu dicturus sis: video mihi non te, sed hunc librum esse responsurum, quem monitor tuus hic tenet. qui si te rectè monere volet, suadebit tibi, vt hinc discedas, neque mihi verbum vllum respondeas. Quid enim dices? an id quod dictitas, iniuriam tibi feciſſe Verrem? arbitror. neq; enim esset verisimile, cum omnibus Siculis faceret iniurias, te illi vnum eximium, cui consuleret, fuiße. * Sed cæteri Siculi vltorem suarum iniuriarum inuenerunt: tu dū tuas iniurias per te, id quod nō potes, persequi conaris, id agis, vt cæterorum quoq; iniuriæ sint impunitæ atq; inultæ: & hoc te præterit, non id solùm spectari solere, qui debeat, sed etiam illud, qui possit vlcisci. In quo vtrunq; sit, eum superiorem esse: in quo alterum, in eo non quid is velit, sed quid facere possit. quæri solere. * Quod si ei potißimum censes permitti oportere accusandi potestatem, cui ma-

ximam C. Verres iniuriam fecerit: vtrum tandem censes hos Iudices grauius ferre oportere, te ab illo esse læsum, an prouinciam Siciliam esse vexatam ac perditam? Opinor concedis, multò hoc & esse grauius, & ab omnibus ferri grauius oportere. Concede igitur, vt tibi anteponatur in accusando prouincia: nam prouincia accusat, cum is agit causam, quæ sibi illa defensorem fui iuris, vltorem iniuriarum, actorem totius causæ adoptauit.* At eam tibi C. Ver-
55 res fecit iniuriam, quæ cæterorum quoq; animos posset alieno incommodo commouere, minimè: nam id quoq; ad rem pertinere arbitror, qualis iniuria dicatur, quæ causa inimicitiarum proferatur. Cognosce ex me: nam ista ea profectò, nisi planè nihil sapit, nunquam proferet. Agonis est quædam Libybætana liberta Veneris Erycinæ, quæ mulier ante hunc Quæstore copiosa planè & locuples fuit. Ab hac præfectus Antonij quidam symphoniacos seruos abducebat per iniuriam, quibus se in classe vti velle dicebat. Tum illa, vt mos in Sicilia est omnium Venereo-
56 rum, & eorum qui à Venere se liberauerunt, vt præfecto illi religionem Veneris, nomenq; obijceret, dixit & se, & omnia sua Veneris esse. *Vbi hoc Quæstori Cæcilio viro optimo, & hominiæquissimo nunciatum est, vocari ad se Agonidem iubet, iudicium dat statim, si paterea eam se & sua Veneris esse dixisse. iudicant Recuperatores id quod necesse erat. neq; enim erat cuiquam dubium, quin illa dixisset. in possessionem bonorum mulieris mittit: ipsam Veneri in seruitutem adiudicat. deinde bona vendit, pecuniam

am redigit. Ita dum pecuniam mancipia Veneris nomine Agonis ac religione retinere vult, fortunas omnes libertatēq; suam istius iniuria perdidit. Lilybæum Verres venit postea, rem cognoscit, factum improbat, cogit Quæstorē suum pecuniam, quam ex Agonidis bonis redegisset, eam mulieri omnem annumerare & reddere. * Est adhuc, id quod 57
vos omnes admirari video, non Verres, sed Q. Mutius. quid enim facere potuit elegantius ad hominum existimationē? aquiùs ad leuandam mulieris calamitatem? vehementiùs ad Quæstoris libidinem coercendam? Summe hæc omnia mihi videntur esse laudanda. Sed repentè è vestigio ex homine, tanquam aliquo Circæo poculo, factus est Verres: redit ad se atque ad mores suos. nam ex illa pecunia magnam partem ad se vertit, mulieri reddidit quantulum visum est. * Hic tu si læ- 58
sum te à Verre esses dices, patiar, & concedam: si iniuriam tibi factam quereris, defendam, & negabo. Deinde de iniuria quæ tibi facta sit, neminem nostrum grauiorem vindicem esse oportet, quam te ipsum, cui facta dicitur. Si tu cum illo postea in gratiam rediisti, si domi illius aliquoties fuisti, si ille apud te postea cœnauit, vtrum te perfidiosum, an prædaricatorem existimari mauis? video esse necesse alterutrum. Sed ego tecum in eo non pugnabo, quo minus vtrum velis eligas. * Quid si ne in- 59
iuria quidem, quæ tibi ab illo facta sit, causa remanet? quid habes, quod possis dicere, quamobrem non modo mihi, sed cuiquam anteponāre? nisi

fortè illud, quod dicturm te esse audio, Quæstorē illius fuisse. quæ causa grauis esset, si certares mecum vter nostrum illi amicior esse deberet: in contentione suscipiendarum inimicitiarum, ridiculum est putare causā necessitudinis ad inferendum periculū
60 iustā videri oportere.* Etenim si plurimas à tuo Prætore iniurias accepisses, tamen eas ferendo maiorem laudem, quam vlciscendo mererere. Cumverò nullū illius in vita rectius factum sit, quam id quod tu iniuriam appellas: hi statuent hanc causam, quam nec alio quidem probarent, in te iustam ad necessitudinē violandam videri? qui si summam iniuriam ab illo accepisti, tamen quoniam Quæstor eius fuisti, nō potes eum sine vlla vituperatione accusare: si verò nulla tibi facta est iniuria, sine scelere eum accusare non potes. Quare cum incertum sit de iniuria: quemquam esse horum putas, qui non malit te sine vitupe-
61 ratione, quàm cum scelere discedere?* At vide quid differat inter meam opinionem ac tuam. tu cū omnibus inferior sis, hac vna in re te mihi anteferri putas oportere, quòd Quæstor illius fueris: ego si superior cæteris rebus esses, te hanc vnam ob causam accusatorem repudiari putarem oportere. Sic enim à maioribus nostris accepimus, Prætorem Quæstori suo parentis loco esse oportere: nullam neq; iustiorem, neq; grauiorem causam necessitudinis posse reperiri, quam coniunctionem sortis, quam prouincia, quam officij, quam publicam muneris societa-
62 tem.* Quamobrem si iure eum possis accusare, tamē cum is tibi parentis numero fuisset, id pie facere non

non posses. cum verò neq; iniuriam acceperis, & Prætori tuo periculum crees, fatearis necesse est, te illi iniustum impiumq; bellum inferre conari. Etenim ista Quæstura ad eam rem valet, vt elaborandum tibi in ratione reddenda sit, quamobrem, qui Quæstor eius fueris, accuses: non vt ob eam ipsam causam postulandum sit, vt tibi potissimum accusatio detur. Neq; verò vnquam venit in contentionem de accusando qui Quæstor fuisset, quin repudiaretur.* Itaq; neq; L. Philoni in C. Seruilium nominis deferendi potestas est data, neque M. Aurelio Scauro in L. Flaccum, neq; Cn. Pompeio in T. Albutium: quorum nemo propter indignitatem repudiatus est, sed ne libido violandæ necessitudinis autoritate iudicum comprobaretur. Atq; ille Cn. Pōpeius ita cū C. Iulio contendit, vt tu mecum. Quæstor enim Albutij fuerat, vt tu Verris. Iulius hoc secum autoritatis ad accusandum afferebat, quòd vt hoc tempore nos ab Siculis, sic tum ille ab Sardis rogatus ad causam accesserat. Semper hæc causa plurimum valuit, semper hæc ratio accusandi fuit honestissima pro sociis, pro salute prouinciæ, pro exterarū nationum cōmodis inimicitias suscipere, ad periculū accedere, operam, studium, laborem interponere.* Etenim si probabilis est eorum causa, qui iniurias suas persequi volunt, qua in re dolori suo, nō Reip. cōmodis seruiunt: quanto illa causa honestior, quæ non solū probabilis videri, sed etiā grata esse debet, nulla priuatim accepta iniuria, sociorum atq; amicorū Po. R.

63

64

dolore atque iniurijs commoueri? Nuper cum in P. Gabinum vir fortissimus & innocentissimus L. Piso delationē nominis postulat, & contra Q. Cæcilius peteret, isq; se veteres inimicitias iādiu susceptas persequi diceret, cum autoritas et dignitas Pisonis valebat plurimum, tum illa erat causa iustissima, quod
65 eum sibi Achai patronū adoptarant,* etenim cū lex ipsa de pecunijs repetundis sociorum atq; amicorum Po.R. causa parata sit, iniquū est, non eum legis iudicijq; actorem idoneum maximè putari, quem actorē causæ suæ socij, defensoremq; fortunarum suarū potissimum esse voluerunt. An quod ad cōmemorandū est honestius, id ad probandū non multò videri debet æquius? Vtra igitur est splendidior? vtra illustrior cō. memoratio? accusaui eum, quicum Quæstor fueram, quicum me sors consuetudoq; maiorum, quicum me deorum hominūq; iudicia coniunxerat. an accusaui rogatu sociorum atque amicorum? delectus sum ab vniuersa prouincia, qui eius iura fortunasq; defenderem. Dubitare quisquam potest, quin hoc honestius sit eorum causa apud quos Quæstor fueris, quàm
66 eum cuius Quæstor fueris, accusare? Clarissimi viri nostræ ciuitatis temporibus optimis, hoc sibi amplissimum pulcherrimumq; ducebant, ab hospitibus clientibusq; suis, ab exteris nationibus, quæ in amicitiam Pop. Ro. ditionemq; essent, iniurias propulsare: eorumq; fortunas defendere. M. Catonem illum sapi-
67 entem, clarissimum virum et prudentissimum cum multis graues inimicitias gessisse accepimus, propter Hispanorum apud quos Consul fuerat, iniurias.*

Nuper

Nuper Cn. Domitium scimus Decimo Syllano diem dixisse propter vnius hominis Egritomari paterni amici atq; hospitis iniurias. Neq; enim magis animos hominum nocentium res vnquam vlla commouit, quam hac maiorum consuetudo longo interuallo repetita atq; relata. Sociorum querimoniæ delatæ ad hominem non inertissimum susceptæ ab eo, qui videbatur eorum fortunas fide diligentiaq; sua posse + nocentius defendere.* Hoc timent homines, hoc laborant, hoc 68
instituti atq; adeò institutum referri ac renouari molestè ferunt. putant fore, vti, si paulatim hæc consuetudo serpere ac prodire cœperit, per homines honestissimos virosq; fortissimos, non imperitos adulescentulos, aut illiusmodi quadruplatores leges iudiciaq; administrentur.*. Cuius consuetudinis 69
atq; instituti patres maioresq; nostros non pœnitebat, tum cum P. Lentulus ὑ, qui princeps Senatus fuit, accusabat M. Aquilium, subscriptore C. Rutilio Rufo: aut cum P. Africanus homo virtute, fortuna, gloria, rebus gestis amplissimus, posteaquam bis Consul & Censor fuerat, L. Cottam in iudicium vocabat. Iure tum florebat populi Rom. nomen, iure autoritas huius imperij, ciuitatisque maiestas grauis habebatur. nemo mirabatur in Africano illo quod in me nūc homine paruis opibus ac facultatibus prædito, simulāt sese mirari, cum molestè ferāt. *Quid sibi iste 70
vult? accusatorémne se existimari, qui antea defendere consueuerat? nunc præsertim, eaiam ætate, cum Aedilitatem petat? Ego verò & ætatis non modo meæ, sed multo etiam superioris, & honoris am-

plissimi puto esse, & accusare improbos & miseros calamitosos defendere. Et profectò aut hoc remedium est ægrotæ ac propè desperatæ reip. iudicijs corruptis ac contaminatis paucorum vitio ac turpitudine homines ad legum defensionem iudiciorumq; autoritatem quam honestissimos et integrrimos diligentissimosq; accedere: aut, si ne hoc quidem prodesse poterit, profectò nulla vnquam medicina his tot incommodis reperietur.

71 * Nulla salus Reip. maior est, quam eos, qui alterum accusant, non minus de laude, de honore, de fama sua, quam illos qui accusantur, de capite ac fortunis suis pertimescere. Itaq; semper ij diligentissime laboriosissimeq; accusarunt, qui se ipsos in discrimen existimationis venire arbitrati sunt. Quamobrem hoc statuere, iudices, debetis, Q. Cæcilium, de quo nulla vnquam opinio fuerit, nullaq; in hoc ipso iudicio expectatio futura sit, qui neq; vt antè collectam famam conseruet, neq; vti reliqui temporis spem confirmet, laborat, non nimis hanc causam seuerè, non nimis accuratè, non nimis diligenter acturum. habet enim nihil, quod in offensione deperdat, vt turpissimè flagitiosissimeq; discedat: nihil de suis veteribus ornamentis requiret.

72 * A nobis multos obsides habet P. Ro. quos vt incolumes conseruare, tueri, confirmare, ac recuperare possimus, omni ratione erit dimicandum. habet honorem, quem petimus: habet spem, quam propositam nobis habemus: habet existimationē multo sudore, labore, vigilijsq; collectā, vt si in hac causa

*sa nostrum officium ac diligentiam probauerimus, hæc quæ dixi, retinere per Pop. Ro. incolumia ac salua posimus: si tãtulum offensum titubatumq; sit, vt ea, quæ singulatim ac diu collecta sunt, vno tempore vniuersa perdamus. * Quapropter, Iudi-* 73
ces, vestrum est deligere quem existimetis facilimè posse magnitudinem causæ ac iudicij sustinere fide, diligentia, consilio, autoritate. Vos si mihi Q. Cæcilium antepositeritis, ego me dignitate superatum non arbitrabor: Popul. Roman. ne tam honestam, seueram, diligentemque accusationem, neq; vobis placuisse, neq; ordini vestro placere arbitretur, prouidete.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM LIBER II.

SEV ACTIO I.

ORATIO V.

QVOD erat optandum maximè, Iudices, & quod vnum ad inuidiam vestri ordinis infamiamque iudiciorum sedandum maximè pertinebat, id non humano consilio, sed propè diuinitus datum atque oblatum vobis summo reip. tempore videtur.

Inue-

Inueterauit enim iam opinio perniciosa Rei, vobisque periculosa, quæ non modò Romæ, sed & apud exteras nationes omnium sermone percrebuit: his iudicijs, quæ nunc sint, pecuniosum hominem, quamuis sit nocens, neminem posse damnari.
2 * Nunc in ipso discrimine ordinis iudiciorumq; vestrorum, cum sint parati, qui concionibus & legibus hanc inuidiam Senatus inflammare conentur, reus in iudicium adductus est. C. Verres, homo vita atq; factis, omnium iam opinione damnatus, pecuniæ magnitudine, suaspe, ac prædicatione absolutus. Huic ego causæ, Iudices, cum summa voluntate & expectatione Populi Rom. actor accessi, non vt augerem inuidiam ordinis, sed vt infamiæ communi succurrerem. adduxi enim hominem, in quo reconciliare existimationem iudiciorum amissam, redire in gratiã cum populo Romano, satis facere exteris nationibus possetis: depeculatore ararij, vexatorem Asiæ, atq; Pamphyliæ, prædonem iuris vrbani,
3 labem atque perniciem prouinciæ Siciliæ. * De quo si vos seuerè religioseq; iudicaueritis, autoritas ea, quæ in vobis remanere debet, hærebit. Si istius ingentes diuitiæ iudiciorum religionem, veritatemq; perfregerint: ego hoc tamen assequar, vt iudicium potius Reip. quàm aut reus iudicibus, aut accusator reo defuisse videatur. Equidem vt de me confitear, Iudices, cùm multæ mihi à C. Verre insidiæ terra mariq; factæ sint, quas partim mea diligentia deuitarim, partim amicorum studio, officioq; repulerim: nunquam tamen, neq; tãtum periculum mihi

adire

adire visus sum, neq; tanto opere pertimui, vt nunc in ipso iudicio.* Neq; tãtum me expectatio accusationis meæ, cõcursusq; tãta multitudinis, quib⁹ ego reb⁹ 4
vehementißimè perturbor, commouet, quãtum istius insidiæ nefariæ, quas vno tempore mihi, vobis, M. Glabrioni Prætori, socijs, exteris nationibus, ordini, nomini deniq; Senatorio facere conatur, qui ita dicitat, ijs esse metuẽdum, qui quod ipsis solis satis esset, surripuissent: se tantum rapuisse, vt id multis satis esse posßit. nihil esse tam sanctum, quod nõ violare, nihil tam munitum, quod non expugnari pecunia posßit.* Quòd si quàm audax est ad conandum, 5
tam esset obscurus in agendo, fortasse aliqua in re nos aliquãdo fefellisset. verum hoc adhuc percõmodè cadit, quod cùm incredibili eius audacia singularis stultitia coniuncta est. Nam vt apertus in corripiendis pecunijs fuit, sic in spe corrumpendi iudicij perspicuã sua consilia, conatusq; omnibus fecit. Semel ait se in vitã pertimuisse, tum cùm primum reus à me factus sit: quod cum è prouincia recens esset, inuidiaq; & infamia non recenti, sed vetere ac diuturna flagraret, tũ ad iudicium corrũpendum tempus alienum offenderet.* Itaq; cùm ego 6
diem in Siciliã inquirendi perexiguã postulauisse, inuenit iste, qui sibi in Achaiam biduo breuiorem diem postularet: non vt idem conficeret diligentia, & industria sua, quòd ego meo labore & vigilijs consecutus sum. Etenim ille Achaicus inquisitor ne Brundusium quidem peruenit: ego Siciliam totam quinquaginta diebus sic obij, vt omnium populorum,

pri-

priuatorumq; literas, iniurias q; cognoscerem : vt perspicuum cuiuis esse posßit, hominem ab isto quæsitum esse, non qui reũ suum adduceret, sed qui meũ
7 tempus obsideret.* Nunc homo audacißimus atq; amentißimus hoc cogitat : intelligit me ita paratum atq; instructum in iudicium venire, vt non modò in auribus vestris, sed in oculis omnium sua furta atq; flagitia depixurus sim. Videt Senatores multos esse testes audaciæ suæ: videt multos equites Romanos, frequentes præterea ciues atque socios, quibus ipse insignes iniurias fecerit : videt etiam tot graues ab amicißimis ciuitatibus legationes cum publicis au-
8 toritatibus ac testimonijs conueniße.* Quæ cum ita sint, vsque eò de omnibus bonis malè existimat: vsque eò Senatoria iudicia perdita profligata q; esse arbitratur, vt hoc palam dicitet, non sine causßa se cupidum pecuniæ fuisse, quoniã tantum in pecunia præsidium experiatur esse: sese (id quod difficilimum fuerit) tempus ipsum emisse iudicij sui, quo cætera facilius emere posßet: vt quoniam criminum vim subterfugere nullo modo poterat, procellam temporis deui-
9 taret.* Quòd si nõ modò in causa, verũ etiã in aliquo honesto præsidio, aut in alicuius eloquentia aut gratia spem aliquam collocasßet, profectò non hæc omnia colligeret atq; aucuparetur: non vsque eò despiceret, contemneretque ordinem Senatorium, vt arbitratu eius deligeretur ex Senatu : qui reus fieret: qui dum hic, quæ opus essent, comparãret, causam in-
10 terea ante eum diceret.* Quibus ego rebus quid iste speret, & quò animũ intendat, facilè perspicio: quã-

obrem

obrem verò se confidat aliquid perficere posse hoc Glabrionem Prætore, & hoc consilio intelligere non possum. Vnum illud intelligo, quod Prætor in reiectione iudicum iudicauit, ea spe istum fuisse præditum, vt omnem rationem salutis in pecunia poneret: hoc erepto præsidio, vt nullam sibi rem adiumento fore arbitraretur. Etenim quod est ingenium tantum? quæ tanta facultas dicendi & copia, quæ istius vitam tot vitijs flagitijsq; conuictam, iampridem omnium voluntate iudicioq; damnatã, aliqua ex parte posset defendere? * Cuius vt adolescentiæ maculas ignominiasq; præteream, Quæstura primus gradus honoris, quid aliud habet in se, nisi Cn. Carbonẽ spoliatum à Quæstore suo pecunia publica? nudatum & proditum Cõsulẽ? desertum exercitũ? relictam prouinciam? sortis necessitudinẽ, religionemq́ue violatã? Cuius legatio exitium fuit Asiæ totius & Pamphyliæ: quibus in prouincijs multas domos, plurimas vrbes, omnia fana depeculatus est: cùm in Cn. Dolabellam scelus suum illud pristinum renouauit et instaurauit Quæstorium: cùm eum, cui legatus, & pro Quæstore fuisset, & in inuidiam suis maleficijs adduxit, & in ipsis periculis non solùm deseruit, sed etiã oppugnauit ac prodidit. * cuius Prætura vrbana adium sacrarum fuit, publicorumq; operum depopulatio: simul in iure dicendo bonorum possessionumq́ue contra omnium instituta addictio, & condonatio. Iam verò omnium vitiorum suorum plurima & maxima constituit monumenta & indicia in prouincia Sicilia: quam iste per triennium

II

12

ennium ita vexauit ac perdidit, vt ea restituit in
antiquum statum nullo modo possit: vix autem per
multos annos, innocentesque Prætores aliqua ex
13 parte recreari aliquando posse videatur. *Hoc prætore Siculi neque suas leges, neque nostra Senatusconsulta, neque communia iura tenuerunt: tantum quisque habet in Sicilia, quantum hominis auarissimi & libidinosissimi aut imprudentiam subterfugit, aut satietati superfuit. Nulla res per triennium, nisi ad nutum istius iudicata est. nulla res tam tria cuiusquam atq; uita fuit, quæ non ab eo, imperio istius abiudicaretur. Innumerabiles pecuniæ ex aratorum bonis nouo nefarioque instituto coactæ: socij fidelissimi in hostium numero existimati: ciues Romani seruilem in modum cruciati & necati: homines nocentissimi, propter pecuniam iudicio liberati: honestissimi atq; integerrimi absentes reifacti, indicta causa damnati atque eiecti: portus munitissimi, maximæ tutissimæq; vrbes, piratis prædonibusq; patefactæ: nautæ, milites q; Siculorum, socij nostri atq; amici fame necati: classes optimæ atque
opportunissimæ cum magna ignominia Pop. Rom.
41 amissæ & perditæ. *Idem iste Prætor monumēta antiquissima partim Regum locupletissimorum, quæ illi ornamento vrbibus esse voluerunt, partim etiam nostrorum Imperatorum, quæ victores ciuitatibus Siculis aut dederunt, aut tradiderunt, spoliauit, nudauitque omnia. Neq; hoc solum in statuis publicis ornamētisq; fecit, sed etiam delubra omnia sanctissimis religionibus consecrata depeculatus est.

Deum

Deũ deniq; nullũ Siculis, qui ei paulò magis affabre atq; antiquo artificio factus videretur, reliquit. In stupris verò, et flagitijs nefarias eius libidines cõmemorare pudore deterreor: simul illorum calamitatem cõmemorando augere nolo, quibus liberos coniugesq; suas integras ab istius petulantia cõseruare non licitum est. * At enim hæc ita cõmissa sũt ab isto, 15
vt non cognita sint ab omnibus. Hominẽ esse arbitror neminem, qui nomẽ istius audierit, quin facta quoq; eius nefaria cõmemorare possit, vt mihi magis timẽdum sit, ne multa crimina prætermittere, quam ne qua in istum fingere existimer. Neq; enim mihi videtur hæc multitudo, quæ ad audiendũ cõuenit, cognoscere ex me causam voluisse: sed ea quæ scit, mecũ recognoscere. Quæ cum ita sint, iste homo amens ac perditus alia mecũ ratione pugnat. non id agitur, vt alicuius eloquentiam mihi opponat: non gratia, non autoritate cuiusquam, nõ potentiam nititur: simulat his se rebus cõfidere, sed video quid agat, neq; enim agit occultißimè, proponit inania mihi nobilitatis, hoc est hominum arrogantium nomina, qui non tam me impediunt, quòd nobiles sunt, quàm adiuuant & noti sunt: simulat se eorum præsidio confidere, cum interea aliud quiddam iamdiu machinetur. * Quam 16
spem nunc habeat in manibus, & quid moliatur, breuiter iam, Iudices, exponam: sed prius vt ab initio res ab eo constituta sit, quæso cognoscite. Vt primum è prouincia rediit, redemptio est huius iudicij facta grandi pecunia: mansit in conditione, atque pacto vsque ad eum finem, dum iudices reiecti sunt.

poſtea quam reiectio iudicum facta eſt, quòd et in ſortitione, iſtius ſpem fortuna Populi Romani, & in reijciendis iudicibus mea diligentia iſtorum impudentiam vicerat, renunciata eſt tota cõditio. *Præclarè ſe res habebat: libelli nominum veſtrorum conſiliq; huius in manibus erant omnium, nulla nota, nullus color, nullæ ſordes videbantur his ſententijs allini poſſe: cùm iſte repentè ex alacri atq; læto, ſic erat humilis, atq; demiſſus, vt non modò Populo Ro. ſed etiam ſibi ipſe condemnatus videretur. Ecce autem repentè, his diebus paucis, comitijs Conſularibus factis, eadem illa vetera conſilia pecunia maiore repetuntur, eædem, veſtræ fama, fortunisq; omnium inſidiæ per eoſdem homines comparantur. Quæres primo, iudices, pertenui nobis argumento indicio q; patefacta eſt: poſt aperto ſuſpitionis introitu ad omnia intima iſtorum conſilia, ſine vllo errore peruenimus. *Nam vt Hortenſius COS. deſignatus domum reducebatur è campo cum maxima ſi equẽtia à multitudine: vt obuiam caſu ei multitudini C. Curio, quem ego hominem honoris potius, quàm contumeliæ cauſa nominatum volo. Etenim ea dicam, quæ ille ſi commemorari noluiſſet, non tanto in conuentu, tam apertè, palamq; dixiſſet. quæ tamen à me pedetentim cauteq́ dicentur, vt & amicitiæ noſtræ, & dignitatis illius habita ratio eſſe intelligatur. *Videt ad ipſum fornicem Fabianum in turba Verrem: appellat hominem, & ei voce maxima victoriam gratulatur: ipſi Hortenſio, qui Conſul erat factus, propinquis neceſſarijſq́ eius, qui tum ade-

aderant, verbam nullum facit: cùm hoc cõsistit, hãc amplexatur, hunc iubet sine cura esse. renuncio, inquit, tibi, te hodiernis comitijs esse absolutum. Quod cùm tam multi homines honestissimi audissent, statim ad me defertur: immò verò, vt quisq; me viderat, narrabat. alijs illud indignũ, alijs ridiculum videbatur: ridiculũ ijs, qui istius causã in testiũ fide, in criminũ ratiõe, in iudicũ potestate, nõ in comitijs Cõsularibus posità arbitrabantur: indignum ijs, qui altius perspiciebant, & hanc gratulationem ad iudicium corrũpendum spectare arbitrabantur. * Et enim sic ratiocinabantur, sic honestissimi homines inter se, & mecum loquebantur, apertè iam & perspicuè nulla esse iudicia: qui reus pridie iam ipse se condemnatum putabat, is, postea quam defensor eius Consul est factus, absoluitur. Quid igitur? quod tota Sicilia, quòd omnes Siculi, omnes negotiatores, omnes publicæ priuatæque litteræ Romæ sunt, nihilne id valebit? nihil inuito COS. designato. Quid? iudices non crimina, non testes, non existimationem Popul. Roman. sequentur? non omnia in vnius potestate ac moderatione vertentur. Verè loquar, Iudices, vehementer me hæc res commouebat. optimus enim quisque ita loquebatur, Iste quidem tibi eripietur, sed nos non tenebimus iudicia diutius: etenim quis poterit Verre absoluto de transferendis iudicijs recusare? * Erat omnibus molestum: neque eos tam istius perditi subita lætitia, quam hominis amplissimi noua gratulatio commouebat. Cupiebam dissimulare me id moleste ferre:

re: cupiebam animi dolorem vultu tegere, & taciturnitate celare. eccè autem illis ipsis diebus, cùm Prætores designati sortirentur, & M. Metello obtigisset, vt is de pecuniis repetundis quæreret: nunciatur mihi, tantam isti gratulationem esse factam,
22 vt is quoque domum pueros mitteret, qui vxori suæ nunciarẽt. * Sanè ne hæc quidem res mihi placebat: neque tantoperè quid in hac sorte metuendum mihi esset, intelligebam. vnum illud ex hominibus certis, ex quibus omnia comperi, reperiebam, fiscos complures cum pecunia Siculensi à quodam Senatore ad Equitem Romanum esse translatos: ex his quasi X. fiscos ad senatorem illum relictos esse comitiorum nomine, diuisores omnium tribuum noctu ad istum
23 vocatos. * Ex quibus quidam, qui se omnia mea causa facere debere arbitrabatur, eadem illa nocte ad me venit. demonstrat, quâ iste oratione vsus esset: commemorasse istum, quàm liberaliter eos tractasset etiam antea, cùm ipse Prætura petisset, & proximis Consularibus, Prætorijsq; comitijs: deinde esse pollicitum quantum vellet pecuniæ, si me Aedilitate deiecissent. hoc alios negasse audere, alios respondisse, hõ putare id perfici posse: inuentum tamẽ esse fortem amicum ex eadem familia Q. Verrem Romilia, ex optima diuisorũ disciplina, patris istius discipulum atq; amicum, qui HS. quingẽtis militibus depositis id se perfecturum polliceretur: & fuisse tamen nõnullos, qui se vnà facturos esse dicerent. quæ cũ ita essent, sanè beneuolo animo me, vt magnopere cauerẽ, præmonebat. * Solicitabar rebus maximis
24

vno,

vno, atq; eo perexiguo tempore. vrgebant comitia: & his ipsis oppugnabar grandi pecunia. instabat iudicium: ei quoq; negocio fisci Siculiensis imminabātur. agere, quæ ad iudicium pertinebant liberè, comitiorum metu deterrebar. petitioni toto animo seruire propter iudicium non licebat. minari denig, diuisoribus ratio non erat, propterea quod eos intelligere videbā, me hoc iudicio districtū atq; obligatum futurum.* Atque hoc ipso tempore Siculis denuntiatum esse audio, primum ab Hortensio, domum ad illum vt venirent, Siculos sanè in eo liberos fuisse: qui quamobrem accerserentur cum intelligerent, nō venissent: Interea comitia nostra, quorū iste se, vt cæterorum hoc anno comitiorum, dominum esse arbitrabatur, haberi cœpta sunt. Cursare iste homo potens, cū filio blando & gratioso circum tribus, patronos amicos, hoc est diuisores appellare omnes & conuenire. Quòd cùm esset intellectū & animaduersum, fecit animo libentissimo Popul. Rom. vt cuius diuitiæ me de fide deducere non potuissent, ne eiusdem pecunijs de honore deijcerer.* Post ea quam illa petitionis magna cura liberatus sum, animo cœpi multò magis vacuo ac soluto, nihil aliud nisi de iudicio agere, & cogitare. Reperio, Iudices, hæc ab istis consilia inita & cōstituta, vt quacūque opus esset ratione, res ita duceretur, vt apud M. Metellum Prætorem causa diceretur: in eo esse hæc commoda: primū M. Metellum amicissimum, deinde Hortēsium COS. non solùm, sed etiam Q. Metellum, qui quàm isti sit amicus, attēdite. dedit enim prærogatiuam suæ volū-

25

26

tatis eiusmodi, vt illi pro prærogatiuis iam reddidis-
24 se videatur.* Arme taciturum tātis de rebus existi-
mauistis? & in tanto Reip. existimationisq, meæ pe-
riculo cuiquam consulturum potius, quàm officio &
dignitati meæ? Accersit alter COS. designatus
Siculos, veniunt nonnulli, propterea quod Q.
Metellus esset Prætor in Sicilia: cum ijs ita loqui-
tur, se Consulem esse, fratrem suum alterum Sicili-
am prouinciam obtinere, alterum esse quæsturū de
pecunijs repetundis, Verrine nocere posse multis ra-
28 tionibus esse prouisum.* Quid est quæso, Metelle, iu-
diciū corrūpere, si hoc nō est? testes, præsertim Sicu-
los, timidos homines & afflictos, non solum autori-
tate deterrere, sed etiam cōsulari metu, & duorum
Prætorū potestate? Quid faceres pro homine innoce-
nte & propinquo, cū propter hominē perditissimum
atque alienissimum de officio ac dignitate decedis? et
cōmittis, vt ab ille dicitur, alicui qui te ignorat, verū
esse videatur?* Nā hoc Verrem dicere aiebant: te
29 non fato, vt ceteros ex vestra familia, sed opera sua
Cōsulem factum. Duo igitur COSS. & quæstor etiā
ex illius voluntate. non solùm effugiemus, inquit,
hominem in quarendo nimium diligentem, nimi-
um seruientem populi existimationi, M. Glabrio-
nem: accedet nobis etiam illud, iudex est M. Ceso-
nius Collega nostri accusatoris, homo in rebus iudi-
candis spectatus & cognitus: quem minime expe-
diat esse in eo consilio, quod conemur aliqua ratio-
ne corrumpere: propterea quòd iam antea, cum
iudex in Iuniano consilio fuisset, turpissimum illud

faci-

facimus non solum grauiter tulit, sed etiam in medium protulit. hunc iudicem ex Cal. Ian. non habebimus. *Q. Manlium, & Q. Cornificium duos seueriſsimos atque integerrimos iudices, quod Trib. Pl. tum erunt, iudices non habebimus. P. Sulpitius iudex triſtis & integer magiſtratum ineat neceſſe eſt Nonis Decembr. M. Crepereius ex acerrima illa Equeſtri familia & diſciplina, L. Caßius ex familia tum ad cæteras res, tum ad iudicandum seueriſsima, Cn. Tremellius homo ſumma religione, & diligentia, tres hi homines veteres Trib. militares ſunt deſignati, ex Cal. Ian. non iudicabũt. Subſortiemur etiam in M. Metelli locum, quoniam is huic ipſi quæſtioni præfuturus eſt. Ita ſecundum Cal. Ian. & Prætore, & propè toto conſilio commutato, magnas accuſatoris minas magnamque iudicij expectationem ad noſtrum arbitriũ libidinẽq; eludemus. *Nonnæ sũt hodie Sextiles. hora nona cõuenire capiſtis. hunc diem iã ne numerãt quidem. Decem dies ſunt ante ludos votiuos, quos Cn. Pompeius facturus eſt. hi ludi dies quindecim auferent: deinde continuò Romani conſequentur. Ita prope quadraginta diebus interpoſitis, tum denique ſe ad ea, quæ à nobis dicta erunt, reſponſuros eſſe arbitrantur deinde ſe ducturos & dicendo & accuſando facilè ad ludos Victoriæ. cum his plebeios eſſe coniunctos, ſecundum quos aut nulli, aut pauci dies ad agendum futuri ſunt. ita defeſſa ac refrigerata accuſatione rem integram ad M. Metellum Prætorem eſſe ventura quem ego hominem ſi eius fidei diffiſus eſ-

sem, iudicem non retinuisse m.* Nunc tamen eo ani-
32 mo sum, vt eo iudice quàm Prætore hanc rem transigi malim: & iurato suam, quàm iniurato aliorum tabellas committere. Nunc ego, iudices, iam vos consulo, quid mihi faciendum putetis: id enim consilij mihi profectò taciti dabitis, quod egomet mihi necessariò capiendum intelligo. Si vtar ad dicendum meo legitimo tempore, mei laboris, industriæ, diligentiæque capiam fructum: & ex accusatione perficiam, vt nemo vnquam post hominum memoriam paratior, vigilantior, compositior ad iudicium venisse videatur. sed in hac laude industriæ mea, reus ne elabatur summum periculum est. Quid est igitur, quod fieri possit? non obscurum opi-
33 nor, neque absconditum.* fructum istum laudis, qui ex perpetua oratione percipi potuit. in alia tempora reseruemus: nunc hominem tabulis, testibus priuatis publicisq; literis, autoritatibusq; accusemus. Res omnis mihi tecum erit, Hortensi: dicam aperte. sitne mecum dicendo, ac diluendis criminibus in hac causa contendere putarem, ego quoque in accusando, atque in explicandis criminibus operam consumerem Nunc quoniam pugnare contra me instituisti, non tam ex tua natura, quàm ex istius tempore & causa, malitiosè necesse est istius moderationi
34 aliquo consilio obsistere.* Tua ratio est, vt secundùm binos ludos mihi respondere incipias: mea, vt ante primos ludos comperendinem. ita fiet vt tua ista ratio existimetur astuta, meum hoc consilium necessarium. Verum id quod instituera m dicere, mihi rem te-

cum

cum esse, huiusmodi est. Ego cū hanc causam Siculorum rogatu recepissem, idq; mihi amplū & præclarū existimassem, eos velle meæ fidei diligentiæq; periculum facere, qui innocentiæ abstinentiæq; fecissēt. tū suscepto negotio maius mihi quiddā proposui, in quo meā in Remp. voluntatem Po. R. perspicere posset. * Nā illud mihi nequaquā dignū industria, cona. 3
tuq; meo videbatur, istū à me in iudicium tā omniū iudicio condemnatum vocari, nisi ista tua intolerabilis potētia, & ea cupiditas, qua per hosce annos in quibusdā iudicijs usus es, etiā in istius hominis desperati causa interponeretur. Nunc verò, quoniam hæc te omnis dominatio, regnumq; iudiciorum tā operè delectat: & sunt homines, quos libidinis, infamiæq; suæ neq; pudeat, neque tædeat, qui quasi de industria in odium offensionemq; Pop. Rom. irruere videantur: hoc me profiteor suscepisse, magnum fortasse onus, & mihi periculosum, veruntamen dignum in quo omnes veruos statis industriaq; meæ contenderē. * Quoniam totus ordo paucorum improbitate & 36 Senatorum
audacia premitur, & vrgetur infamia iudiciorum, profiteor huic generi hominum me inimicum, accusatorem odiosum, assiduum, acerbum aduersarium. hoc mihi sumo, hoc mihi deposco, quòd & agam in magistratu, quòd & agam ex eo loco, ex quo me Po. Rom ex Cal. Ian. secum agere de Rep. ac de hominibus improbis voluit. hoc munus æditatis meæ Po. Rom. amplissimum pulcherrimumq; polliceor. moneo, prædico, antè denuncio, qui aut deponere, aut recipere, aut accipere, aut polliceri, aut interpretes

corrumpendi iudicij solent esse: quique ad hanc rem aut potentiam, aut impudentiam suâ professi sunt, abstineât in hoc iudicio manus animosq; ab hoc scelere nefario. * Erit tum Consul Hortensius cum summo imperio, & potestate: ego autem Aedilis, hoc est paulo amplius quàm priuatus. Tamen hac huiusmodi res est, quàm me acturum esse polliceor, ita Pop. Rom. grata atq; iucunda, vt ipse COS. in hac causa præ me minus, etiamsi fieri possit, quàm priuatus esse videatur. omnia non modò commemorabuntur, sed etiã expositis certis rebus agentur, quæ intra decem annos, posteaquam iudicia ad Senatum translata sunt, in rebus iudicandis nefariè flagitioseq; facta sunt. * Cognoscet ex me Pop. Rom. quid sit, quamobrem cũ Equester ordo iudicaret annos propè quinquaginta continuos, nullo iudice Equit. R. iudicãte, ne tenuissima quidem suspicio acceptæ pecuniæ obrẽ iudicandam constituta sit: quid sit, quod iudicijs ad Senatorium ordinem trãslatis, sublataq; Po. Ro. in vnumquemq; nostrorum potestate, Q. Calidius damnatus dixerit, minoris HS XXXM. Prætorium hominem honestè non posse damnari quid sit, quod P. Sepimio Senatore dãnato Q. Hortensio Prætore de pecunijs repetundis, lis æstimata sit eo nomine, quod ille ob rem iudicandam pecuniam accepisset. * quòd in C. Herennio, quòd in C. Popilio Senatoribus, qui ambo peculatus damnati sunt, quòd in M. Attilio, qui de maiestate damnatus est, hoc planum factum est, eos pecuniam ob rem iudicãdam accepisse, quod inuenti sunt Senatores, qui C. Verre Pr. vrbano, sor-

37

38

39

sortiente, exirēt in eum reum, quem incognita causa condemnarēt, quod inuentus est Senator, qui cum iudex esset, in eodem iudicio abreo pecuniam acciperet, quam iudicibus diuideret, & ab accusatore, vt reum damnaret.* Iā verò quomodo illam labem, ignominiam, calamitatemq; totius ordinis conquerar? hoc factum esse in hac ciuitate, cum Senatorius ordo iudicaret, vt discoloribus signis, iuratorū hominum sententiæ notarentur? hæc omnia me diligenter seuereq; acturum esse polliceor. Quo me tandē animo fore putetis, si quid in hoc ipso iudicio intellexero simili aliqua ratione esse violatum atque commissū? cum præsertim planū facere multis testibus possim, C. Verrem in Sicilia multis audientibus sæpè dixisse, se habere hominem potentem, cuius fiduciæ prouinciam spoliaret: neq; sibi soli pecuniam quærere, sed ita triēnium illud Prætura Siciliēsis distributum habere, vt secum præclarè agi diceret, si vnius anni quæstum in rem suam conuerteret, alterum patronis & defensoribus suis traderet, tertiū illum vberrimum quæstuosissimumq; annum totum iudicibus reseruaret.* Ex quo mihi venit in mentem illud dicere, quod apud M. Glabrionem nuper cum in reiiciendis iudicibus commemorassem, intellexi vehementer Pop. Rom. commoueri: me arbitrari fore, vti nationes exteræ Legatos ad Pop. Rom. mitterent, vt lex de pecuniis repetundis iudiciumq; tolleretur. si enim iudicia nulla sint, tantum vnumquenque ablaturum putant, quantum sibi ac liberis suis satis esse arbitretur. Nunc quod in eiusmodi iudi-

4

4

dicia sint, tantum vnumquemq; auferre, quantum sibi, patronis, aduocatis, Prætoribus, iudicibus satis futurum sit. hoc profectò infinitum esse: se auaritissimi hominis cupiditati satisfacere posse, nocentissimæ victoriæ non posse. * Q commemoranda iudicia,
42 præclaramq; existimationē nostri ordinis, cū socijs? Ro. iudicia de pecunijs repetundis fieri nolunt, quæ à maioribus nostris sociorum causa comparata sunt, An iste vnquam de se bonam spem habuisset, nisi de vobis malam opinionem animo imbibisset? Quo maiore etiam si fieri potest, apud vos odio esse debet,
43 quàm est apud Pop. Rom. cum in auaritia, scelere, periurio vos sui similes esse arbitraretur.* Cui loco per deos immortales, iudices, cōsulite ac prouidete, moneo, prædicoq; id quod intelligo tempus opportunissimum nobis hoc diuinitus datum esse, vt odio, inuidia, infamia, turpitudine totum ordinem liberetis. nulla in iudicijs seueritas, nulla religio, nulla denicq; iam existimantur esse iudicia. itaque à Pop. Rom. contemnimur, despicimur, graui diuturnaque
44 iam flagramus infamia. * Neque enim vllam aliam ob causam Populus Romanus tribunitiam potestatem tanto studio requisiuit: quā cum poscebat, verbo illam poscere videbatur, re vera iudicia poscebat. Neque hoc Q. Catulū hominem sapientissimū atque amplissimum fugit, qui Cn. Pompeio viro fortissimo & clarissimo de tribunitia potestate referente, cū esset sententiam rogatus, hoc initio est summa cum autoritate vsus, Patres conscriptos iudicia malè & flagitiosè tueri, quòd si in rebus iudicandis Pop. Ro.

existima-

existimationi satisfacere voluissent, non tantopere homines fuisse tribunitiam potestatem desideraturos.* Ipse denique Cn. Pompeius, cum primū cōcionē 45
ad vrbem COS. designatus habuit, vbi, id quod maximè expectari videbatur, ostendit se tribunitiam potestatem restituturum, factus est in eo strepitus, & grata concionis admurmuratio. Idem in eadē concione cum dixisset populatas vexatasq; esse prouincias, iudicia autem turpia & flagitiosa fieri, ei rei se prouidere ac consulre velle: tū verò nō strepitu, sed maximo clamore suā Pop. Rom. significauit voluntatem.* Nūc aūt homines in speculis sunt, obseruāt 46
quemadmodum se vnusquisque vestrū gerat in retinenda religione, conseruandisque legibus: vident adhuc post legem tribunitiam vnum Senatorem vel tenuissimum esse damnatum. quod tametsi non reprehendunt, tamen magnoperè quod laudēt, nō habent. Nulla est enim laus, ibi esse integrum, vbi nemo est, qui aut possit, aut conetur corrumpere.* Hoc 47
est iudicium, in quo vos de reo, Pop. Rom. de vobis iudicabit: in hoc homine statuetur, possitne Senatoribus iudicantibus, homo nocentissimus perniciosissimusque dānari. Deinde est huiusmodi reus, in quo homine nihil sit, praeter summa peccata, maximāque pecuniam: vt si liberatus sit, nulla alia suspitio, nisi ea quae turpissima est, residere possit. non gratia, nō cognatione, nō alijs rectè factis, nō denique aliquo mediocri vitio, tot tantaque eius vitia subleuata esse existimabuntur.* Postremò ego causā sic agā, iudi- 48
ces, eiusmodi res, ita notas, ita testatas, ita magnas,

ita

ita manifestas proferam, vt nemo à vobis vt istum absoluatis pergratiam conetur contendere. Habeo autem certam viam atque rationem, qua omnes illorum conatus inuestigare & consequi possim. Ita res à me agetur, vt in eorum consilijs omnibus, non modò aures hominum, sed etiam oculi Populi Ro-
49 mani interesse videantur. * Vos aliquot iam per annos conceptam huic ordini turpitudinem atque infamiam delere ac tollere potestis. Constat inter omnes, post hæc constituta iudicia, quibus nūc vtimur, nullum hoc splendore, atq; hac dignitate consilium fuisse. Hic si quid erit offensum, omnes homines non iā ex eodem ordine alios magis idoneos, quod fieri non potest, sed alium omninò ordinem ad res iudi-
50 cādas quærendum arbitrabuntur. * Quapropter primum ab dijs immortalibus, quod sperare mihi videor, hoc idē, Iudices, peto, vt in hoc iudicio nemo improbus, præter eum, qui iampridem inuentus est, reperiatur. deinde si plures improbi fuerint. hoc vobis, hoc populo Rom. Iudices, cōfirmo, vitam me herculè mihi prius, quàm vim perseuerantiam, ad illorum
51 improbitatem persequendam defuturam. * Verum quod ego laboribus, periculis, inimicitijs q; meis, tum, cùm admissum erit, dedecus seuerè me persecuturum esse pollicear: id ne accidat, tu tua sapiētia, authoritate, diligētia, M. Glabrio, potes prouidere. suscipe causam iudiciorum: suscipe causam seueritatis, integritatis, fidei, religionis: suscipe causā Senatus, vt is hoc iudicio probatus, cum Pop. Rom. & in laude, & in gratia esse possit. Cogita qui sis, quo loco:

quid

quid dare Populo Rom. quid reddere maioribus tuis debeas. Fac tibi paternæ legis Aciliæ veniat in mentem, qua lege populus Romanus de pecuniis repetundis optimis iudicijs seueriſſimus q; iudicibus vſus eſt. *Circūſtant te ſummæ autoritates, quæ te obliuiſci laudis domeſticæ nō ſināt: quæ te dies noctesq; 52
commoueant, fortiſſimum tibi patrem, ſapientiſſimum auum, grauiſſimum ſocerum fuiſſe. Quare ſi Glabrionis patris vim & acrimoniam cœperis ad reſiſtendum hominibus audaciſſimis, ſi aui Sceuolæ prudentiam ad proſpiciendas inſidias, quæ tuæ atque horum famæ comparantur, ſi ſoceri Scauri conſtantiam, vt ne quis te de vera & certa poſſit ſententia dimouere, intelliget Pop. Ro. integerrimo atque honeſtiſſimo Prætore, delectoq; conſilio nocenti reo magnitudinem pecuniæ plus habuiſſe momenti ad ſuſpitionem criminis, quā ad rationem ſalutis. * Mi- 53
hi certum eſt non cōmittere, vt in hac cauſa Prætor nobis conſilium q; mutetur: nō patiar rem in id tempus adduci, vt Siculi, quos adhuc ſerui deſignatorum COSS. non mouerunt, cùm eos nouo exemplo vniuerſos arceſſerent, eos tum lictores Conſulum vocent: vt homines miſeri, antea ſocij atq; amici Pop. Ro. nunc ſerui ac ſupplices, non modò ius ſuum, fortunaſq; omnes eorum imperio amittant, verumetiam deplorandi iuris ſui poteſtatem non habeant. * Non ſinam profectò cauſa à me perorata XL. die- 54
bus interpoſitis, tum nobis deniq; reſpondeant, cùm accuſatio noſtra in obliuionem diuturnitate adducta ſit. Non committam, vt tum res iudicetur, cùm

hæc

hac frequentia totius Italiæ Roma discesserit, quæ conuenit vno tempore vndiquè comitiorum, iudiciorum, censendiquè causa. huius iudicij, & laudis fructum & offensionis periculum, vestrum laborem solicitudinemquè nostram: scientiam quid agatur, memoriamq; quid à quoque dictum sit, omniū pu-
55 to esse oportere. * Faciam hoc non nouum, sed abijs, qui nunc principes nostræ ciuitatis sunt, antè factū, vt testibus vtar statim. Illud à me nouū, iudices, cognoscetis, quod ita testes constituā, vt crimen totum explicem: vbi id interrogādo, argumentis atq; oratione firmauero, tum testes ad crimen accommodē: vt nihil inter illam vsitatam accusationem, atque hanc nouam interfit, nisi quòd in illa tunc, cū omnia dicta sunt, testes dantur, hic in singulas res dabūtur: vt illis quoque eadem interrogandi facultas, argumentandi, dicendiquè sit. Si quis erit, qui perpetuam orationem accusationemquè desideret: altera actione audiet. Nunc id quod facimus, ea ratione facimus, vt malitiæ illorum consilio nostro oc-
56 curramus, necessariò fieri intelligat. * Hæc prima actionis erit accusatio. Dicimus C. Verrem, cum multa libidinosè, multa in deos hominesquè nefariè fecerit, tum præterea CCCC. sestertiū ex Sicilia contra leges abstulisse. hoc testibus, hoc tabulis, priuatis publicisquè autoribus, ita vobis planum faciemus, vt hoc statuatis, etiamsi spatium ad dicendum nostro commodo, vacuosquè dies habuissemus, tamen oratione longa nihil opus fuisse.

ACCV-

ACCVSATIONIS IN C. VERREM LIBER III.

SEV ACTIO II.

ORATIO VI.

NEMINEM vestrū ignorare arbitror, Iudices, hunc per hosce dies sermonem vulgi, atq; hanc opinionem Pop. Rom. fuisse, C. Verrem altera actione responsurū non fuisse, neq; ad iudiciū affuturū. Quæ fama non idcirco solū emanârat, quòd iste certè statuerat ac deliberauerat, non adesse: verū etiam, quòd nemo quēquam tā audacem, tā amentem, tam impudentē fore arbitrabatur, qui tā nefarys criminibus, tā multis testibus conuictus, ora iudicū aspicere, aut os suum Po. Rom. ostendere auderet. *Est idē Verres qui fuit semper, vt ad audendū proiectus, sic paratus ad audiendum. præstò est, respondet, defenditur. ne hoc quidem sibi reliqui fecit, vt in rebus turpissimis, cùm manifestò teneatur, sic reticeat, & absit, tamen impudentiæ suæ pudētem exitum quæsisse videatur. Patior, Iudices, & non molestè fero ne laboris mei, vos virtutis vestræ fructum esse laturos. Nam si iste id fecisset, quòd primo statuerat, vt non adesset, minus aliquanto quam mihi opus esset, cognosceretur, quod ego in hac accusatione cō-

paranda constituendaq; elaborassem: vestra verò
3 laus tenuis planè atq; obscura, Iudices, esset. * Neq;
enim hoc à vobis Pop. Rom. expectat: neq; eo potest
esse contentus, si condemnatus sit is, qui adesse nolu-
erit, & si fortes fueritis in eo, quem nemo sit ausus
defendere: immò verò adsit, respondeat, summis o-
pibus, summo studio potentissimorum hominum de-
fendatur. certet mea diligentia cum illorum omniū
cupiditate: vestra integritas cum istius pecunia: te-
stium constantia cū illius patronorum minis atq; po-
tentia. Tum demum illa victa videbuntur, cū in con-
4 tentionem certamenq; venerint. * Absens si iste esset
damnatus, non tam ipse sibi consuluisse, quā inuidis-
se vestræ laudi videretur. Neq; enim salus vlla ma-
ior Reip. hoc tempore reperiri potest, quàm Po. Ro.
intelligere, diligenter reiectis ab accusatore iudici-
bus, socios, leges, Remp. Senatorio consilio maximè
posse defendi. neq; tanta fortunis omnium pernicies
potest accedere, quàm opinione Po Rom. rationem
veritatis, integritatis, fidei, religionis ab hoc ordine
5 abiudicari. * Itaque mihi videor magnam, & maxi-
mè agram, & propè depositam Reip. partem susce-
pisse: neq; in eo magis meæ, quā vestræ laudi exisi-
mationiq; seruisse. Accessi enim ad inuidiā iudicio-
rum leuandam, vituperationemq; tollendam: vt cū
hac res provoluntate Po. Ro. esset iudicata, aliqua
ex parte meā diligentia constituta auctoritas iudici-
orum videretur. Postremò vt esset hoc iudicatum, vt
finis aliquando iudiciariæ cōtrouersiæ cōstitueretur.
6 * Etenim sine dubio, Iudices, in hac causa ea res in

discri-

discrimẽ adducitur: reus est enim nocentißimus, qui si condẽnetur, desinent homines dicere: his iudicijs pecuniã plurimũ posse: sin absoluitur, desinemus nos de iudicijs transferendis recusare. tametsi de absolutione istius, neq; ipse iam sperat, nec Po. Ro. metuit De impudentia singulari, q; adest, quod respondet, sunt qui miretur: mihi pro cætera eius audacia, atq; amentia, ne hoc quidem mirandũ videtur. multa enim & in deos, & in homines impiè nefarieq; commisit, quorum scelerum pœnis agitatur, & amente consilioq; deducitur. * Aguntur eũ præcipitẽ pœnæ ciuium Rom. quos partim securi percußit, partim in vinculis necauit, partim implorantes iura libertatis & ciuitatis in crucem sustulit. Rapiunt eum ad supplicium dũ patrij, quòd iste iuuentus est, qui è cõplexu parentum abreptos filios ad necem duceret, & parentes pretium pro sepultura liberum posceret. Religiones verò, cæremoniæq; omnium sacrorum fanorumq; violata: simulacraq; deorum, quæ non modò ex suis templis ablata sunt, sed etiam iacent in tenebris ab isto retrusa atq; abdita, consistere eius animum sine furore atq; amẽtia nõ sinũt. * Neq; iste mihi videtur se ad damnationem offerre solum, neque hoc auaritiæ supplicio communi, qui tot sceleribus se obstrinxerit, contentus esse: singularẽ quãdam pœnam istius immanis atq; importuna natura desiderat. non id solum quæritur, vt isto damnato bona restituantur ijs, quibus erepta sunt: sed & religiones deorum immortalium expiandæ, & ciuium Rom. cruciatus, multorumque innocentium

9 sanguis, istius supplicio luendus est.* Nō enim furē, sed ereptorem: non adulterum, sed expugnatorem pudicitiæ: non sacrilegum, sed hostem sacrorum religionemq; : non sicarium, sed crudelissimum carnificem ciuium sociorumq; in vestrum iudicium adduximus: vt ego hunc vnum eiusmodi reum post hominum memoriam fuisse arbitrer, cui damnari expediret. Nam quis hoc nō intelligit, istū absolutū dijs hominibusq; inuitis, tamen ex manibus Po. Ro. eripi nullo modo posse? quis hoc non perspicit, præclarè nobiscum actum iri, si Po. Ro. istius vnius supplicio contentus erit? ac non sic statuerit, nō istum maius in se scelus concepisse, cū fana spoliarit, cū tot homines innocentes necārit, cùm ciues Ro. morte, cruciatu, cruce affecerit, cū prædonum duces accepta pecunia dimiserit, quā eos si qui istum tot, tantis, tam nefarijs sceleribus coopertum iurati sententia sua liberarent? * Non est, non est in hoc homine cuiquā peccādi locus, Iudices: non is est reus, non id tempus, non id consilium (metuo ne quid arrogantius apud tales viros videar dicere) ne actor quidem est is, cui reus, tam nocens, tam perditus, tam victus, aut occultè surripi, aut impunè eripi possit. His ego iudicibus nō probabo C. Verrem contra leges pecunias cepisse? sustinebunt tales viri se tot Senatoribus, tot Equitibus Rom. tot ciuitatibus, tot hominibus honestissimis ex tam illustri prouincia, tot populorum, priuatorumq; literis non credidisse? tantæ Pop. Rom. voluntati restitisse? * sustineant: reperiemus, si istum ciuium ad aliud iudicium perducere poterimus, quibus

bus probemus istum in Quæstura pecuniam publicam Cn. Carboni COS. datam auertisse: quibus persuadeamus istum alieno nomine a Quæstoribus vrbanis, quod priore actione didicistis, pecuniam abstulisse. Erunt, qui in eo quoq; audaciam eius reprehendant, quòd aliquot nominibus de capite quantum commodum fuerit, frumenti decumani detraxerit. Erunt etiam fortasse, Iudices, qui illum eius peculatum vel acerrimè vindicandum putent, quòd iste M. Marcelli, & P. Africani monimenta, quæ nomine, illorum, re vera Pop. Rom. & erant & habebantur, ex fanis religiosissimis, ex vrbibus sociorum atque amicorum non dubitauerit auferre. *Emerserit ex peculatus etiam iudicio: meditetur de ducibus hostium, quos accepta pecunia liberauit: videat, quid de illis respondeat, quos in eorum locum subditos domi suæ reseruauit: quærat non solùm, quemadmodum nostro crimini, verùm etiam quo pacto suæ confessioni possit mederi: meminerit se priore actione clamore Popul. Rom. infesto, atque inimico excitatum confessum esse, duces à se prædonum securi non esse percussos: se iam tum esse veritum, ne sibi crimini daretur, eos abse pecunia liberatos: fateatur, id quod negari non potest, se priuatum hominem prædonum duces viuos atq; incolumes domi suæ, postea quam Romam redierit, vsque dum per me licuerit, tenuisse: hoc in illo maiestatis iudicio si licuisse sibi ostenderit, ego oportuisse concedam. *Ex hoc quo- 13
que euaserit: proficiscar eò quò me iampridem vocat Pop. Rom. de iure enim libertatis & ciuitatis

12

suum putat esse iudicium, & rectè putat. Confingat iste antè vi sua consilia Senatoria, quæstiones omnium perrumpat, euoletex vestra seueritate. mihi credite, arctioribus apud Pop. Rom. laqueis tenebitur, credet ijs Equitibus Ro. Pop. Rom. qui ad vos antea producti testes, ipsis inspectantibus ab isto ciuem Rom. qui cognitores homines honestos daret, sublatū esse in crucem dixerunt. * credent om-
14 nes V. & XXX. tribus homini grauissimo atq; ornatissimo M. Antonio, qui se præsente ciuē Ro. securi percussum esse dixit. audietur à Pop. Ro. vir primarius Eques Ro. L. Flauius, qui suū familiarē Herēniū negociatorem ex Africa, cùm eū Syracusis amplius centū ciues Ro. cognosceret, lachrymantes q, defēderent, protestimonio dixit securi esse percussū. probabit fidem & auctoritatē, & religionē suā. L. Sueetius homo omnibus ornamentis præditus, qui iuratus apud vos dixit, multos ciues Rom. in latumijs istius imperio crudelissimè per vim morte esse multatos. Hanc ego causam cùm agam beneficio Pop. Roman. de loco superiore, non vereor ne aut istū vi vllā ex Pop. Rom. suffragijs eripere: aut à me vllum munus
15 Aedilitatis amplius aut gratius Po. Rom. esse possit. * Quapropter oēs in hoc iudicio conētur omnia: nihil est tam q, in hac causa peccare, Iudices, quisquam, nisi vestro periculo, possit. Mea quidem ratio cùm in præteritis est rebus cognita, tùm in reliquis explorata atq; prouisa est. Ego meū studium in Remp. iam illo tempore ostendi, cū longo interuallo veterē consuetudinem retuli, & rogatu sociorū atq; amicorū

Po.

Po. Ro. meorum autem necessariorum, nomen hominis audacissimi detuli. Quod meum factum lectissimi viri atq; ornatissimi, quo in numero è vobis complures fuere, ita probarunt, vt ei, qui istius Quæstor fuisset, & ab isto læsus, inimicitias iustas persequeretur, nō modò deferendi nominis, sed ne subscribēdi quidem, cùm id postularet, facerent potestatem. 16
*In Siciliam sum inquirendi causa profectus: quo in negocio industriā meā celeritas reditionis, diligentiam multitudo literarū et testiū declarauit: pudorē verò ac religionē, quod cùm venissem Senator ad socios Pop. Ro. qui in ea prouincia Quæstor fuissem, ad hospites meos ac necessarios, causæ cōmunis defensor, diuerti potius, quā ad eos, qui à me auxiliū petiuissent. Nemini meus aduentus labori aut sumptui, neq; publicè neq; priuatim fuit. Vim in inquirēdo tantā habui, quantā mihi lex dabat: non quantā habere poteram istorū studio, quos iste vexârat. 17
*Romam vt ex Sicilia redij, cùm iste, atq; istius amici homines lauti & vrbani, sermones huiusce modi dispassent, quò animos testium retardaret, me magna pecunia à vera accusatione esse deductum: tametsi probabatur nemini, quòd & ex Sicilia testes erant ij, qui Quæstorem me in prouincia cognouerant, & hinc homines maximè illustres, qui vt ipsi noti sunt, sic nostrum vnumquenq; optimè norant: tamen vsq; eò timui, ne quis de mea fide atq; integritate dubitaret, donec ad reijciendos Iudices venimus. Sciebam in reijciendis Iudicibus nonnullos memoria nostra actionis suspitionem non vitasse,

cum in ipsa accusatione eorum industria ac diligẽ-
tia probaretur.* Ita reieci Iudices, vt hoc cõstet, post
18 hunc statum Reip. quo nunc vtimur, simili splẽdore
& dignitate cõsilium nullum fuisse Quam iste lau-
dem communem ait sibi esse mecum, qui cum P. Gal-
bam iudicem reiecisset, M. Lucretium retinuit: & cũ
eius patronus ex eo quæreret, cur suos familiarissi-
mos Sex. Peduceum, Q. Considium, Q Iunium reiici
passus esset, respondit, quòd eos in iudicando nimiũ
sui iuris sententiæque cognosceret.* Itaq; iudi-
19 cibus reiectis sperabam iam onus meum vobiscum esse
commune: putabam non solum notis, sed etiam ignotis probatam meam fidem esse & diligentiam, quod
me non fefellit. Nam comitijs meis, cum iste infinita
largitione contra me veteretur, P. R. iudicauit istius
pecuniam, quæ apud me contra fidem meam nihil
potuisset, apud se contra honorem meum nihil posse
debere. Quo quidem die primum Iudices citati in
hunc reum consedistis, quis tam inimicus huic ordi-
ni fuit, quis tam nouarũ rerum, iudiciorum, iudicũ-
que cupidus, qui non conspectu, consessuq; vestro cõ-
moueretur?* Cum in eo vestra mihi dignitas fructum
20 diligentiæ referret, id sum assecutus, vt vna hora,
qua cœpi dicere, reo audaci pecuniosoque profuso, per-
dito spem iudicij corrumpendi præciderem: vt primo
die, testium tanto numero citato, Po. Ro. iudicaret,
ipso absoluto Remp. stare nõ posse: vt alter dies ami-
cis istius & defensoribus non modo spem victoriæ,
sed etiam voluntatem defensionis auferret: vt ter-
tius dies sic hominem prosterneret, vt morbo simu-
lato

lato non quid responderet, sed quemadmodum non responderet, deliberaret: deinde reliquis diebus, his crimmibus, his testibus, & vrbanis, & prouincialibus sic obrutus atq; oppressus est, vt his ludorum diebus interpositis nemo istum comperendinatum, sed condemnatum iudicaret. * Quapropter ego, quod ad me 21
attinet, Iudices, vici: non enim spolia C. Verris, sed existimationem Pop. Rom. concupiui. Meum fuit, cum causa accedere ad accusandum, quæ causa fuit iustior, quàm à tam illustri prouincia defensorē constituiet deligi? Reip. cōsulere. quid iam Reip. honestius, quam in tāta inuidia iudiciorum adducere hominem, cuius damnatione totus ordo cum P.R. & in laude, & in gratia posit esse? ostendere ac persuadere hominem nocentem adductum esse? quis est in P.R. qui hoc non ex priore actione abstulerit: omnium ante damnatorum scelera, furta, flagitia, si in vnum locum conferantur, vix cum huius parua parte æquari, conferrique posse? * Vos, quod ad ve- 22
stram famā, existimationem, salutemque communem pertinet, Iudices, prospicite, atque consulite, splendor vester facit, vt peccare sine summo Reip. detrimento, ac periculo non positis. Non enim potest sperare P.R. esse alios in senatu, qui rectè possint iudicare, vos si non potueritis, necesse est cum de toto ordine desperarit, aliud genus hominum, atque aliam rationem iudiciorum requirat. Hoc si vobis ideò leuius videtur, quod putatis onus esse graue & incommodū iudicare: intelligere debetis primum interesse, vtrum id onus vosmetipsi reiecerit:

ritis: an quòd probare Po. Ro. fidem vestram & religionem non potueritis, eò vobis iudicandi potestas erepta sit. deinde etiam illud cogitare, quanto periculo venturi simus ad eos iudices, quos propter o-
23 diũ vestri Pop. Ro. de vobis voluerit iudicare. *Verũ vobis dicã id quod intellexi, Iudices: homines scitote esse quosdã, quos tantum odiũ vestri ordinis teneat, vt hoc palã iam dicitent, se istum quem sciant esse hominũ improbissimum, hoc vno nomine absolui vel. le, vt ab senatu iudicia per ignominiam turpitudinemq; auferantur. Hæc me, Iudices, pluribus verbis vobiscũ agere coegit non timor meus de vestra fide, sed spes illorũ noua, quæ cùm Verre à porta subitò ad iudicum vetraxisset, nonnulli suspicati sunt non
24 sine causã illius cõsilium tam repente esse mutatum. *Nunc ne nouo quærimoniæ genere vti possit Hortensius, & ea dicere, opprimi reum, de quo nihil dicat accusator, nihil esse tam periculosum fortunis innocentium, quàm tacere aduersarios: & ne aliter quàm ego velim, meum laudet ingenium, cùm dicat, me si multa dixissem, subleuaturum fuisse eum, quem contra dicerem, quia non dixerim, perdidisse: morem illi geram, vtar oratione perpetua, non quoniam hoc sit necesse, verùm vt experiar, vtrum ille ferat molestius me tunc tacuisse, an
25 nunc dicere. *Hic tu sortasse eris diligens, ne quam ego horam de meis legitimis horis remittam: nisi omni tempore, quod mihi lege concessum est, abusus ero, quærere: deum atq; hominum fidem implorabo, circumueniri C. Verrem, quod accusator nolit tam-

tamdiu, quamdiu liceat, dicere. quod mihi lex mea causa det, eo mihi non vti licebit? Nam accusandi mihi tempus mea causa datum est, vt possem oratione mea crimina causamque explicare. hoc si non vtor, non tibi iniuriam facio, sed de meo iure aliquid & commodo detrabo, causam enim, inquit, cognosci oportet. ea re quidem, quod aliter cōdēnari reus, quāuis sit nocens, nō potest. id igitur tu molestē tulisti, à me aliquid factū esse, quo min' iste condemnari posset? Nā causa cognita posśūt multi absolui, incognita quidē condemnari nemo potest.* adimo enim cōperendinatum, quod habet lex in se molestissimū, bis vt causa dicatur: quod aut mea causa potius est cōstitutū, quam tua: aut nihilo tua potius, quā mea. Nam si bis dicere est commodū, certè vtriusq; cōmune est: si eum qui posterius dixit, opus est redargui, accusatoris caussam bis ageretur, cōstitutū est. Verum, vt, opinor, Glaucia primus tulit, vt comperendinaretur reus: antea vel iudicari primo poterat, vel amplius pronunciari. Vtram igitur putas legem molliorem? opinor illam, veterem, qua vel cito absolui vel tardè condēnari licebat. Ego tibi illā Acilliā legem restituo, qua lege multi semel accusati, semel dicta caussa, semel auditis testibus condēnati sunt, nequaquā tam manifestis neq; tātis criminibus quantis tu conuinceris: puta te non hac tā atroci, sed illa lege mitissima causā dicere. accusabo, respōdebis. testib' editis ita mittam in consilium, vt etiam si lex ampliandi faciat potestatem, tamen isti turpe sibi existiment nō primo iudicare.* Verum 72

62

si

si causã cognosci opus est, parũ ne cognita est? dissimulamus, Hortensi, quòd sæpè experti in dicendo sumus. quis nos magnoperè attendit vnquam, in hoc quidem genere causarum, vbi aliquid ereptum aut ablatum à quopiam dicitur? nõne aut in tabulis, aut in testibus omnis exspectatio iudicum est? Dixi prima actione me planũ esse facturum C. Verrem HS. quadringenties contra legem abstulisse. Quid? hoc planius egissem, si ita narrassem. Dio quidam fuit Halesinus: qui, cum eius filio Prætore Sacerdote hæreditas à propinquo permagna venisset, nihil habuit neque negocij, neque controuersiæ. Verres simul ac tetigit prouinciam, statim Meßanam litteras dedit: Dionem euocauit: calumniatores ex sinu suo apposuit, qui illam hæreditatem Veneri Erycinæ commissam esse dicerẽt. hac de re ostẽdit se ipsum cognaturum.* posßum deinceps totam rẽ explicare: deinde ad extremum id, quod accidit, dicere, Dionem HS. decies centena milia numerasse, vt causam certißimam obtineret: præterea greges equarum eius istum abigendos curasse: argenti vestisq; stragulæ quod fuerit, curasse auferendum. Hæc neq; cùm ego dicerem, neque cùm tu negares, magni momenti nostra esset oratio. Quo tempore igitur aures iudex erigeret, animumq; attenderet? cum Dio ipse prodiret, cùm cæteri, qui tum in Sicilia negocijs Dionis interfuissent: cùm per eos ipsos dies, per quos causam Dio diceret, reperiretur pecunias sumpsisse mutuas, nomina sua exegisse, prædia vendidisse: cum tabulæ virorum bonorum proferrentur:

28

cum

cùm qui pecuniam Dioni dederunt, dicerent se iam tum audiße eò nummos sumi, vt Verri darentur: cùm amici, hoßpites, patroni Dionis, homines honeßtißimi hæc eadem se audiße dicerent. *Opinor cùm 29
hæc fierent, tum vos audiretis, ßicut audißtis: tum cauſa agi videretur. ßic à me ſunt acta omnia priore actione, vt in crimin:bus omnibus nullum eſſet, in quo quiſquam veſtrum perpetuam accuſationem requireret. Nego ego eſſe quicquam à teſtibus dictum, quod aut veſtrum cuipiam eſſet obſcurum, aut cuiusquam oratoris eloquentiam quæreret. Etenim ßic me ipßum egißſe memoria tenetis, vt in teßtibus interrogandis omnia crimina proponerem & explicarem: vt cùm rem totam in medio propoſuißſem, tum denique teßtem interrogarem. Itaque non modò vos, quibus eßt iudicandum, noßtra crimina tenetis, ßed etiam Pop. Ro. totam accuſationem cauſamq; cognouit: tametßi ita de meo facto loquor, quaßi ego illud meâ voluntate potiùs, quã veßtra iniuria adductus fecerim. *Interpoßuißtis accuſatorẽ, 30
qui, cùm ego mihi C & X. dies ßolos in Siciliam poßtulaßſem, C. & VIII. ßibi in Achaiam poßtularet: menßes mihi tres cũ eripuißſetis ad agendum maxime appoßitos, reliquum omne tempus huius anni me vobis remißſurum putaßtis: vt cũ horis noßtris nos eßſemus vßi, tu binis ludis interpoßitis, quadrageßimo poßt die reßpõderes: deinde ita tẽpus duceretur, vt à M. Glabrione Pr. & magna parte horum iudicũ ad Prætorẽ alium, iudicesq; alios veniremus. *Hæc ßi ego nõ 31
vidißſem, ßi me non oẽs noti ignotiq; monuißſent, id

agi,

agi, id cogitari, in eo laborari, vt res in illud tempus reijceretur: credo si meis horis in accusando vti voluissem, vererer ne mihi crimina nō suppeterent, ne oratio deesset, ne vxor vires q; deficerent, ne quē nemo prima actione defendere ausus esset, eū ego bis accusare nō possem. Ego meum cōsiliū tum iudicibus, tū Po. R. probaui. Nemo est, qui alia ratione istorum iniuriā, atq; impudentiā potuisse obsisti arbitretur. Etenim qua fultitia fuissem, si, quam diem, quo istum eripiendum redemerunt, in cautione viderūt, cùm ita cauerent, Si post Calen. Ianuar. in consilium iretur, in eam diem ego, cùm potuissem vitare,
32 incidissem? * Nunc mihi temporis eius, quod mihi ad dicēdum datur, quoniam in animo est causam omnem exponere, habenda ratio est diligenter. Itaque primùm illum actum istius vitæ turpissimum & flagitiosissimum prætermittam: nihil à me de puertiā suæ flagitijs peccatiq; audiet: nihil ex illa impura adolescentia sua, quæ qualis fuerit, aut meministi, aut ex eo, quē sui similimum produxit, recognoscere potestis. Omnia præteribo, quæ mihi turpia dictu videbuntur, neq; solū quid istum audire, verū etiam quid me deceat dicere, considerabo. Vos, quæso, date hoc, & concedite pudori meo, vt aliquā partem dei-
33 stius impudentiā reticere possim. * Omne illud tēpus, quod fuit ante quā iste ad magistratus, remq; publicā accessit, habeat per me solutum ac liberū, fileatur de nocturnis eius bacchationibus ac vigilijs: lenonū, aleatorū, perductorū nulla mentio fiat: dāna, dedecora, quæ res patris eius, ætas ipsius pertulit, prætereantur:

antur: lucretur indicia veteris infamiæ: patiatur vius vitæ reliquæ me hanc tantã iacturã criminum facere. Quæstor Cn. Papirio Cõsuli fuisti abhinc annos XIIII. ex ea die ad hanc diẽ quæ feciſti in iudicĩũ voco. Hora nulla vacuaà furto, ſcelere, crudelitate, flagitio reperietur. Hi ſunt anni conſumpti in Quæſtura, & legatione Aſiatica, & Prætura vrbana, & Prætura Sicilienſi. Quare hæc eadẽ erit quadripartita diſtributio totius accuſationis meæ. *Quæſtor ex S. C prouinciam ſortitus es, obtigit tibi Conſularis, vt cùm COS. Cn. Carbone eſſes, eamque prouinciã obtineres. Erat tum diſſenſio ciuium, de qua nihil ſum dicturus quid ſentire debueris: vnum hoc dico, in eiuſmodi tẽpore ac ſorte ſtatuere te debuiſſe, vtrum malles ſentire atque defendere. Carbo grauiter ferebat ſibi Quæſtorem obtigiſſe, hominem ſingulari luxuria, atque inertia: veruntamen ornabat eum beneficijs, officijſque omnibus. Ne diutius teneam, pecunia attributa numerata eſt. profectus eſt Quæſtor in prouinciam. venit in Galliam expectatus ad exercitum Conſularem cum pecunia: ſimulac primũ ei occaſio viſa eſt (cognoſcite hominis principium magiſtratuum gerendorum, & Rei. adminiſtrandæ) auerſa pecunia publica Quæſtor Conſulem, exercitum, prouinciamque deſeruit. *Video quid egerim. erigit ſe, ſperat ſibi aurampoſ- ſe aliquam affari in hoc crimine, voluntatis, diſſenſionis, eorũ, quibus Cn. Carbonis mortui nomen odioſum eſt: quibus illam reiectionem proditionemque Conſulis ſui gratam ſperat fore. quaſi verò id cupidi-

34

35

piditate defendendæ nobilitatis, aut studio partium
fecerit: ac non apertissimè Consulem, exercitum,
prouinciamque cõpilarit, & propter impudentissi-
mum furtum aufugerit. Est enim obscurum & eius-
modi factum eius, vt possit aliquis suspicari, C. Ver-
rem, quod ferre nouos homines non potuerit, ad no-
bilitatem, hoc est ad suos transisse, nihil fecisse pro-
36 pter pecuniam. *Videamus rationes quemadmodum
retulerit: iam ipse ostendet, quamobrem Cn. Carbo-
nẽ reliquerit: iam se ipse iudicabit. Primũ breuita-
tem cognoscite. ACCEPI, inquit, VICIES DVCEN-
TA TRIGINTA QVINQVE MILIA QVADRIN-
GENTOS XVII. NVMMOS. DEDI STIPENDIO,
FRVMENTO, LEGATIS PROQVAESTORIBVS,
COHORTI PRAETORIAE, HS. MILLE SEX-
CENTA TRIGINTA QVINQVE MILIA QVA-
DRINGENTOS XVII. NVMMOS. RELIQVI
ARIMINI HS. SEXCENTA MILIA. Hoc est
rationes referre? hoc modo aut ego, aut tu, Horten-
si, aut quisquam hominum retulit? quid hoc est? qua
impudentia? quæ audacia? quod exemplum ex tot
hominum rationibus relatis huiusmodi est? illa ta-
men HS. sexcenta milia, quæ neque falso quidem
potuit, quibus data essent describere, quæ se Arimini
scribit reliquisse, quæ ipsa HS. sexcenta milia reli-
qua facta sunt, neque Carbo attigit, neque Sylla vi-
dit, neque in ærarium relata sunt. Oppidum sibi
elegit Ariminum, quod tum cum iste rationes refe-
rebat, oppressum direptumque erat. non suspicaba-
tur id, quod nunc sentiet. satis multos ex illa cala-

mita-

mitate Ariminensium testes nobis in hanc rem reliquos esse. *Recita denuò P. LENTVLO, L. TRIARIO QVAESTORIBVS VRBANIS, RES RATIONVM RELATARVM. Recita. Ex S. C. vt hoc pacto rationem referre liceret, eo Syllanus repentè factus est, non vt honos & dignitas nobilitati restitueretur. Quod si illinc inanis profugisses, tamen ista tua fuga, nefaria: proditio Consulis tui, scelerata iudicaretur. Malus ciuis, improbus consul, seditiosus homo Cn. Carbo fuit: fuerit alijs, tibi quando esse cœpit: poste aquam tibi pecuniam, rem frumentariam, rationes omnes suas, exercitumq; commisit. Nam si tibi antea displicuisset, idem fecisses, quod anno post M. Piso Quæstor cum L. Scipioni Consuli obtigisset, non attigit pecuniã, non ad exercitũ profect⁹ est: quod de Rep. sensit, ita sensit, vt nec fidẽ suã nec morẽ maiorum, nec necessitudinẽ sortis læderet. *Etenim si hæc perturbare omnia, & permiscere volumus, totã vitam periculosã, inuidiosam, infestamque reddem⁹: si nullã religionem sors habebit, nullã societatẽ coniunctio secundæ dubiæq; fortunæ, nullã autoritatẽ mores atq; instituta maiorũ. Omnium est cõmunis inimicus, qui fuit hostis suorũ. Nemo vnquã sapiens proditori credendũ putauit. Ipse Sylla, cui aduentus istius gratissimus esse debuit, ab se hominẽ, atq; ab exercitu suo remouit: Beneuenti esse iussit apud eos, quos suis partibus amicissimos esse intelligebat, vbi iste sũmæ rei causaq; nocere nihil posset. ei postea præmia tamẽ liberaliter tribuit: bona quædam proscriptorũ in agro Beneuentano diripien-

37

38

 da

euda cõcesſit, habuit honorẽ vt proditori, nõ vt amico fidẽ. * Nunc quãuis ſint homines, qui mortuũ Cn. 39
Carbonẽ oderint: tamẽ hi debẽt, non quid illi accidere voluerunt, ſed quid ipſis in tali re metuendũ ſit, cogitare. cõmune eſt hoc malũ, cõmunis metus, commune periculũ. nullæ sũt occultiores inſidiæ, quã hæ, quæ latẽt in ſimulatione officij, aut in aliquo neceſſitudinis nomine. Nã eũ, qui palã eſt aduerſarius facilè cauendo vitare poſſis: hoc verò occultũ, inteſtinũ, ac domeſticũ malum, nẽ modo nõ exiſtit, verùm etiã opprimit, antequã perſpicere atq; explorare potueris. * Itane verò tu cũ Quæſtor ad exercitum miſſus 40
ris, cuſtos non ſolũ pecuniæ, ſed etiã Conſulis particeps ommiũ rerum cõſiliorumq; fueris, habitus ſis in liberũ loco, ſicut mos maiorũ ferebat, repentè relinquas? deſeras? ad aduerſarios trãſeas? O ſcelus, ô portentũ in vltimas terras exportandũ. Nõ enim poteſt ea natura, quæ tantũ facinus cõmiſerit, hoc vno ſcelere eſſe contẽta: neceſſe eſt ſemper aliquid eiuſmodi moliatur: neceſſe eſt in ſimili audacia perfidiaq; 41
verſetur. * Itaq; idẽ iſte quem Cn. Dolabella poſtea C. Malleolo occiſo pro Quæſtore habuit (haud ſcio an maior etiã hæc neceſſitudo fuerit, quã illa Carbonis: ac plus iudiciũ voluntatis valere, quã ſortis debeat) idẽ in Cn. Dolabellã qui in Cn. Carbonẽ fuit. Nam quæ in ipſum valebant crimina, contulit in illũ: cauſamq; illius omnẽ ad inimicos accuſatoreſq; detulit. Ipſe in eũ cui Legatus, cui pro Quæſtore fuerat, inimiciſſimũ atq; improbiſſimum teſtimoniũ dixit. ille miſer cũ eſſet, tũ proditione iſtius nefaria, tũ impro-

ba-

bo & falso eiusdē testimonio, tum multò ex maxima parte istius furtorum ac flagitiorum inuidia cōflagrauit. * quid hoc homine faciatis? aut ad quam 42
spem tā perfidiosum, tam importunum animal reseruetis? qui in Cn. Carbone sortem, in Cn. Dolabella voluntatem neglexerit, ac violarit: eosque ambos non solùm deseruerit, sed etiam prodiderit, atq; oppugnarit. Nolite quaeso, Iudices, breuitate orationis meæ potius, quam rerum ipsarum magnitudine crimina pōderare: mihi enim properandū necessario est, vt omnia vobis, quæ mihi constituta sunt, possim exponere. * Quamobrem Quæstura istius 43
demōstrata, primiq; magistratus, & furto, & scelere perspecto, reliqua attendite. In quibus illud tempus Syllanarum proscriptionum ac rapinarum prætermitam; neque ego istum sibi vllam ex communi calamitate defensionem finam sumere: suis eum certis proprijsq; criminibus accusabo. Quamobrem hoc omni tempore Syllano ex accusatione circūscripto, legationem eius præclaram cognoscite. * Posteaquā 44
Cn. Dolabellæ prouinciæ Cicilia constituta est, O dij immortales, quanta istius cupiditate, quibus allegationibus illam sibi legationem expugnauit? id quod Cn. Dolabellæ principiū maximæ calamitatis fuit. Nam vt iste profectus est: quacunque iter fecit, eiusmodi fuit, non vt Legatus Populi Romani, sed vt quadā calamitas peruadere videretur. In Achaia (prætermittā minora omnia, quorum simile forsitan alius quoq; aliquid aliquādo fecerit: nihil dicā, nisi singulare, nisi quod si in aliū reū diceretur, incredibi-

le videretur) magistratũ Sycionium nũmos popoſcit. Ne ſit hoc crimen in Verrẽ: fecerunt alij. Cũ ille non
45 daret, animaduertit. improbũ, ſed nõ inauditum.* Gen⁹ animaduerſionis videte: quæretis ex quo genere hominẽ iſtum iudicetis. Ignẽ ex lignis viridibus atq; humidis in hoc loco anguſto fieri iuſſit: ibi homini ingenuũ, domi nobilẽ, P. R. ſociũ atq; amicum fumo excruciatũ ſemiuiuum reliquit. Iã quæ iſt e ſigna, quas tabulas pictas ex Achaia ſuſtulerit, nõ dicã hoc loco. eſt alius mihi ad hanc eius cupiditatẽ demoſtrandã ſeruatus. Athenis audiſtis ex æde Minerua grãdẽ auri pondus ablatũ. Dictum hoc eſt in Cn. Dolabellæ iudicio. dictum? etiã æſtimatũ. Huius conſilij non modo participem C. Verrem, ſed principem
46 fuiſſe reperietis.* Delum venit, ibi ex fano Apollinis religioſiſſimo noctu clã ſuſtulit ſigna pulcherrima, atq; antiquiſſima, eaq; in onerariam nauem ſuam conijcienda curauit. Poſtridiẽ cum ſpoliatum fanũ viderent ij, qui Delum incolebant, grauiter ferebãt. Eſt enim tanta apud eos eius fani religio atq; antiquitas, vt in eo loco ipſum Apollinem natum eſſe arbitrentur. verbum tamen facere non audebant, ne fortẽ ea res ad Dolabellam ipſum pertineret. Tum ſubito tempeſtates coortæ ſunt maximæ, Iudices, vt non modò proficiſci, cum cuperet, Dolabella non poſſet, ſed vix in oppido conſiſteret: ita magni fluctus eiciebantur. Hic nauis illa prædonis iſtius onuſta ſignis religioſis, expulſa atque eiecta fluctu, frangitur, in littore ſigna illa Apollinis reperiuntur. iuſſu Dolabellæ reponuntur, tempeſtas ſedatur,

Do-

Dolabella Delo proficiscitur. *Non dubito, quin, ta- 47
metsi nullus in te sensus humanitatis, nulla ratio vnquam fuit religionis, nunc tamen in metu periculoque tuo, tuorum tibi scelerum veniat in mentem. Potestne tibi vlla spes salutis commoda ostendi, cùm recordaris, in deos immortales quam impius, quam sceleratus, quam nefarius fueris? Apollinemne tu Delium spoliare ausus es? illine tu templo, tam antiquo, tam sancto, tam religioso manus impias ac sacrilegas afferre conatus es? Si in pueritia non his artibus & disciplinis institutus eras, vt ea quæ literis mandata sunt, discere atq; cognoscere: ne postea quidem, cum in ea ipsa loca venisti, potuisti accipere, id quod est proditum memoriæ ac literis? *Latonā ex longo errore, & fu- 48
ga grauidam, & iam ad pariendum vicinam temporibus exactis fugisse Delum, atque ibi Apollinem Dianamq; peperisse. Qua ex opinione hominum illa insula eorum deorum sacra putatur: tantaq; eius autoritas religionis & est & semper fuit, vt ne Persa quidem, cùm bellum toti Græciæ, dijs hominibusque indixissent, & mille numero nauium classem ad Delum appulissent, quicquam conarentur aut violare aut attingere. Hoc tu fanum depopulari homo improbissime, atque amentissime audebas? fuit illa cupiditas tāta, quæ tantam extingueret religionem? & si tum hæc non cogitabas, ne nunc quidem recordaris, nullum esse tantum malum, quod non tibi pro sceleribus tuis iamdiu debeatur? *In Asiam verò 49
postquam venit, quid ego aduentus istius, prandia,

cœnas, equos, muneraq; cõmemorem? nihil cum Verre de quotidianis criminibus acturus sum. Chio pervim signa pulcherrima dico abstulisse, item Erithris & Halicarnaso. Tenedo (præterea pecuniã quam eripuit) Tenem ipsum, qui apud Tenedios sanctissimus deus habetur, qui vrbem illam dicitur cõdidisse, cuius ex nomine Tenedus nominatur: hunc ipsum, inquã, Tenem, pulcherrimè factum, quem quondam in comitio vidistis, abstulit magno cum gemitu ciuitatis.

50 *Illaverò expugnatio fani antiquissimi & nobilissimi Iunonis Samiæ, quàm luctuosa Samijs fuit? quàm acerba toti Asiæ? quã clara apud omnes? quàm nemini vestro inaudita? De qua expugnatione, cum legati ad C. Neronem in Asiam Samo venissent, responsum tulerunt, eiusmodi querimonias, quæ ad Legatum Pop. Ro. pertinerent, non ad Prætorem, sed Romã deferri oportere. Quas iste tabulas illinc, qua signa sustulit? quæ cognoui egomet apud istum in ædibus nuper, cũ obsignandi gratia veniße. * quæ signa nunc Verres vbi sunt? illa quæro, quæ apud te nuper ad omnes calumnias, omnibus etiam intercolumnijs, in sylua denique disposita sub dio vidimus. Cur ea quamdiu alium Prætorem cum ijs iudicibus, quos in horum locum subsortitus es, de te in consilium iturum putasti, tãdiu domi fuerunt? postea quam nostris testibus nos, quàm haris tuis vti malle vidisti, nullum signum domi reliquisti? præter duo, quæ in medijs ædibus sunt, quæ ipsa, Samo sublata sũt? non putasti me tuus familiarissimis in hanc rem testimonia denunciaturũ? qui tua domi sæpe fuißẽt:

ex

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

ex quibus quærerem, signa scirentne fuisse, quæ non
essent? *Quid tum hos de te iudicaturos arbitratus 52
es, cum viderent te iam non contra accusatorem
tuum, sed contra Quæstorem, sectoremq; pugnare?
Quadere Caridemum Chium testimonium priore
actione dicere audistis: sese, cum esset Trierarchus,
& Verrem ex Asia decedentem prosequeretur, ius-
su Dolabellæ fuisse vnà cum isto Sami, seseq; tū sci-
re spoliatum esse fanum Iunonis, & oppidum Sa-
mum: posteaq; se caussam apud Chios ciues suos Sa-
mijs accusantibus publice dixisse: eòq; se absolutum,
quòd planum fecisset, ea quæ Legati Samiorum di-
cerent, ad Verrem, non ad se pertinere. *Aspendū ve- 53
tus oppidum & nobile in Pamphylia scitis esse, ple-
nissimum signorum optimorum, non dicam illinc hoc
signum ablatum esse, & illud: hoc dico, nullū te As-
pendi signum Verres reliquisse: omnia ex fanis, ex
locis publicis, palā, spectantibus omnibus, plostris e-
uecta asportataq; esse. Atq; etiam illum Aspendiū ci-
tharistā, de quo sæpe audistis id, quod est Græcis ho-
minibus in prouerbio, quē omnia intus canere dice-
bant, sustulit, & in intimis suis ædibus posuit, vt et-
iam illū ipsum artificio suo super assevideatur. *Per- 54
gæ fanum antiquissimum & sanctissimum Dianæ sci-
mus esse. id quoq; à te nudatum & spoliatū esse: ex
ipsa Diana quod habebat auri, detractū atq; abla-
tum esse, dico. Quæ, malùm, est ista tanta audacia,
atq; amentia? quas enim sociorū, atq; amicorū vrbes
adisti Legationis iure, & nomine, si in eas vi cū ex-
ercitu imperioq; inuasisses, tamen opinor quæ signa

atq; ornamenta ex his vrbibus sustuliſſes, hæc non in
tuam domum, neque in ſuburbana amicorum, ſed
55 Romam in publicum deportaſſes.* Quid ego de M.
Marcello loquar, qui Syracuſas vrbem ornatiſſi-
mam cepit? quid de L. Scipione, qui bellum in A-
ſia geſſit: Antiochumq; regem potentiſſimum vicit?
quid de Flaminio, qui Regem Philippum, & Mace-
doniam ſubegit? quid de L. Paulo, qui Regem Perſem
vi ac virtute ſuperauit? quid de L. Mummio, qui vr-
bem pulcherrimam atq; ornatiſſimam Corinthum,
pleniſſimam rerum omnium ſuſtulit, vrbesq; Acha-
iæ, Bœotiaq; multas ſub imperium Pop. Rom. ditio-
nemq; ſubiunxit? quorum domus cum honore & vir-
tute florerent, ſignis & tabulis pictis erant vacuæ: at
vero vrbem totam, templa deorum, omnesq; Italiæ
56 partes illorum donis ac monumentis exornatas vi-
demus. * Vereor ne hæc forte cuiquam nimis anti-
qua, & iam obſoleta videantur: ita enim tu aqua-
biliter omnes erant huiuſmodi, vt hæc laus eximiæ
virtutis, & innocentiæ non ſolum hominum, verum
etiam temporum illorum eſſe videatur. P. Seruilius
vir clariſſimus, maximis rebus geſtis adeſt, de te ſen-
tentiam laturus eſt: Olynthum vi, copijs, conſilio, vir-
tute cœpit, vrbem antiquam, & omnibus rebus au-
ctam & ornatam: recens exemplum fortiſſimi viri
profero. nam poſtea Seruilius imperator Pop. Rom.
Olynthum vrbem hoſtium cœpit, quam tu in iiſdem
illis locis Legatus Quæſtorius oppida pacata ſocio-
rum atque amicorum diripienda ac vexanda cu-
57 rauiſti. * Tu quæ ex fanis religioſiſſimis per ſcelus &

per

per latrociniū abstulisti, ea nos videre nisi in tuis, amicorumq; tuorum tectis non possumus. P. Seruilius, quæ signa atq; ornamenta ex vrbe hostium, vi & virtute capta, belli lege, atque Imperatorio iure sustulit, ea Pop. Rō. apportauit, per triumphū vexit, in tabulas publicas ad ærarium perscribenda curauit. Cognoscite ex litteris publicis hominis amplissimi diligentiam. Recita. RATIONES RELATAE P. SERVILII. Non solùm numerum signorum, sed etiam vniuscuiusq; magnitudinē, figuram, statū literis definiri vides. Certè maior est virtutis, victoriæq; iucunditas, quam ista voluptas, quæ percipitur ex libidine & cupiditate: multò diligentius habere dico Seruilium prædam P. R. quam te tua furta notata atq; descripta.* Dices tua quoque sig- 58
na & tabulas pictas ornamento vrbi foroq; P. R. fuisse. memini, vidi simulcum P. R. forum comitiumque adornatum ad speciem magnifico ornatu: ad sensum cognitionemq; acerbo & lugubri: vidi collucere omnia furtis tuis, præda prouinciarum, spoliis sociorum atq; amicorum. Quo quidem tempore, Iudices, iste spem maximam reliquorum quoq; peccatorum nactus est: vidit enim eos, qui iudiciorum dominos se dici volebant, harum cupiditatum esse seruos.* Socij verò, nationesque exteræ, spem omni- 59
um tum primum abiecere rerum ac fortunarum suarum, propterea quod casu Legati ex Asia atque Achaia plurimi Romæ tunc fuerunt, qui deorum simulacra ex suis fanis sublata in foro venerabantur: itemq; cætera signa & ornamenta cū cognoscerent,

rent, alia alio in loco lachrymantes intuebantur. Quorum omnium hunc sermonem tum esse audiebamus: nihil esse, quod quisquam dubitaret de exitio sociorum atque amicorum: cùm quidem viderent in foro P. R. quo in loco antea qui socijs iniurias fecerant, accusari, & condemnari solebant, ibi esse palam posita ea, quæ ab socijs per scelus ablata
60 erepta aque essent. * Hic ego non arbitror illum negaturum, signa se esse plurima, tabulas pictas innumerabiles habere: sed, vt opinor, solet hæc, quæ rapuit & furatus est, nonnunquam dicere se emisse. Quoniam quidem in Achaiam, Asiam, Pamphyliam sumptu publico, & Legationis nomine mercator signorum tabularumque pictarum missus est, habeo & istius & patris eius accepti tabulas omnes, quas diligentissimè legi atque digessi, patris quoad vixit: tuas, quoad ais te confeciſſe: nam in isto, iudices, hoc nouum reperietis. Audimus aliquem tabulas nunquam confeciſſe, quæ est opinio hominum de Antonio falsa. nam fecit diligentissimè: verùm sit hoc genus aliquod minimè probandum. Audimus alium non ab initio feciſſe, sed extempore aliquo confeciſſe, est aliqua etiam huiusce rei ratio. Hoc verò nouum, & ridiculum est, quod hic nobis respondit, cum ab eo tabulas postularemus: vsque ad
M. Terentium, & C. Cassium Consules confeciſſe,
61 postea destitisse. * Alio loco hoc cuiusmodi sit, considerabimus: nunc nihil ad me attinet: horum enim temporum, in quibus nunc versor, habeo tabulas & tuas & patris. Plurima signa pulcherrima, pluri-

mas

mas tabulas deportasse te negare non potes: atque vtinam neges: vnum ostende in tabulis aut tuis, aut patris tui emptum esse, vicisti: ne hæc quidem duo signa pulcherrima, quæ nunc ad impluuium tuum stant, quæ multos annos ad valuas Iunonis Samiæ steterunt, habes, quomodo emeris. hæc, inquam, duo, quæ in ædibus tuis sola iam sunt, quæ sectorem expectant, relicta ac destituta à cæteris signis.* At credo in hisce solis rebus indomitas cupiditates atque effrenatas habebat: cæteræ libidines eius ratione aliqua aut modo continebantur. Quàm multis istum ingenuis, quàm multis matribus familiàs, in illa terra, atque impura legatione vim attulisse existimatis? ecquo in oppido pedem posuit, vbi non plura stuprorum flagitiorumq; suorum, quam aduentus sui vestigia reliquerit? Sed ego omnia, quæ negari poterunt, prætermittam: etiam hæc quæ certissima sunt & clarissima, relinquam: vnum aliquod de nefarijs istius factis eligam, quò facilius ad Siciliam posim aliquando, quæ mihi hoc oneris negocijq; imposuit, peruenire.* Oppidum est in Hellespõto Lampsacum, Iudices inprimis Asiæ prouinciæ clarum & nobile: homines autem ipsi Lampsaceni tum summè in omnes ciues Romanos officiosi, tum præterea maximè sedati, & quieti propè præter cæteros, ad summum Græcorum ocium potius, quàm ad vllam vim, aut tumultum accommodati. Accidit, cùm iste à Cn. Dolabella efflagitasset, vt se ad Regem Nicomedem, Regemq; Sadalam mitteret, cumque iter hoc sibi magis ad quæ-

62

63

stum

stum suum, quàm ad Reip. tempus accommodatum depoposcisset, vt illo itinere veniret Lampsacum, cum magna calamitate, & propè pernicie ciuitatis: deducitur iste ad Ianitorem quendam hospitem, comites quę eius, item apud cæteros hospites collocantur, vt mos erat istius, atque vt eum suæ libidines flagitiosa facere admonuerant. Statim negocium dat illis suis comitibus, nequissimis turpissimisque hominibus, vt videant, & inuestigent, ecquæ virgo sit, aut mulier digna, quamobrem iste
64 Lampsaci diutius commoraretur. * Erat comes eius Rubrius quidam, homo factus ad istius libidines: qui miro artificio, quocunq; venerat, hæc inuestigare omnia solebat: is ad eum rem istam defert. Philodamum esse quendam genere, honore, copijs, existimatione facilè principem Lampsacenorum: eius esse filiam, quæ cum patre habitaret, propterea quod virum non haberet, mulierem eximia pulchritudine: sed eam summa integritate pudicitiaque existimari. Homo vt hæc audiuit, sic exarsit ad id, quod non modò ipse nunquam viderat, sed ne audierat quidem ab eo, qui ipse vidisset, vt statim ad Philodamū migrare se diceret velle. Hospes Ianitor, qui nihil suspicaretur, veritus ne quid in ipso se offenderit, hominē summa vi retinere cœpit: iste qui hospitis relinquendi causam reperire non posset, alia sibi ratione viam munire ad stuprum cœpit. Rubrium delitias suas, in omnibus eiusmodi rebus adiutorem suū & conscium, parum lautè diuersari dicit: ad Philodamum deduci iubet. * Quod vbi est Philodamo
65 nun-

nunciatum, tameſi erat non ignarus, quantum ſibi ac liberis ſuis iam tum mali conſtitueretur, tamen ad iſtum venit, oſtendit munus illud ſuum non eſſe: ſe cum ſuæ partes eſſent hoſpitum recipiendorum, tum ipſos tantum Prætores & Conſules, non Legatorum aſſeclas recipere ſolere. Iſte, qui vna cupiditate raperetur, totum illius poſtulatum cauſamque neglexit: per vim ad eum, qui recipere non debebat, Rubrium deduci imperauit. Hic Philodamus, poſtea quam ius ſuum obtinere non potuit, vt humanitatē conſuetudinemq; ſuam retineret, laborabat. homo qui ſemper hoſpitaliſſimus amiciſſimusque noſtrorum hominum exiſtimatus eſſet, nolunt videri ipſum illum Rubrium inuitus in domum ſuam recepiſſe: magnificè & ornatè, vt erat inprimis inter ſuos copioſus, conuiuium cōparat: rogat Rubrium, vt quos ei commodum ſit inuitet, locum ſibi ſoli, ſi videatur, relinquat. vt etiam filium ſuum lectiſſimum adoleſcentem foras ad propinquum ſuum quendā mitteret ad cœnam. * Tum Rubrius iſtius comites inuitat, eos omnes Verres certiores facit, qui dopus eſſet. mature veniunt, diſcumbitur: fit ſermo inter eos & inuitatio. vt Græco more biberetur: hoſpes hortatur, poſcunt maioribus poculis, celebratur omnium ſermone lætitiaq; conuiuiū. Poſteaquam ſatis calere res Rubrio viſa eſt: quæſo, inquit, Philodame, cur ad nos filiam tuam non intro vocari iubes? Homo qui & ſumma grauitate, & iam ætatis, & parens eſſet, obſtupuit hominis improbi dicto. inſtare Rubrius. Tum ille, vt aliquid reſponderet, negauit 66

moris

moris esse Græcorum, vt in conuiuio virorum accumberent mulieres. Hic tum alius ex alia parte, Emmi-
uerò ferendum hoc non est: vocetur mulier. & si-
mul seruis suis Rubrius, vt tanuam clauderent, & i-
67 psi ad fores assisterent, imperat.* Quod vbi ille intellexit, id agi, atque id parari, vt filiæ suæ vis afferretur: seruos suos ad se vocat, his imperat, vt se ipsum negligant, filiam defendant: excurrat aliquis, qui hoc tantum domestici mali filio suo nunciet. Clamor interea fit tota domo inter seruos Rubrij atq; hospitis: iactatur domi suæ vir optimus, & homo honestissimus pro se quisque manus affert: aqua denig; feruenti à Rubrio ipso Philodamus perfunditur. Hæc vbi filio nunciata sunt, statim exanimatus ad ædes contendit, vt & vitæ patris, & pudicitiæ sororis succurreret. Omnes eodem animo Lampsaceni, simul vt hoc audiuerunt, quòd eos tum Philodami dignitas, tum iniuriæ magnitudo mouebat, ad ædes noctu conuenerunt. Hic lictor istius Corvelius, qui cum eius seruis erat à Rubrio, quasi in præsidio ad auferendam mulierem collocatus, occiditur: serui nonnulli vulnerantur: ipse Rubrius in turba sauciatur. Iste, qui sua cupiditate tantos tumultus conci-
68 tatos videret, cupere aliqua euolare, si posset.* Postridie mane homines in concionem veniunt: quærunt quid optimum factu sit: pro se quisq; vt in quoq; erat autoritatis plurimum, ad populum loquebatur: inuentus est nemo, cuius non hæc & sententia esset, & oratio, Non esse metuendum, si istius nefarium scelus Lampsaceni vlti vi manuque essent, ne Senatus po-

populusque Rom. in eam ciuitatem animaduertendum putaret. Quòd si hoc iure Legati Pop. Romani in socios, nationesq; exteras vterentur, vt pudicitiam liberorum seruare ab eorum libidine tutam non liceret: quidvis esse perpeti satius, quàm in tãta vi atq; acerbitate versari. * Hæc cum omnes sentirent, & cum in eam rationem pro suo quisque sensu ac dolore loqueretur: omnes ad eam domum, in qua iste diuersabatur, profecti sunt: cædere tantum saxis, instare ferro, ligna & sarmenta circundare, ignem subijcere cœperunt. Tum ciues Rom. qui Lampsaci negotiabantur, concurrunt, orant Lampsacenos, vt grauius apud eos nomen Legationis, quàm iniuria Legati putaretur. sese intelligere hominem illum esse impurum ac nefarium: sed quoniam nec perfecisset quod conatus esset, neq; futurus esset Lãpsaci postea, leuius eorum peccatum fore, si homini scelerato pepercissent, quàm si legato non pepercissent. * Sic iste multò sceleratior & nequitior, quàm ille Adrianus, aliquanto etiam felicior fuit. Ille quod eius auaritiam ciues Ro. ferre non potuerant, Vticæ domi suæ vinus exustus est: idq; ita illi meritò accedisse existimatum est, vt lætarentur omnes, neque vlla animaduersio constitueretur. Hic sociorum ambustus incendio, tamen ex illa flamma periculoque euolauit: neq; adhuc causam vllam excogitare potuit, quamobrem commiserit, aut quid euenerit, vt in tantum periculum veniret. Non enim potest dicere, cùm seditionem sedare vellem, cùm frumentum imperarem, cùm stipendium cogerem,

69

70

cùm

cum aliquid denique Reip. causa gererem, quod acriùs imperaui, quòd animaduerti, quòd minatus sum. quæ si diceret, tamen ignosci non oporteret, si nimis atrociter imperando sociis, in tantum adduc-
71 tus periculum videretur. * Nunc cùm ipse causam illius tumultus, neque veram dicere, neque falsam confingere audeat: homo autem ordinis sui frugaliß. mus, qui tum accensus C. Neronis fuit, P. Tertius hæc eadem se Lampsaci cognosse dixerit: vir omnibus rebus ornatißimus C Varro, qui tum in Asia Tribunus militum fuit, hæc eadem ipsa se ex Philodamo audisse dicat: potestis dubitare, quin istum fortuna nõ tam exillo periculo eripere voluerit, quam ad vestrum iudicium reseruare? Nisi verò illud dicet, quod & in testimonio Tertij priore actione interpellauit Hortensius, quo tempore quidem signi satis dedit, si quid esset quod posset dicere, se tacere non posse: vt quamdiu in cæteris rebus tacuerit, scire omnes possemus, nihil habuisse quod diceret. Hoc tum dixit, Philodamum & eius filium à C. Neronе esse damnatos. * de quo ne multa disseram,
72 tantum dico, secutum id esse Neronem, & eius consilium, quòd Cornelium lictorem occisum esse cõstaret: putasse non oportere esse, ne in vlciscẽda quidem iniuria, cuiquam hominis occidendi potestatẽ. In quo video Neronis iudicio non te absolutum esse improbitatis, sed illos damnatos esse cadis. Verùm ista damnatio tamen cuiusmodi fuit? Audite quæso, Iudices, & aliquando miseremini sociorum, & ostẽdite aliquid his in vestra fide præsidij esse oportere.

Quòd

Quòd toti Asiæ iure occisus videbatur istius ille verbo lictor, re vera minister improbissimæ cupiditatis: pertimuit iste, ne Philodamus Neronis iudicio liberaretur. rogat & orat Dolabellam, vt de sua prouincia decedat, ad Neronem proficiscatur: se demonstrat incolumem esse non posse, si Philodamo viuere, atq; aliquando Romam venire, licuisset. * Cõmotus est Dolabella: fecit id, quod multi reprehenderunt, vt exercitum, prouinciam, bellum relinqueret, & in Asiam hominis nequissimi causa, in alienã prouinciam proficisceretur. Postea quàm ad Neronem venit: contendit ab eo, vt Philodami causam cognosceret. Venerat ipse, qui esset in consilio, & primus sententiam diceret. Adduxerat etiam præfectos, & Tribunos militares suos, quos Nero omnes in consilium vocauit. erat in consilio & etiam æquissimus iudex ipse Verres: erant nonnulli togati creditores Græcorum, quibus ad exigendas pecunias improbissimi cuiusque Legati plurimum prodest gratia. * Ille miser defensorem reperire neminem poterat. quis enim esset aut togatus, qui Dolabellæ gratia: aut Græcus, qui eiusdem vi & imperio non moueretur? Accusator autem apponitur ciuis Romanus de creditoribus Lampsacenorum: qui si dixisset quod iste tussisset, per eiusdem istius lictores à populo pecuniam posset exigere. Cùm hæc omnia tanta cõtentione, tantis copijs agerẽtur: cũ illũ miserum multi accusarẽt: nemo defenderet, cũq; Dolabella cũ suis præfectis pugnaret in consilio, Verres fortunas agi suas diceret, idem testimonium dice-

73

74

vt, idem esset in cõsilio, idem accusatorem parasset? hæc cum omnia fierent, & cùm hominem constaret occisum: tamen tanta vis istius iniuriæ, tanta in isto improbitas putabatur, vt de Philodamo amplius pro-
75 nunciaretur.* Quid ego nunc in altera actione Cn. Dolabellæ spiritus? quid huius lachrymas & concursiones proferam? quid C. Neronis viri optimi atque innocentissimi nonnullis in rebus animum nimis timidum atq; demissum? qui in illare quid facere potuerit, non habebat: nisi fortè id quod omnes tũ desiderabant, vt ageret eamrem sine Verre & Dolabella: quicquid esset sine his actum, omnes probarent. Tum verò quod pronunciatum est, non per Neronem iudicatum, sed per Dolabellam ereptum existimabatur. Condemnatur enim perpaucis sententijs Philodamus, & eius filius. Adest, instat, vrget Dolabella, vt quàm primum securi feriantur, quò quam minimè multi ex illis de istius nefario
76 scelere audiri possent:* Cõstituitur in foro Laodicea spectaculum acerbum, & miserum, & graue toti Asiæ prouinciæ, grandis natu parens adductus ad supplicium: ex altera parte filius: ille quòd pudicitiam liberorum, hic quòd vitam patris famamq; sororis defenderat. Flebat vterq;, non de suo supplicio, sed pater de filij morte, de patris filius. Quid lachrymarum ipsum Neronem putatis profudisse? quem fletum totius Asiæ fuisse? quem luctum & gemitum Lampsacenorum? securi esse percussos homines innocentes, nobiles, socios Pop. Rom. atque amicos, propter hominis flagitiosissimi singularem nequitiam

atque

ãtque improbißimam cupiditatem. *Nemo iam, Do- 77
labella, neque tui, neque tuorum liberûm, quos tu
miseros in egestate atq; in solitudine reliquisti, mi-
sereri potest? Verresne tibi tanti fuit, vt eius libidi-
nem hũminum innocentium sanguine lui velles? Id-
circone exercitũ atq; hostẽ relinquebas, vt tua vi &
crudelitate iſtius hominis improbißimi pericula
subleuares? Quòd enim eũ tibi Quæstoris in locũ cõ-
stituerat, idcirco tibi amicum in perpetuum fore pu-
tasti? Nesciebas ab eo Cn. Carbonem COS. cuius re-
vera Quæstor fuit, non modò relictum, sed etiam
spoliatũ auxilijs, pecunia, nefariè oppugnatum &
proditum? Expertus igitur es iſtius perfidiam tum,
cùm se ad inimicos tuos contulit, cùm in te homo i-
pse nocens acerrimum testimonium dixit, cùm ra-
tiones ad ærariũ nisi dãnato te referre noluit. *Tã- 78
tæne tuæ, Verres libidines erũt, vt eas capere ac su-
stinere non prouincia Pop. Rom. non nationes exte-
ræ possint? Túne quod videris, quod audieris, quod
concupieris, quod cogitaris, nisi id ad nutum tuum
præstò fuerit, nisi libidini tuæ cupiditatiq; parueris,
immittẽtur homines? expugnabantur domus? ciui-
tates non modò pacatæ, verùm etiam sociorum atq;
amicorum, ad vim atq; ad arma confugient, vt ab
se atq; ab liberis suis Legati Po. Ro. scelus atq; libi-
dinem propulsare possint? Nam quæro abs te, circ-
umsessúsne sis Lampsaci: cœperitne domum, in qua
diuersabare, illa multitudo incendere: voluerintne
Legatum Pop. Ro. comburere viuum Lampsaceni?
negare non potes. habeo enim testimonium tuum,

quod apud Neronem dixisti: habeo quas ad eundem
79 literas misisti. * Recita hunc ipsum locum de testi-
monio. TESTIMONIVM C. VERRIS IN AR-
TEMIDORVM. NON MVLTO POST IN
DOMVM. Bellúmne Po. Ro. Lampsacenorum ciuitatem face-
re conabatur? deficere ab imperio ac nomine nostro
volebat? Video enim, & ex his, quæ legi & audiui,
intelligo, in qua ciuitate non modò Legatus Pop. Ro.
circumsessus, non modo igni, ferro, manu, copijs op-
pugnatus, sed aliqua ex parte violatus sit, nisi publi-
cè satis factum sit, ei ciuitati bellum indici atq; in-
80 ferri solere. * Quæ fuit igitur causa, cur cũncta ciui-
tas Lampsacenorum de concione, quẽ admodum tu
scribis, domum tuam cõcurreret? tu enim neq; in
literis, quas Neroni mittis, neq; in testimonio, cau-
sam tanti tumultus ostendis vllã. obsessum te dicis,
ignem allatum, sarmenta circumdata, lictorem tuũ
occisum esse dicis, prodeundi tibi in publicum pote-
statem factam negas: causam huius tanti terroris
occultas. Nam si quã Rubrius iniuriam suo nomine,
ac non impulsu tuo, & tua cupiditate fecisset, de tui
comitis iniuria quæstum ad te potius, quam te op-
pugnatum venirent. Cùm igitur, quæ causa illius tu-
multus fuerit, testes à nobis producti dixerint, ipse
celarit, nonne causam hanc, quam nos proposuimus,
tum illorum testimonia, tum istius taciturnitas per-
81 petua cõfirmat? * Huic homini parcetis igitur, Iudi-
ces, cuius tanta peccata sunt, vt hi, quibus iniurias
fecerit, neque legitimum tempus expectare ad vl-
ciscendum, neque vim tantam doloris in posterum
differre

differre potuerint? Circumsessus es. à quibus? à Lampsacenis barbaris hominibus credo, aut ijs qui Popul. Rom. nomen contemnerent? immò verò ab hominibus & natura, & consuetudine, & disciplina lenissimis: porrò autem Popul. Roman. conditione socijs, fortuna seruis, voluntate supplicibus. vt perspicuum sit omnibus, nisi tanta acerbitas iniuriæ, tanta vis sceleris fuisset, vt Lampsaceni moriendum sibi potius, quam perpetiendum putarent, nunquam illos in eum locum progressuros fuisse, vt vehementius odio libidinis tuæ, quam metu Legationis mouerentur. * Nolite per deos immortales cogere socios 83
atque exteras nationes hoc vti perfugio: quo, nisi vos vindicatis, ventur necessariò. Lampsacenos in istum nunquam vllares mitigasset, nisi eum pœnas Romæ daturum credidissent. Et si talem acceperant iniuriam, quam nulla lege satis dignè persequi poterant, tamen incommoda sua vestris committere legibus & iudicijs, quàm dolori suo permittere maluerunt. Tu mihi, cum circumsessus à tam illustri ciuitate sis propter tuum scelus atque flagitium: cum coegeris homines miseros & calamitosos, quasi desperatis nostris legibus & iudicijs ad vim, ad manus, ad arma confugere: cum te in oppidis & ciuitatibus amicorum non Legatum P. R. sed tyrannum libidinosum, crudelemque præbueris: cum apud exteras nationes imperij nominisque nostri famam tuis probris flagitijsque violaris: cùm te ex ferro amicorum Pop. Rom. eripueris, è flamma sociorum euolaris: hic tibi perfugium speras fu-

turum? erras. vt huc incideres, non vt hic cōquiesce-
83 res, illi te viuum exire passi sunt.* & ais, iudiciū esse
factum, te iniuria circumsessum esse Lampsaci, quòd
Philodamus cum filio condemnatus sit. Quid si do-
ceo, si planum facio, teste homine nequam, verùm ad
hanc rem tamen idoneo (te ipso inquam teste doce-
bo) te huius circūsessionis tuæ causam & culpam in
alios transtulisse? neq; in eos, quos tu insimularas,
esse animaduersum? iam nihil te iudicium Neronis
adiuuat. Recita quas ad Neronem literas misit.
EPISTOLA CVERRIS AD NERONEM.
THEMISTAGORAS ET THESSALVS.
Themistagoram & Thessalum scribis populum con-
citasse. quem populum? qui te circumsedit, qui te vi-
uum comburere conatus est. vbi hos persequeris?
vbi accusas? vbi defendis ius nomenq; Legati? In
84 Philodami iudicio dices id actum.* Cedo mihi ipsius
Verris testimonium. videamus quid idem iste iuratus
dixerit. Recita. AB ACCVSATORE ROGA-
TVS RESPONDIT, IN HOC IVDICIO
NON PERSEQVI: SIBI IN ANIMO
ESSE ALIO TEMPORE PERSEQVI.
Quid igitur te iuuat Neronis iudicium? quid Philo-
dami damnatio? Legatus cū esses circūsessus, cū, quē-
admodum tute ad Neronem scripsisti, Pop. Rom. cō-
muniq; causæ legatorum facta esset iniuria insignis,
nō es persecutus, dicis tibi in animo esse alio tempore
persequi. Quod fuit id tempus? quādo es persecutus?
cur imminuisti ius Legationis? cur causam Pop. Ro.
deseruisti? ac prodidisti? cur iniurias tuas cōjunctas

cum

cum publicis reliquisti? Nonte ad Senatum causã deferre? non de tam atrocibus iniurijs conqueri? non eos homines, qui populum concitarant, Consulum literis euocandos curare oportuit? *Nuper M. Aurelio Scauro postulante, quod is Ephesi se Quæstorem vi prohibitum esse dicebat, quò minus è fano Dianæ seruum suum, qui in illud Asylum confugisset, adduceret, Pericles Ephesius homo nobilissimus Romam euocatus est, quod auctor iniuriæ illius fuisse argueretur. Tu, si te Legatum ita Lampsaci tractatum esse Senatum docuisses, vt tui comites vulnerarentur, lictor occideretur, ipse circumsessus penè incenderere: eius autem rei duces & auctores & principes fuisse, quos scribis, Themistagoram & Thessalum, quis non cõmoueretur? quis non ex iniuria, quæ tibi esset facta, sibi prouideret? quis non in ea causam tuam, periculum commune agi arbitraretur? Etenim nomen Legati eiusmodi esse debet, quod non modò inter sociorum iura, sed etiam inter hostium tela incolume versetur. * Magnum hoc Lampsacenum crimen est, libidinis atq; improbissimæ cupiditatis. Accipite nunc auaritiæ propemodum in suo genere non leuius. Milesios nauem popposcit, quæ eum præsidij causa Myndum prosequeretur. Illi statim myoparonem egregium de sua classe ornatum, atq; armatum, dederunt. Hoc præsidio Myndum profectus est. nam quid Mylesijs lanæ publicæ abstulerit, item de sumptu in aduentum, de contumelijs & iniurijs in magistratum Milesium, tametsi dici tũ vere, tum grauiter & vehementer potest, tamen dice-

85

86

re prætermittam, caq; omnia testibus integra reseruabo. Illud, quod neque taceri vllo modo potest, neq;
87 dici pro dignitate, cognoscite. * Milites remigesque Miletum Myndo pedibus reuerti iubet, ipse myoparonem pulcherrimum de decem Milesiorum nauibus electum, L. Magio, & L. Rabio, qui Myndi habitabant, vendidit. Hi sunt homines quos nuper Senatus in hostium numero censuit habendos. hoc illi naurgio ad omnes Pop. Rom. hostes vsque ab Dianio, quod in Hispania est, ad Sinopam, quæ in Ponto est, nauigarunt. O dij immortales, incredibilem auaritiam, singularemq; audaciam. nauem tu de classe Pop. Rom. quam tibi Milesia ciuitas, vt te prosequeretur, dedisset, ausus es vendere? Si te magnitudo maleficij, si te hominum existimatio non mouebat: ne illud quidem cogitabas, huius improbissimi
88 furti, sine adeo nefaria prædæ, tam illustrem ac tam nobilem ciuitatem testem futuram? an quia tum Cn. Dolabella in eum, qui ei myoparoni præfuerat, Milesijsque rem gestam renunciarat, animaduertere tuo rogatu conatus est, renunciationemq; eius, quæ erat in publicas literas relata illorum legibus, tollit inferat: idcirco te ex hoc crimine elapsum esse arbitrabare? Multum te ista fefellit opinio, & quidem multis in locis. semper enim existimasti, & maximè in Sicilia, satis cautum tibi ad defensionem fore, si aut referri aliquid in literas publicas vetuisses, aut quod relatum esset, tolli coegisses. Hoc quàm nihil sit, tametsi ex multis Siciliæ ciuitatibus priore actione didicisti, tamen etiam in hac ipsa ciuitate cognosce.

noſce. Sunt illi quidem dicto audientes, quãdiu adſunt hi, qui imperant: ſimul ac diſceſſerunt, non ſolum illud perſeuerabunt, quod tum prohibiti ſunt, ſed etiam cauſſam adſcribũt, cur non tum in litteras relatum ſit. *Manent iſtæ literæ Mileti, manent, & dũ 89
erit illa ciuitas, manebunt. Decem enim naues iuſſu L. Murenæ, populus Mileſius ex pecunia vectigali Pop. Rom fecerat, ſicut pro ſua quæque parte Aſiæ cæteræ ciuitates. Quamobrem vnam ex decem non prædonum repentino aduentu, ſed Legati latrocinio: non vi tempeſtatis, ſed hac horribili tempeſtate ſociorum amiſſam in literas publicas retulerunt. *Sunt Romæ Legati Mileſij homines nobiliſſimi ac 90
principes ciuitatis: qui tametſi menſem Februarium & COSS. deſignatorum nomen exſpectant, tamẽ hoc facinus non modo negare interrogati, ſed nẽ producti quidem reticere poterunt. Dicent, inquam, & religione adducti, & legum domeſticarum metu, quod illo myoparone factum ſit. oſtendent C. Verrem in ea claſſe, quæ contra piratas ædificata ſit, piratam ipſum conſceleratum fuiſſe, C. Malleolo Quæſtore Cn. Dolabellæ occiſo, duas ſibi hæreditates veniſſe arbitratus eſt. vnam Quæſtoriæ procurationis: nam à Dolabella ſtatim pro Quæſtore iuſſus eſt eſſe. alteram tutelæ. *Nã cùm pupilli Mal- 91
leoli tutor eſſet, in bona eius impetum fecit. nam Malleolus in prouinciam ſic copioſè profectus erat, vt domi prorſus nihil relinqueret. præterea pecunias occuparat apud populos, & ſyngraphas fecerat, argenti optimi cælati grandè pondus ſecum tulerat

(nam ille quoque sodalis istius erat in hoc morbo & cupiditate) grande pondus argenti, familiam magnã, multos artifices, multos formosos homines reliquit. Iste quod argenti placuit, inuasit: quæ mancipia voluit, abduxit: vina cæteraq;, quæ in Asia facillimè cõparantur, quæ ille reliquerat, asportauit:
92 reliqua vendidit, pecuniã exegit. *Cũ ad HS. XXD quinquies redegisse cõstaret, vt Romam rediit, nullam literam pupillo, nullam matri eius, nullam tutoribus reddidit: seruos artifices pupilli cum haberet domi, circumpedes autem homines formosos & literatos, suos esse dicebat, se emisse. Cũ sapiùs mater, & auia pueri postularẽt, vti, si non redderet pecuniam, nec rationem daret, diceret saltem quantũ pecuniæ Malleoli deportasset: multis efflagitatus aliquando dixit, HS. decies. deinde in codicis extrema cera nomen infimum flagitiosa litura fecit: expensa Chrysogono seruo HS. sexcenta millia, accepta pupillo Mälleolo retulit. Quomodo ex decies HS. sexcenta sint facta, quomodo DC. eodem modo quadrarint, vt illa de Cn. Carbonis pecunia reliqua HS. sexcẽta facta sint: quomodo Chrysogono expensa lata sint: cur id nomen infimum, in litura q; sit:
93 vos existimabitis. *Tamen HS. sexcenta millia cùm accepta retulisset, HS. quinq; millia soluta nõ sũt: homines, posteaquam reus factus est, alij redditi, alij etiam nunc retinentur: peculia omnium, vicarijq; retinentur. Hæc est istius præclara tutela. En cui tuos liberos committas. en memoria mortui sodalis. en metus viuorum existimationis. Cùm tibi se

tota

tota Asia spoliandam ac vexandam tradidisset: cui tibi exposita esset omnis ad prædandum Pamphylia: contentus his tam opimis rebus non fuisti? manus à tutela, manus à pupillo, manus à sodalis filio abstinere non potuisti? Iam te non Siculi, non aratores (vt dictitas) circumueniunt, non hi, qui decretis edictisque tuis in te concitati infestique sunt: Malleolus à me productus est, & mater eius atq; auia, quæ miseræ, flentes, euersum à te puerum patris bonis esse dixerunt. *Quid exspectas? andum ab inferis ille 94
Malleolus existat? atq; abs te officia tutelæ, sodalitatis familiaritatisq; flagitet? ipsum putato adesse, homo auarissime & spurcissime, redde bona sodalis filio: si non quæ abstulisti, at quæ confessus es. Cur cogis sodalis filium hanc primam in foro vocem cum dolore & querimonia emittere? Cur sodalis vxorē, sodalis socrum, domum deniq; totam sodalis mortui, contra te testimonium dicere? Cur prudentissimas lectissimasq; fœminas in tantum virorum cōuentum insolitas inuitasq; prodire cogis? Recita omnium testimonia. TESTIMONIVM MATRIS ET AVIAE. *Pro Quæstore verò quomodo iste con- 95
mune Meliadum vexarit, quomodo Lyciam, Pamphyliam, Pisidiam, Phrygiamq; totam frumento imperando, æstimādo, hac sua quam tum primum excogitauit, Siciliensi æstimatione afflixerit, non est necesse demonstrare verbis. Hoc scitote: his nominibus, quæ res per eum gestæ sunt, cum iste ciuitatibus frumentum, coria, cilicia, saccos imperaret, neque ea sumeret, proq; his rebus pecuniā exigeret, his nomini-

minibus solis Cn. Dolabellæ HS. ad tricies litem esse æstimatam. Quæ omnia, etiamsi voluntate Dolabellæ fiebant, per istum omnia tamen gerebantur.

96 *Consistā in vno nomine: multa sunt ex eodem genere. Recita. DE LITIBVS AESTIMATIS CN. DOLABELLAE PR. PO. ROM. PECVNIAE REDACTAE QVOD A COMMVNI MELIADVM. Te hæc coegisse, te æstimasse, tibi pecuniam numeratam esse dico: eademque vi & iniuria cum pecunias maximas cogeres, per omnes partes prouinciæ, tanquam aliquam calamitosam tempe-

97 statem pestemque peruasisse demonstro. *Itaque M. Scaurus, qui Cn. Dolabellam accusauit, istum in sua potestate ac ditione tenuit. homo adolescens cum istius in inquirendo multa furta ac flagitia cognosceret, fecit peritè & callidè: volumen eius rerum gestarum maximum isti ostendit: ab homine, quæ voluit, in Dolabellam abstulit: istum testem produxit: dixit iste quæ velle accusatorem putauit. Quo ex genere mihi testium, qui cum isto fuerati sunt, si vti voluissem, magna copia fuisset: qui vt se periculo litium, coniunctione criminum liberarent, quò ego vellem descensuros polli-

98 cebantur. *Eorum ego voluntatem omnium repudiaui non modò proditori, sed ne perfugæ quidem locus in meis castris cuiquam fuit. Forsitan meliores illi accusatores habendi sunt, qui hæc omnia fecerunt: sed ego defensorem in mea persona, non accusatorem maximè laudari volo. Rationes ad ærarium, antequam Dolabella condemnatus est, nō au-

det

det referre. Impetrat à Senatu vt dies sibi prorogaretur, quòd tabulas suas ab accusatoribus Dolabellæ obsignatas diceret, perinde quasi exscribendi potestatem non haberet. solus est hic, qui nunquã rationes ad ærarium referat. Audistis Quæstoriam rationem tribus versiculis relatam: legationis, non nisi condemnato & eiecto eo, qui posset reprehendere: nunc denique Prætura, quam ex S.C. statim referre debuit, vsque ad hoc tempus non retulit. *Quæ- 99
storẽ se in Senatu expectare dixit, perinde quasi nõ vt Quæstor sine Prætore posset rationem referre, vt tu, Hortensi, vt omnes eodẽ modo sine Quæstore Prætor. Dixit idem, Dolabellam impetrasse. omen magis patribus conscriptis, quã causa placuit. probauerũt. Verũ Quæstores quoq; iampridem venerunt: cur non retulisti? illarum rationũ ex ea fece legationis, quæstoriæque tuæ procurationis illa sunt nomina, quæ Dolabellæ necessariò sunt æstimata. EX LITIBVS AESTIMATIS DOLABELLAE PR. ET PROPR.
*Quòd minus Dolabella Verri acceptum retulit, 100
quam Verres illi expensum tulerit, HS. quingenta triginta quinque millia: & quod plus fecit Dolabella Verrem accepisse, quàm ille in suis tabulis habuit, HS. ducenta triginta duo millia: & quod plus frumenti fecit accepisse illum, HS. decies & octingenta millia, quod tu homo castissimus aliud in tabulis habebas. Hinc illæ extraordinariæ pecuniæ, quas nullo duce, tamẽ aliqua ex particula inuestigamus, redundarunt. Hinc ratio cum Q. & Cn. Posthumijs, Curtijs, multu nominibus, quorum in tabulis iste habet

bet nullum. Hinc HS. quaterdecies P. Tadio numerata Athenis testibus planũ faciũ. Hinc empta apertissimè Prætura: nisi fortè id etiam dubium est, quomodo iste Prætor factus sit. * Homo scilicet aut industria, aut opera probata, aut frugalitatis existimatione præclara, aut deniq;, id quod leuissimum est, assiduitate, qui antè Quæsturam cum meretricibus lenonibusq; vixisset: Quæsturam ita gessisset, quemadmodum cognouistis: Romæ post Quæsturam illam nefariam vix triduum constitisset: absens nõ in obliuione iacuisset, sed in assidua commemoratione omnibus omnium flagitiorum fuisset: is repentè, vt Romam venit, gratis Prætor factus est. Alia porrò pecunia ne accusaretur data, cui sit data, nihil ad me, nihil ad rem pertinere, arbitror: datam quidem esse tum inter omnes recenti negocio facile constabat. * Homo stultissime & amentissime, tabulas cum conficeres, & cum extraordinariæ pecuniæ crimen subterfugere velles, satis te elapsurum omni suspitione arbitrabare, si quibus pecuniã credebas, ijs expensum non ferres? neq; in tuas tabulas vllum nomẽ referres, cũ tot tibi nominibus acceptum Curtij referrent? Quid proderat tibi te expensum illis nõ tulisse? an tuis solis tabulis te causam dicturum existimasti? * Verum ad illam iam veniamus præclaram Prætu-
ram, criminaq; ea, quæ notiora sunt his, qui adsunt, quã nobis, qui meditati ad dicendum paratiq; venimus: in quibus non dubito, quin offensionem negligentiæ vitare atq; effugere non possim. Multi enim ita dicent, de illo nihil dixit, in quo ego interfui:

fui: illam iniuriam non attigit, quæ mihi, aut quæ amico meo facta est, quibus ego in rebus interfui. His omnibus, qui istius iniurias norunt, hoc est, Pop. Ro. vniuerso, me vehementer excusatum volo, nō negligentia mea fore, vt multa præteream: sed quod alia testibus integra reseruari velim, multa autem propter rationem breuitatis ac temporis prætermittenda existimem. Fatebor etiam illud inuitus, me prorsus, cùm iste punctum temporis nullum vacuum peccato præterire passus sit, omnia quæ ab isto commissa sunt, nón potuisse cognoscere. Quapropter ita me de Prætura criminibus auditote, vt ex vtroque genere, & iuris dicendi, & sartorum tectorū exigendorum, ea postuletis, quæ maximè digna sint eo reo, cui parum ac mediocre obijci nihil oporteat. *Nā vt 104
Prætor factus est, qui auspicato à Chelidone surrexisset, sortem nactus est vrbanæ prouinciæ, magis ex sua & Chelidonis, quam ex Pop. Rom. voluntate. qui principio, qualis in edicto constituendo fuerit, cognoscite. P. Annius Asellus mortuus est C. Sacerdote Prætore: is cùm haberet vnicam filiam, neq; cēsus esset: quod eū natura hortabatur, lex nulla prohibebat, fecit vt filiā bonis suis hæredem instituerit. hæres erat filia: faciebant omni cū pupilla, legis æquitas, volūtas patris, edicta Prætorum, consuetudo iuris, quod erat tum, cum Asellus est mortuus. *Iste 105
Prætor designatus (vtrum admonitus, an tentatus, an qua est iste sagacitate in his rebus, sine duce illo, sine indice peruenerit ad hanc improbitatem, nescio. vos tantum hominis audaciam amentiamq; cognoscite)

scite) appellat hæredem L. Annium, qui erat institutus secundum filiam. non enim mihi persuadetur, istum ab illo prius appellatum. Dicit se posse ei condonare edicto hæreditatem. docet hominē quid possit fieri, illi bona res, huic vendibilis videbatur. Iste tamē si singulari est audacia, tamen pupillæ matrē sūmittebat: malebat pecuniam accipere, ne quid nocui ediceret, quam vt hoc edictum tam improbum &
106 inhumanum interponeret. *Tutores, pecuniam Prætori si pupillæ nomine dedissent grandem præsertim, quemadmodum in rationem inducerent, quemadmodū sine periculo suo dare posseut, non videbant: simul & istum fore tam improbum non arbitrabantur. Sæpè appellati perneganerunt. Iste ad arbitriū eius, cui condonarat hæreditatem, ereptam liberis, quàm æquum edictum scripserit, quæso cognoscite. CVM INTELLIGAM LEGEM VOCONIAM. Quis vnquam crederet Verrem mulierum aduersarium futurum? an ideò aliquid contra mulieres fecit, ne vetiti edictum ad Chelidonis arbitriū scriptum videretur? Cupiditati hominum ait se obuiam ire. Quid potius, non modò his temporibus, sed etiam apud maiores nostros? quis tam remotus fuit à cupiditate? Dic, quæso, cætera. delectat enim me hominis grauitas, scientia iuris, authoritas. QVI AB AVLO POSTHVMIO, Q. FVLVIO CENSORIBVS, POSTVEEA, FECIT, FECERIT. Fecit, fecerit?
107 Quis vnquam edixit isto modo? quis vnquam eius rei fraudem aut periculum proposuit edicto, quæ neque post edictum, neque ante edictum prouideri po-

potuit? Iure, legibus, authoritate omnium, qui consulebantur, testamentum P. Annius fecerat non improbum, non inofficiosum, non inhumanum. quod si ita fecisset, tamen post illius mortem nihil de testamento illius noui iuris constitui oporteret. Voconia lex te videlicet delectabat. imitatus esses ipsum illum C. Voconium, qui lege sua hereditatem ademit nulli neq; virgini, neq; mulieri: sanxit in posterum, qui post eos Censores census esset, ne quis hæredem virginē, neúe mulierem faceret. *In lege 108
Voconia non est, fecit, fecerit: neq; in vlla præteritū tempus reprehenditur, nisi eius rei, quæ sua sponte scelerata ac nefaria est, vt etiam si lex nō esset, magnopere vitāda fuerit. atq; in his rebus multa videmus ita sancta esse legibus, vt ante facta in iudiciū non vocentur. Cornelia, Testamētaria, Nummaria, Cornelius
cæteræ complures: in quibus non ius aliquod nouum contra
populo constituitur, sed sancitur, vt quod sēper malum factum fuerit, eius quæstio ad populum pertineat ex certo tēpore. *De iure verò Ciuili si quis no- 109
ui quid instituit, omnia quæ antè acta sunt, rata esse patitur. Cedo mihi leges Atinias, Furias, Fussias: ipsam, vt dixi, Voconiam, omnes præterea de iure Ciuili: hoc reperies in omnibus statui ius, quod post eā legem populus vtatur. Qui plurimum tribuunt edicto, Prætoris edictum legem annuam dicunt esse. tu edicto plus cōplecteris, quā lege. Si finem edicto Prætoris afferunt Calen. Ianuarij, cur non initiū quoq; edicti nascitur à Cal. Ianuarij? an in eum annū progredi nemo poterit edicto, quo Prætor alius futurus

110 est: in illum, quo alius Prætor fuit, regredietur? * At si hoc iuris nō vnius causa hominis edixisses, cautius composuisses. Scribis, si quis hæredem fecit, fecerit. quòd si plus legarit, quàm ad hæredem hæredesue perueniat, quod per legem Voconiam ei, qui census non sit, licet: cur hoc cum in eodem genere sit, non caues? quia non generis, sed hominis causam verbis amplecteris: vt facilè appareat te precio esse cōmotum. Atque hoc in posterum edixisses, minus esset nefarium, tamen esset improbum. sed tum vituperari posset, in dubium venire non posset. nemo enim committeret. nunc est eiusmodi edictum, vt quiuis intelligat, non populo esse scriptum, sed P. Annij se-
111 cundis hæredibus. * Itaque tum à te caput illud tam multis verbis mercenario proœmio esset ornatum: ecquis est inuentus postea Prætor, qui illud idem ediceret? non modò nemo edixit, sed ne metuit quidem quisdam, ne quis ediceret. Nam post te Prætorem multi testamenta eodem modo fecerunt. in his nuper Annia. ea de multorum propinquorum sentētia, pecuniosa mulier, quod censa nō erat, testamēto fecit hæredem filiam. Itaque hoc magnum iudicium hominū de istius singulari improbitate, quod Verres sua sponte instituisset, id neminem metuisse, ne quis reperiretur, qui istius institutū sequi vellet. Solus enim tu inuentus es, cui non satis fuerit corrigere volūtates viuorū, nisi etiam rescinderes mor-
112 tuorum. * Tu ipse ex Siculensi edicto hoc sustulisti, voluisti, ex improuiso si quæres natæ essent, ex vrbano edicto decernere: quā postea tu tibi defensionem

relin-

relinquebas, in ea maximè offendisti, cùm tuam autoritatem tute ipse edicto prouinciali repudiabas. Atque ego non dubito, quin vt mihi, cui filia maximè cordi est, res hæc acerba videatur atque indigna: sic vnicuique vestrum, qui simili sensu atque indulgentia filiarum, commouemini. Quid enim natura nobis iucundius? quid chariùs esse voluit? quid est digniùs, in quo omnis nostra diligentia indulgentiaque consumatur? *Homo importunissime, cur tantam iniuriam P. 113
Annio mortuo feciſti? cur huc dolorē cineri eius atque ossibus inussisti, vt liberis eius bona patria, voluntate patris, iure, legibus tradita eriperes, & cui tibi esset cōmodū, cōdonares? Quibuscū viui bona nostra partimur, iis Prator adimere nobis mortuis bona fortunas q3 poterit? Nec petitionē, inquit, nec possessionem dabo. Eripies igitur pupillæ totam prætextam? detrahes ornamenta, non solum fortunæ, sed etiam ingenuitatis? Miramur ad arma contra istum hominem Lampsacenos isse? miramur istum de prouincia decedentem clam Syracusis profugisse? nos si alienam vicem pro nostra iniuria doleremus, vestigium istius in foro non esset relictum. *Pa- 114
ter dat filiæ: prohibes. leges sinunt: tamen te interponis. de suis bonis ita dat, vt ab iure non abeat. quid habes quod reprehendas? nihil opinor. At ego concedo, prohibe si potes, si habes qui te audiat, si potest tibi dicto audiens esse quisquam. eripias tu voluntatem mortuis, bona viuis, ius omnibus? hoc populus Rom. non manu vindicasset, nisi te huic tempore at-

que huic iudicio reseruasset? Posteaquam ius Prætorium constitutum est, semper hoc iure vsi sumus: si tabulæ testamenti non proferrentur, tum vti proximum quemque potissimum hæredem esse oporteret. si u intestato mortuus esset, ita secundum eum possessio daretur. Quare hoc sit æquissimum facile est docere. sed in re tam vsitata: satis est ostendere omnes antea ius ità dixisse, & hoc vetus edictum
115 translatitiumq; esse. *Cognoscite aliud hominis in re vetere edictum nouũ, & simul, dum est vnde ius Ciuile discatur, adolescentes etiam disciplinã tradite: mirum est hominis ingeniũ, mira prudentia. Minutius quidam mortuus est ante istum Prætorẽ. eius testamentum erat nullum. lege hæreditas ad gentẽ Minuriam veniebat. Si habuisset iste edictum, quod ante istum, & postea omnes habuerũt, possessio Minutiæ genti esset data: si quis testamento se hæredẽ esse arbitraretur, quod iũ non extaret, lege ageret in hæreditatẽ: aut pro prædẽ litis vindiciarum cum satis accepisset, sponsionem faceret, ita de hæreditate certaret. hoc opinor iure & maiores nostri, & nos semper vsi sumus. videte vt hoc iste correxerit.
116 *cõponit edictum his verbis, in quibus intelligere possit, vnius hominis causa conscriptum esse, tantum quod hominem non nominat: causam quidem totã perscribit, ius, consuetudinem, æquitatẽ, edicta omnium negligit. EX EDICTO VRBANO. SI DE HAEREDITATE AMBIGETVR, SI POSSESSOR SPONSIONEM NON FACIT. Iam quid ad Prætorem, vter possessor sit? nõne id quari oportet,

vtrũ

vtrum possessorem esse oporteat? ergo quia possessor est, non moues possessione: si possessor non esset, non dares, nusquam enim scribis, neque tu aliud quicquam edicto amplecteris, nisi eam causam, pro qua pecuniam acceperas. * Iam hoc ridiculum est. SI DE HAEREDITATE AMBIGETVR, DE TABVLAE TESTAMENTI OBSIGNATAE NON MINVS MVLTIS SIGNIS, QVAM E LEGE OPORTEAT, AD ME PROFERENTVR, SECVNDVM TABVLAS TESTAMENTI POTISSIMVM HAEREDITATEM DABO. Hoc translatitiũ est, sequi illud oportet. Si tabulæ testamenti nõ proferẽtur, quid ait? se ei daturum, qui se dicat hæredem esse. Quid ergo interest, proferantur, nécne? si protulerit, vno signo vt sit minus quàm ex lege oportet, non des possessionem: si omnino tabulas non proferet, dabis. Quid nunc dicam? neminem vnquã postea alium edixisse? valdè sit mirum, neminẽ fuisse, qui istius se similem dici vellet. ipse in Sicilienſi edicto hoc non habet: exegerat enim iam mercedem. Item vt illo edicto, de quo antè dixi, in Sicilia de hæreditatũ possessionibus dandis, edixit idem, quod omnes Romæ præter istum. EX EDICTO SICILIENSI. SI DE HAEREDITATE AMBIGETVR. 117

* At per deos immortales, quid est, quod de hoc dici possit? Iterum enim iam quæro abs te, sicut modò in illo capite Anniano de mulierum hæreditatibus, nunc in hoc de hæreditatum possessionibus: cur ea capita in edictum prouinciale transferre 118

nolueris. vtrum digniores homines existimasti eos, qui habitabant in prouincia, quàm nos, qui æquo iure vteremur? an aliud Romæ æquum est? aliud in Sicilia? Non enim hoc potest hoc loco dici, multa esse in prouincijs aliter edicenda: non de hæreditatũ quidem possessionibus, nõ de mulierum hæreditatibus. Nam vtroque genere video non modò cæteros, sed te ipsum totidẽ verbis edixisse, quot verbis edici Romæ solet. Quæ Romæ magna cum infamia, precio accepto edixeras, ea solute, ne gratis in prouincia
119 malè audires, ex edicto Siciliẽsi sustulisse video.* Et cùm edictum totum eorum arbitratu, quamdiu fui designatus, componeret, qui ab isto ius ad vtilitatem suam nundinarentur, tum verò in magistratu cõtra illud edictum suum sine vlla religione decernebat. Itaque I. Piso multos codices impleuit earũ rerum, in quibus ita intercessit, quod iste aliter atq; vt edixerat, decreuisset. quod vos oblitos esse nõ arbitror, quæ multitudo, qui ordo ad Pisonis sellã isto Prætore solitus sit conuenire. Quem iste collegam nisi habuisset, lapidibus coopertus esset in foro, sed eò leuiores istius iniuriæ videbantur, quod erat in æquitate prudentiaq; Pisonis paratissimum perfugium: quo sine labore, sine molestia, sine impensa, etiam sine patrono homines vterentur.* Nã, quæso,
120 redite in memoriam, Iudices, quæ libido istius in iure dicendo fuerit, quæ varietas decretorum, quæ nundinatio, quàm manes domus eorum omniũ, qui de iure ciuili consuli solent, quàm plena atq; referta Chelidonis. à qua muliere cum erat ad eum ventum,

tum,& in aurem eius insusurratum, aliàs reuocabat eos, inter quos iam decreuerat, decretumq; mutabat: alias inter alios contrarium sine vlla religione decernebat, ac proximis paulo ante decreuerat. 121
*Hinc illi homines erāt, qui etiam ridiculi inueniebantur ex dolore. quorum alij, vt audistis, negabāt mirandum esse, ius tam nequam esse Verrinum. alij etiam frigidiores erant: sed quia stomachabantur, ridiculi videbantur esse, cùm Sacerdotem execrabantur, qui Verrem tam nequam reliquisset. Quæ ego nō commemorarem (neque enim perfacetè dicta, neq; porrò hac seueritate digna sunt) nisi vos illud vellem recordari, istius nequitiam & iniquitatem, tum in ore vulgi atque in communibus prouerbijs esse versatam. *In plebem verò Romanam vtrum 122
superbiam prius memorem? an crudelitatem? Sine dubio crudelitas grauior est atq; atrocior. Oblitosne igitur hos putatis esse, quemadmodū iste solitus virgis plebem Romanam concidere, quam remetiā Trib. ple. in cōcione egit, cum eum, quem virgis iste ceciderat, in prospectum Pop. Rom. produxit, cuius rei cognoscendæ faciam vobis suo tempore potestatem. *Superbia verò quæ fuerit, quis ignorat? quem- 123
admodum is tenuissimum quenque cōtempserit, despexerit, liberum esse nunquam duxerit. P. Trebonius viros bonos, & honestos complures fecit hæredes: in his fecit suum libertum. is A. Trebonium fratrem habuerat proscriptum, ei cum cautum vellet, scripsit, vt hæredes iurarent, se curaturos, vt ex sua cuiusque parte ne minus dimidium ad A. Treboniū

fratrem illum proscriptum peruenirent. Libertus iurat: cæteri hæredes adeunt ad Verrem: docent non oportere se iurare facturos esse, quod contra legem Corneliã esset, quæ proscriptum iuuari vetat, impetrãt vt ne iurẽt. dat his possessionẽ. Id ego non reprehẽdo. etenim erat iniquũ homini proscripto, egenti, de fraternis bonis quicquã dari: & ille libertus, nisi ex testamento patroni iurasset, scelus se facturum
124 arbitrabatur.* Itaq; ei Verres possessionẽ hæreditatis negat se daturum, ne posset patronum suum proscriptum iuuare, simul vt esset pœna, quòd alterius patroni testamento obtemperasset. Das possessionem ei qui non iurauit. concedo. Prætorium est. adimis tu ei qui iurauit? quo exemplo? proscriptum iuuat. lex est. pœna est. qui adẽũ, qui ius dicit? Vtrũ reprehẽdis quod patronum iuuabat eũ, qui tũ in miseriis erat? an quod alterius patroni mortui voluntatẽ cõseruabat, à quo summũ beneficium acceperat? vtrũ horũ reprehẽdis? Et hoc tũ de sella vir optimus dixit, Equiti R. tam locupleti libertinus sit homo hæres,
125 * O modestum ordinẽ quòd illinc viuus surrexit. Possum sexaginta decreta proferre, in quibus vt ego pecuniam non dicam interceßiße, ipsa decretorum nouitas iniquitasque declarat. Verum vt ex vno de cæteris coniecturam facere possitis, id quod priore actione cognostis, audite. C. Sulpitius Olympius fuit. is mortuus est C. Sacerdote Prætore, nescio an antequam Verres Prætura petere cœperit. fecit hæredem M. Octauium Ligurem. Ligur hæreditatem adijt, possedit Sacerdote Prætore sine vlla con-

controuersia. Posteaquam Verres magistratum iniit: ex edicto istius, quod edictum Sacerdos non habuerat, Sulpitij patroni filia sextam partem hereditatis ab Ligure petere cœpit. Ligur non aderat. L. Frater eius causam agebat. aderant amici, propinqui, dicebat iste, nisi, cum muliere decideretur, in possessionem se ire iussurum. L. Gellius causam Liguris defendebat: docebat edictum eius non oportere ad eas hereditates valere, quæ ante eum Prætorem venissent: si hoc tum fuisset edictum, fortasse Ligurem hereditatem aditurum non fuisse. Aequa postulatio, summa hominum auctoritas precio superabatur. * Venit Romam Ligur: non dubitabat, 126
quin si ipse Verrem conuenisset, æquitate causæ, & authoritate sua commouere hominem posset. domum ad eum venit: rem demonstrat: quàm pridem sibi hereditas venisset, docet: quod facilè in causa æquissima homini ingenioso fuit, multa, quæ quemuis mouere possent, dixit: ad extremum petere cœpit, ne vsque eò suam authoritatem despiceret, gratiamque contemneret, vt se tanta iniuria afficeret: Homo Ligurem accusare cœpit, quim re aduentitia atque hereditaria tam diligens, tam attentus esset: debere eum aiebat, suam quoque rationem ducere: multa sibi opus esse, multa canibus suis, quos circa se haberet. Non possum illa planius commemorare, quàm ipsum Ligurem pro testimonio dicere audistis. * Quid enim Verres? vtrúmne his quidem testi- 127
bus crederet? an hæc ad rem non pertinent? non M. Octauio? non L. Liguri? quis nobis credet? cui nos?

quid est Verres, quod planum fieri testibus possit, si hoc non sit? an id, quod dicunt, leue est? nihil leuius, quàm Prætorem vrbis hoc iuris in suo magistratu constituere, omnibus his, quibus hæreditas venerit, cohæredem Prætorem esse oportere. An verò dubitamus, quo ore iste cæteros homines inferiore loco, aut horitate, ordine, quo ore homines rusticanos ex municipijs, quo denique ore, quos nunquam liberos homines duxerit, solitus sit appellare, qui obius dicendum M. Octauium Ligurem, hominem ornatißimum loco, ordine, nomine, virtute, ingenio,
128 copijs, poscere pecuniam non dubitarit? *Insartis tectis verò quemadmodum sese gesserit, quid ego dicam? dixerunt, qui senserunt, sunt alij, qui dicant: notæres ac manifestè prolatæ sunt, & proferuntur. Dixit C. Fannius Eques Rom. frater germanus Q. Titinij iudicis tui, tibi se pecuniã dediße. Recita testimoniũ C. Fannij. Nolite C. Fãnio dicenti credere: noli, inquã, tu, Q. Titini. C. Fannio fratri credere. dicit enim rem incredibilem, C. Verrẽ insimulat auaritiæ & audaciæ, quæ vitia videntur in quemuis potius, quàm in istum conuenire. Dixit Q. Tadius homo familiarißimus patris ißius, non alienus à matris eius genere & nomine: tabulas protulit, quibus pecuniam se dediße ostendit. Recita nomina Q. Tadij. Recita testimonium Q. Tadij. Ne tabulis quidem Q. Tadij, nec testimonio credetur? Quid igitur in iudicijs sequemur? quid est aliud omnibus omnia peccata & maleficia concedere, nisi hoc, hominem honestißimorum testimonijs, & virorum bonorum tabu is

bulis nō credere? * Nam quid ego de quotidiano ser- 125
mone quærimontaq; Pop. Rom. loquar? de istius im-
pudentiſs. mo furto, ſeu potius nouo ac ſingulari la-
trocinio? ausū eſſe in ædeCaſtoris, celeberrimo cla-
riſs. moq; monimento, quod templum in oculis, quoti-
dianoq; aſſectu Populi Rom. eſt poſitum, quò ſæpenu-
mero Senatus conuocatur, quò maximarum rerum
frequentiſs. mæ quotidie aduocationes fiunt: in eo lo-
co, in ſermone hominum, audactæ ſuæ monimentum
æternū relinquere. * Aedē Caſtoris, Iudices, P. Iunius 130
habuit tuendam, L. Silla, Q. Metello Conſulibus. is
mortuus eſt. rel: nquit pupillum paruum filiū, cum L.
Octauius, C. Aurelius COSS. ædes ſacras locauiſſent,
neq; potuiſſent omnia ſarta tecta exigere, neque ij
Prætores quibus erat negocium datum, C. Sacerdos
& M. Caſius factū eſt S. C. quibus de ſartis tectis cog-
nitum & iudicatum non eſſet, vti C. Verres, P. Cælius
Prætores cognoſcerent & iudicarent. Qua poteſta-
te iſte permiſſa, vt ex C. Fannio, & ex Q. Tadio co-
gnouiſtis Veruntamen cùm eſſet omnibus in rebus a-
pertiſs. mè impudentiſs. meq; prædatus, hoc voluit
clariſs. mum indicium relinquere latrociniorum
ſuorum, de quo non audire aliquando, ſed videre
quotidie poſſemus. * quæſiuit quis ædem Caſtoris ſar- 131
tam tectam deberet tradere. Iunium ipſum mortuū
eſſe ſciebat: ſcire volebat, ad quē illa res pertineret.
audit pupillum eſſe filium. homo qui ſemper ita palā
dictitaſſet, pupillos & pupillas certiſs. mam prædam
eſſe Prætoribus, optatum negocium ſibi in ſinum de-
latum eſſe dicebat. Monimentum illa amplitudine,

illo

illo opere, quamuis sartum tectum integrumq; esset, tamen aliquid se inuenturum, in quo moliri prædarig, posset, arbitrabatur. * L. Rabonio ædem Castoris
132 tradi oportebat, is casu pupilli Iunij tutor erat testamento patris. cum eo sine vllo intertrimento conuenerat iam, quemadmodum traderetur. Iste ad se Rabonium vocat: quærit, ecquid sit, quòd à pupillo traditũ non sit, quod exigi debeat. Cùm ille id quod erat, diceret, facilem pupillo traditionem esse: signa, & dona comparare omnia: ipsum templũ omni opere esse integrum: indignum isti videri cœpit, ex tanta ædetantoque opere se non opimum præda,
133 præsertim à pupillo, discedere. * Venit ipse in ædem Castoris: considerat templum: videt vndiq; tectum pulcherrimè laqueatum, præterea cætera noua atq; integra. versat se: quærit quid agat. dicit ei quidam ex illis canibus, quos iste Liguri dixerat esse circa se multos, Tu Verres hic quod moliare, nihil habes, nisi fortè vis ad perpendiculum columnas exigere. Homo omnium rerum imperitus, quærit, quid sit ad perpendiculum. Dicunt ei, ferè nullum esse columnam, quæ ad perpendiculum esse possit. Iam me hercule, inquit, sic agamus: columnæ ad perpendiculum
134 exigantur. * Rabonius qui legem nosset, qua in lege numerus tantum columnarum traditur, perpendiculi mentio fit nulla: & qui non putaret sibi expedire, ita accipere, ne eodẽ modo reddendum esset, negat id sibi deberi, negat oportere exigi. Iste Rabonium quiescere iubet, & simul ei nonnullam spẽ societatis ostendit. hominem modestum, & minimè pertinacẽ

facilè

facilè coercet: columnas ita se exacturum esse cõfirmat. * Nouare atque improuisa pupilli calamitas 135
nunciatur statim C. Muistio vitrico pupilli, qui nuper
est mortuus, M. Iunio patruo, P. Potitio tutori homini frugalissimo. Hi rem ad virum primarium summo
officio ac virtute præditum M. Marcellum, qui erat
pupilli tutor, deferunt. Venit ad Verrem M. Marcellus: petit ab eo pro sua fide ac diligentia pluribus verbis, ne per summam iniuriam pupillum Iunium fortunis patris conetur euertere. Iste qui iam spe & opinione prædam illam deuorasset, neque vlla æquitate
orationis, neque authoritate M. Marcelli commotus
est. Itaque quemadmodum ostendisset, se id exacturum esse respondit. * Cum sibi omnes ad istum al- 136
legationes difficiles, omnes aditus arduos ac potius
intercluſos viderent, apud quem non ius, non æquitas, non misericordia, non propinqui oratio, non amici voluntas, non cuiusquam authoritas pro precio, non gratia valeret: statuunt id sibi optimum esse factu, quod cuiuis venisset in mentem, petere auxilium à Chelidone, quæ isto Prætore, non modò in iure Ciuili priuatorum, omnium controuersijs populo Romano præfuit, verùm etiam in his sartis tectis dominata est. * Venit ad Chelidonem C. Mustius 137
Eques Romanus publicanus, homo cum primis honestus. venit M. Iunius patruus pueri, frugalissimus homo & castissimus: venit homo summo honore & pudore, & summo officio, spectatissimus ordinis sui P. Potitius tutor. O multis acerbam, ô miseram atque indignam Fraturam tuam. vt mittam cætera,

quo

quo tandē pudore tales viros, quo dolore meretricū domū veniſſe arbitraminī? qui nulla conditione iſtā turpitudinem ſubiſſent, niſi officij neceſſitudinisq; ratio coegiſſet. Veniunt, vt dico, ad Chelidonem. domus erat plena: noua iura, noua decreta, noua iudicia petebātur. Mihi det poſſeſſionē, mihi ne adimat, in me iudicium ne det, mihi bona addicat. alij nummos numerabant: alij tabulas obſignabant. domus erat non meretricio cōuentu, ſed prætoria turba re-
138 ferta.* Simul ac poteſtas primum data eſt, adeunt hi quos dixi. loquitur Muſtius, rem demonſtrat, petit auxilium, pecuniā pollicetur. Reſpōdit illa, vt meretrix, non inhumanè: Libenter ait ſe eſſe facturam, & ſe cum iſto diligenter ſermocinaturam: reuerti iubet. tum diſcedunt. poſtridie reuertuntur. negat illa poſſe hominem exorari, permagnam eum dicere ex illa re pecuniam confici poſſe. Vereor ne quis fortè de populo, qui priori actione non affuit, hæc, quia propter inſignem turpitudinē ſunt incredibilia, ſinoi à me arbitretur. ea vos antea, Iudices, cognouiſtis
139 *dixit iratus P. Potitius tutor pupilli Iunij: dixit M. Iunius tutor & patruus: Muſtius dixiſſet, ſi viueret: ſed pro Muſtio, recenti re de Muſtio auditum dixit L. Domitius. qui cùm ſciret me ex Muſtio viuo audiſſe, quòd eo ſum vſus plurimum: etenim iudicium, quod propè omnium fortunarum ſuarum C. Muſtius habuit, me vno defendente vicit. cùm hoc, vt dico, ſciret L. Domitius me ſcire, ad eum res omnes Muſtium ſolitum eſſe deferre, tamen de Chelidone reticuit, quoad potuit alio, reſponſionem ſuā deriuaret:

uit. tātus in adolescente clarissimo ac principe iuuētutis pudor fuit, vt aliquandiu, cū à me premeretur, omnia potius respōderet, quam Chelidonem nominaret. Primò necessarios istius ad eum allegatos esse dicebat: deinde aliquādo coactus Chelidonem nominauit. * Non te putet, Verres, eius mulieris arbitratu 140
gessisse Praturam, quam L. Domitius ab se nominari
vix sibi honestum esse arbitrabatur? Reiecti à Chelidone capiunt consilium necessarium, vt suscipiant ipsi negocium cum Rabinio tutore, quod erat vix HS. quadraginta millium, transigunt HS. ducentis millibus. Refert ad istum rem Rabonius: vt sibi videbatur, satis gandem pecuniam, & satis impudentem esse. Iste qui aliquanto plus cogitasset, malè accipit verbū Raboniū: negat eum sibi illa decisione satisfacere posse. ne multa, locaturum se esse confirmat. * Tutores hæc nesciunt: quod actum erat 141
cum Rabonio, putant id esse certissimum: nullam maiorem pupillo metuunt calamitatem. Ille verò non procrastinat: locare incipit non proscriptaneq; edicta die, alienissimo tempore, ludis ipsis Romanis, foro ornato. Itaq; renunciat Rabonius illam decisionem tutoribus: accurrunt tamen ad tempus tutores, digitum tollit Iunius patruus. Isti color immutatus est: vultus, oratio, mens deniq; excidit. quid ageret cœpit cogitare. si opus pupillo redimeretur, si res abiret ab eo mancipe, quem ipse apposuisset: sibi nullam prædam esse. Itaq; excogitat. quid? nihil ingeniosè, nihil quod quisquam posit dicere, improbè, vel callidè. nihil ab isto tectum, nil veteratorium ex-

expectaueritis: omnia aperta, omnia perspicua re-
142 perientur, impudentia, amentia, audacia. Si pupillo
opus redimitur, mihi præda de manibus eripitur.
Quod est igitur remedium? quod? ne liceat pupillo re-
dimere. Vbi illa consuetudo in bonis, prædibus præ-
dijs q, vendendis, omnium COSS. Censorum, Præto-
rum, Quæstorum denique, vt optima conditione sit ü,
cuia res sit, cuium periculum? Excludit eum solum,
cui propè dicam soli potestatem factam esse oporte-
bat. quid enim quisquam ad meam pecuniam me in-
uito aspirat? quid accedit? Locatur opus id, quod ex
mea pecunia reficiatur. ego me refecturum esse dico.
probatio futura est tua, qui locas: prædibus & præ-
dijs populo cautum est. & si non putas cautum, sci-
licet tu Prætor in mea bona quos voles immittes? mé
ad meas fortunas defendendas: accedere non finas?
143 * Operæprecium est ipsam legem cognoscere. dicetü
eundem conscripsisse, qui illud edictum de hæredi-
tate. EX OPERE FACIVNDO QVAE PVPIL-
LI IVNII. Dic, dic quæso clarius. C. VERRES
PR. VRBIS ADDIDIT. Corriguntur leges Cen-
soriæ. Quod enim video in multis veteribus legibus,
Cn. Domitius, L. Metellus, L. Cassius, Cn. Seruilius
Censores addiderunt: vult aliquid eiusmodi C.
Verres, dic quid addidit. QVI DE L. MARTIO.
M. PERPENNA CENSORIBVS. SOCIVM
NE AMITTITO: NEVE PARTEM DATO:
NEVE REDIMITO. Quid ita? ne vitiosum opus
fieret? at erat probatio tua, ne parum locuples esset?
at erat, & esset amplius, si velles, populo cautum
præ-

prædibus & prædijs. * Hic te fires ipsa, si indignitas 144
iniuriæ tuæ non commouebat, si pupilli calamitas, propinquorum lachrymæ, D. Bruti, cuius prædia subierunt periculum, M. Marcelli tutoris autoritas apud te ponderis nihil habebat, ne illud quidem animaduertebas, eiusmodi fore hoc peccatum tuum, quod tu neque negare posses (in tabulas enim retulisti) neque cum defensione aliqua confiteri? Addicitur id opus HS. DLX. millibus, cum tutores HS. LXXX. millibus id opus, ad illius hominis iniquissimi arbitrium se effecturos esse clamaret. * Etenim quid erat operis? id quod vos vidistis. omnes illæ columnæ, quas dealbatas videtis, machina 145
appositæ nulla impensa deiecta, eisdemque lapidibus repositæ sunt. hoc tu HS. DLX. millibus locauisti. Atqui in illis columnas dico esse, quæ à tuo redemptore commotæ non sint: dico esse ex qua tantum tectorium vetus deletum sit, & nouum inductum. Quòd si tanta pecunia columnas dealbari putassem, certè nunquam Aedilitatem petiuissem. * At vt vi- 146
deatur tamen res agi, & non eripi pupillo. SI QVID OPERIS CAVSA RESCIDERIS, REFICITO. Quid erat quod rescinderet: sum suo quenque loco lapidem reponeret? QVI REDEMERIT, SATIS DET DAMNI INFECTI EI, QVI A VETERE REDEMPTORE ACCEPERIT. Deridet, cum sibi ipsum iubet satisdare Rabonium. PECVNIA PRAESENS SOLVATVR. Quibus de bonis? eius, qui, quod tu HS. DLX. millibus locasti, HS. LXXX millibus effecturū se esse clamauit. * Quibus de bonis?

pupilli. cuius ætatem & solitudinem, etiam si tutores non essent, defendere Prætor debuit. tutoribus defendentibus, non modo patrias eius fortunas, sed etiam bona tutorum ademisti. HOC OPVS BO-
147 NVM SVO CVIQVE FACITO.* Lapis aliquis cædendus & apportandus fuit machinæ suæ. nam illo non saxum, non materies adiecta est: tantum operis in ista locatione fuit, quantum paucæ operæ fabrorum mercedis tulerunt, & manus precium machinæ. Vtrum existimatis minus operis esse, vnam columnam efficere ab integro nouam nullo lapide rediuiuo, an quatuor illas reponere? nemo dubitat, quin multò maius sit nouã facere. Ostendã in ædibus priuatis, longa difficiliq; vectura, columnas singulas ad impluuium HS. quadrageniis millibus non minus
148 magnas locatas.* Sed ineptũ est de tã perspicua istius impudẽtia pluribus verbis disputare, præsertim cum iste apertè tota lege omniũ sermonem atq; existimationẽ cõtempserit, qui etiã ad extremũ cõscripserit, REDIVIVA SIBI HABETO. Quasi quicquam rediuiui ex opere illo tolleretur, ac non totum opus ex rediuiuis constitueretur. At enim si pupillo redimi non licebat, non necesse erat rem ad ipsũ peruenire. poterat aliquis ad id negocium de populo accedere. omnes excluſi sunt non minus apertè, quam pupillus: Diẽ præstituit operi faciundo Cal. Decẽ. locat circiter Idus Septemb. anguſtijs temporis excluduntur omnes.* Quid ergo? Rabonius istã diẽ quomodo assequitur? Nemo Raboniomolestus est neq;
149 Cal. Dec. neque nonis, neque Idibus. Denique aliquando in

pro

prouinciam iste proficiscetur priùs, quàm opus effectum est. Post eaquam reus factus est, primo negabat opus in acceptum referre posse. cùm instaret Rabonius, in me causam conferebat, quod tum codicem obsignaßem. Petit à me Rabonius, & amicos allegat. facilè impetrat. iste quid ageret, nesciebat. si in acceptum non retulisset, putabat se aliquid defensionũ habiturum. Rabonium porrò intelligebat rem totam esse patefacturum. tametsi quid poterat esse apertius, quàm nunc est, vt vno minus teste haberet Rabonio? Opus in acceptum retulit quadriennio post, quàm diem operi dixerat.* Hac conditione si quis de 150
populo redemptor accessisset, cùm die cæteros redemptores excluſisset, tum in eius arbitrium ac potestatem venire nolebat, qui sibi ereptam prædam arbitraretur. Nónne argumentamur quò ista pecunia peruenerit? fecit ipse iudicium. Primùm cùm vehementiùs cum eo D. Brutus contenderet, qui de sua pecunia HS. CCCC L. millia numerauit, quòd iã iste ferre non poterat opere addicto, prædibus acceptis de HS. DLX. millibus remisit D. Bruto HS. CX millia. Hoc, si alienares esset, certè facere non potuisset. Deinde nummi numerati sunt Cornificio, quem scribam suum fuisse negare non potest. Postremò ipsius Rabonij tabulæ prædã illam istius fuisse clamãt. Recita nomina Rabonij.* Hic etiã priore actione 151
Q. Hortensius pupillum Iunium venisse prætextatum in vestrum conspectum, & testes secum, paruo testimonium dicente, questus est: & me populariter agere atq; inuidiam commouere, quòd puerum pro-

ducerem, clamitauit. Quid erat, Hortensi, tandem in illo puero populare? quid inuidiosū? Gracchi credo, aut Saturnini, aut alicuius hominis eiusmodi produxeram filium, vt nomine ipso & memoria patris animos imperitæ multitudinis concitarem. P. Iunij erat, hominis de Plebe Romana filius, quē pater moriens tum tutoribus & propinquis, tum legibus, tum æquitati magistratuum, tum iudicijs ve-
152 stris commēdandū putauit. *Hic istius scelerata locatione nefariorū latrocinio bonis patrijs fortunisque ommibus spoliatus venit in iudicium: si nihil aliud, saltem vt eum, cuius opera ipse multos annos est in sordibus, paulò tamen obsoletius vestitum videret. Itaque tibi, Hortensi, non illius ætas, sed causa: non vestitus, sed fortuna popularis videbatur: neq; te tam commouebat, quòd ille cum toga prætexta, quàm quòd sine bulla venerat. vestitus enim neminem commouebat is, quem illi mos, & ius ingenuitatis dabat. quod ornamentum pueritiæ pater dederat, indicium atque insigne fortunæ, hoc ab isto prædone ereptum esse grauiter & acerbè homines fere-
153 bant.* Neque erant hæ lachrymæ populares magis, quàm nostræ, quàm tuæ, Q. Hortensi, quàm horum qui sententiam laturi sunt. Ideo quòd communis est causa, commune periculum, communi præsidio talis improbitas, tanquam aliquod incendium, restinguenda est. Habemus enim liberos paruos. incertum est quàm longa nostrum cuiusque vita futura sit: consulere viui ac prospicere debemus, vt illorum solitudo & pueritia quam firmissimo præsidio munitasit.

tasit. Quis est enim, qui tueri possit liberûm nostrorum pueritiam contra improbitatem magistratuum? Mater credo. scilicet magno præsidio fuit Anniæ pupillæ mater fœmina primaria: minus, illæ deos homines q; implorante, iste infanti pupillæ fortunas patrias ademit. Tutoresne defendent? perfacilè verò apud istiusmodi Prætorem, à quo M. Marcelli tutoris in causa pupilli Iunij & oratio, & volũtas, & autoritas repudiata est. * Quæremus etiam, 154
quid iste in vltima Phrygia, quid in extremis Pamphyliæ partibus fecerit? qualis in bello prædonũ prædo ipse fuerit, qui in foro Populi Romani pirata nefarius reperiatur? Dubitamus quid iste in hostium præda molitus sit, qui manubias sibi tantus ex L. Metelli manubijs fecerit? qui matore pecunia quatuor columnas dealbandas, quàm ille omnes ædificandas locauerit? Expectemus quid dicant ex Sicilia testes? quis vnquam templum illud aspexit, quin auaritiæ tuæ, quin iniuriæ, quin audaciæ testis esset? Quis à signo Vertumni in Circum maximum venit, quin is vnoquoque gradu de auaritia tua commoneretur? quam tu viam tensarum atq; Pompæ, eiusmodi exegisti, vt tu ipse illa ire non audeas? Te putet quisquam, cum ab Italia freto disiunctus esses, socijs temperasse? qui eadem Castoris testem furtorum tuorum esse volueris: quã Populus Romanus quotidie, Iudices etiam tum, cum de te sententiam ferrent, viderent? * Atque etiam iudicium in Prætura publi- 155
cum exercuit. non enim prætereundum est ne id quidem. petita mulcta est apud istum Prætorem à

Q. Opimio, qui adductus est in iudicium verbo, quòd cum esset Trib. Pleb. inercessisset contra legem Corneliam, quod in tribunatu dixisset contra alicuius hominis nobilis voluntatem. De quo iudicio si velim dicere omnia, multi appellandi lædendiq; sunt, quod mihi non est necesse: tantum dicam, paucos homines arrogantes hoc adiutore Q. Opimium per ludum
356 & iocum fortunis omnibus euertisse.* Is mihi etiam quæritur, quòd à nobis VIIII. solis diebus prima actio sui iudicij transacta sit, cum apud ipsum tribus horis Q. Opimius Senator Populi Romani bona, fortunas, ornamenta omnia amiserit. cuius propter indignitatem iudicij, sæpissimè est actum in Senatu, vt genus hoc totum mulctarum ac iudiciorum eiusmodi tolleretur. Iam verò in bonis Q. Opimij vendendis quas iste prædas, quàm apertè, quàm improbè fecerit, longum est dicere. Hoc dico, nisi vobis id hominum honestissimorum tabulis planum fecero, fingi
357 à me hoc totũ temporis causa putatote.* Iam qui ex calamitate Senatoris Pop. Rom. cum Prætor iudicio eius præfuisset, spolia domum suam referre, & manubias detrahere conatus sit, is vllam ab se calamitatem poterit deprecari? Nam de subsortitione illa Iuniana Iudicum nihil dico. Quid enim? contra tabulas, quas tu protulisti, audeam dicere? difficilè est. Non enim me tua solum, & iudicium autoritas, sed etiam annulus aureus Scribæ tui deterret. Non dicam id quod probare difficilè est; hoc dicam, quod ostendam, multos ex te viros primarios audisse, cum diceres, ignosci tibi oportere, quòd falsum codicem pro-

protuleris. Nam qua inuidia C. Iunius conflagrarat, ea, nisi prouidisses, tibi ipsi tum pereundum fuisset.
* Hoc modo iste sibi, saluti suæ prospicere didicit, re- 158
ferendo in tabulas & priuatas & publicas quod
gestum non esset, tollendo quod esset, & semper ali-
quid demendo, mutando, curando ne litura appa-
reat, interpolando. Eo enim vsque progreditur, vt
ne defensionem quidem maleficiorum suorum sine
alijs maleficijs reperire possit. Eiusdem modi sorti-
tionem homo amentissimus suorum quoque Iudicũ
fore putauit, per sodalem suum Q. Curtium Iudicẽ
quæstionis: cui nisi ego vi populi, & hominum cla-
more atq; conuicio reclitissem, ex hac decuria no-
stra, cuius mihi copiam quàm largissimè fa-
ctam oportebat, erepta esset facultas e-
orum, quos iste annuerat, in suum
consilium sine caussa sub-
sortiebatur.
(:)

ACCVSATIONIS IN C. VERREM LIBER IV.

ORATIO VII.

1 MVLTA mihi necessario, Iudices, prætermittēda sunt, vt possim aliquo modo aliquādo de his rebus, quæ mea fidei commissa sunt, dicere; recepi enim causam Siciliæ; ea me ad hoc negocium prouincia attraxit. Ego tamen hoc onere suscepto, & recepta caussa Siciliensi, amplexus animo sum aliquanto amplius: suscepi enim caussam totius ordinis, suscepi causam Populi Romani, quod putabam tum denique rectè iudicari posse, si non modo reus improbus adduceretur, sed etiam diligens, & firmus accusator ad iudicium veniret.

2 *Quò mihi maturius ad Siciliæ causam veniendū est, relictis cæteris eius furtis ac flagitijs, & vt viribus quàm integerrimis agere, & ad dicendum temporis satis habere possim. Atque adeo antequam de incommodis Siciliæ dico, pauca mihi videntur esse de prouinciæ dignitate, vetustate, vtilitate dicenda. Nam cum omnium sociorum prouinciarumque rationem diligenter habere debetis, tum præcipuè Sicilia, Iudices, plurimis iustissimisque de cau-

causis. Primum quod omnium nationum exterarum princeps Sicilia se ad amicitiam fidémque Populi Romani applicuit: prima omnium, id quod ornamentum imperij est, prouincia est appellata: prima docuit maiores nostros, quàm præclarum esset exteris gentibus imperare: sola fuit ea fide, beneuolentiaq; erga Populum Romanum, vt ciuitates eius insulæ, quæ semel in amicitiam nostram venissent, nunquam postea deficerent: pleræque autem, & maximè illustres in amicitia perpetuò manerent. *Itaq; maioribus in Africam ex hac prouincia gra- 3
dus imperij factus est; neque enim tam facile opes Carthaginis tantæ concidissent, nisi illud & rei frumentariæ subsidium, & receptaculum classibus nostris pateret. Quare P. Africanus, Carthagine deleta, Siculorum vrbes signis monimentisq; pulcherrimis exornauit: vt, quos victoria Populi Romani maximè lætari arbitrabatur, apud eos monimenta victoriæ plurima collocaret. *Denique ille ipse M. Mar- 4
cellus, cuius in Sicilia virtutem hostes, misericordiam victi, fidem cæteri Siculi perspexerunt, non solum socijs in eo bello consuluit, verum etiam superatis hostibus temperauit: vrbem pulcerrimam Syracusas, quæ cum manu munitissima esset, tum loci natura terra, ac mari claudebatur, cum vicōsilioq; cepisset, non solum incolumem passus est esse, sed ita reliquit ornatam, vt esset idem monimentum victoriæ, mansuetudinis, continentiæ: cum homines viderent, & quid expugnasset, & quibus pepercisset, & quæ reliquisset. tantum ille honorem Si-

ciliæ habendum putauit, vt ne hostium quidem vrbem ex sociorum insula tollendam arbitraretur.
5 *Itaque ad omnes res Sicilia prouincia semper vsi sumus, vt quicquid ex se ipse posset efferre, id non apud eos nasci, sed domi nostræ conditum putaremus. Quando illa frumentum quod deberet, non ad diem dedit? quando id quod opus esse putaret, non vltro pollicitus est? quando id quod imperaretur, recusauit? Itaque ille M. Cato sapiens cellam penariam Reip. nostræ, nutricem plebis Romanæ Siciliam nominauit. Nos verò experti sumus, Italico maximo difficillimoque bello, Siciliam nobis non pro penaria cella, sed pro ærario illo maiorum vetere ac refertofuisse: nam sine vllo sumptu nostro, corijs,
6 tunicis, frumentoque suppeditato, maximos exercitus nostros vestiuit, aluit, armauit. * Quid illa? (quòd forsitan ne sentimus quidem, Iudices) quanta sunt? quod multis locupletioribus ciuibus vtimur, quod habent propinquam, fidelem, fructuosamque prouinciam, quo facile excurrant, vbi libenter negocium gerant, quos illa partim mercibus suppeditandis cum quæstu compendioque dimittit, partim retinet, vt arare, vt pascere, vt negociari libeat, vt denique sedes ac domicilium collocare. quod commodum non mediocre Populo Romano est, tantum ciuium Romanorum numerum, tam propè ab do-
7 mo, tam bonis fructuosisque rebus detineri. *Et quoniam quasi quædam prædia Popul. Roman. sunt vectigalia nostra, atque puouinciæ: quemadmodum propinquis vos vestris prædijs maximè delectami-

ni,

ui, sic Pop. Rom. iucunda suburbanitas est huiusce prouinciæ. Iam verò hominum ipsorum, Iudices, ea patientia, virtus, frugalitasq; est, vt proxime ad nostram disciplinam illam veterem, non hanc, quæ nũc increbuit, videantur accedere: nihil cæterorũ simile Græcorum, nulla desidia, nulla luxuria: contra summus labor in publicis priuatisque rebus, summa parsimonia, summa diligentia. Sic porro nostros homines diligunt, vt his solis neque publicanus, neque negotiator odio sit. *Magistratuum autem nostrorum iniurias: ita multorum tulerũt, vt nunquã ante hoc tempus ad arãlegũ, præsidiumq; vestrum publico cõsilio confugerent: tametsi & illum annũ pertulerãt: qui sic eos afflixerat, vt salui esse non possent, nisi C. Marcellus quasi aliquo fato venisset, vt bis ex eadem familia salus Siciliæ constitueretur, postquã M. Antonij infinitum illud imperium senserant. Sic à maioribus suis acceperant, tanta Pop. Rom. in Siculos esse beneficia, vt etiam iniurias nostrorum hominum perferendas putarent. *In neminem ciuitates ante hunc testimonium publicè dixerunt. Hunc denique ipsum pertulissent, si humano modo, si vsitato more. si denique vno aliquo in genere peccasset: sed cum perferre non possent luxuriem, crudelitatem, auaritiam, superbiam: cum omnia sua cõmoda, iura, beneficia S. P. Q. R. vnius scelere, libidine perdidissent: hoc statuerunt: aut istius iniurias per vos vlcisci & persequi: aut si vobis indigni essent visi, quibus opem auxiliumque ferretis, vrbes ac sedes suas relinquere: quandoquidem iam

8

9

ante

10 ante istius iniurijs exagitati reliquissent. *Hoc consilio à L. Metello legationes vniuersæ petiuerunt, vt quamprimum isti succederet: hoc animo toties apud patronos de suis miserijs deplorarunt: hoc commoti dolore postulata Consulibus, quæ non postulata, sed in istum crimina viderentur esse, ediderunt. Fecerunt etiam, vt me, cuius fidem, continentiamque cognouerant, propè de vitæ meæ statu, dolore, ac lachrymis suis deducerent, vt ego istum accusarem: à quo mea longissimè ratio voluntasque abhorrebat, quanquam in hac caussa multo plures partes mihi defensionis, quam accusationis suscepisse videor.*

11 *Postremo homines ex tota prouincia nobilissimi, primique publicè priuatimque venerunt: grauissima atque honestissima quæque ciuitas vehementissimè suas iniurias persecuta est. At quemadmodum, Iudices, venerunt? Videor enim mihi liberius apud vos iam pro Siculis loqui debere, quam forsitan ipsi velint. saluti enim eorum potius consulam, quàm voluntati: Ecquem existimatis vnquam vlla in prouincia reum absentem contra inquisitionem accusatoris tantis opibus, tanta cupiditate esse defensum? Quæstores vtriusq; prouinciæ, qui isto Pr. fuerant,*

12 *cum fascibus mihi præsto fuerunt. *hi porrò, qui successerunt, vehementer istius cupidi liberaliter ex istius cibarijs tractati, non minus acres contra me fuerunt. Videte quid potuerit, qui quatuor in prouincia Quæstores studiosissimos defensores, propugnatores q; habuerit: Prætorem verò, cohortem q; totam sic studiosam, vt facilè appareret, non tam il-*

lis

lis Siciliam, quam inanem offenderant, quam Versem ipsum, qui plenus decesserat, prouinciam fuisse. Minari Siculis si decressent legationem, quæ contra istum diceret: minari, si qui essent profecti: aliis si laudarent benignissimè promittere: grauissimos priuatarum rerum testes, quibus nos præsentibus denunciauimus, eos vi custodijsque retinere. *Quæ 13
cū omnia facta sint, tamē vnam solam scitote esse ciuitatē Mamertinam, quæ publicè Legatos, qui istum laudarent, miserit. Eius autē legationis principem ciuitatis nobilissimum, C. Heiū iuratum dicere audistis: isti nauem onerariam maximā Messanæ esse publice coactis operis ædificatam idemq; Mamertinorum Legatus: istius laudator, non solum istū bona sua, verum etiam sacra, deosq; penates à maioribus traditos, ex ædibus suis eripuisse dixit. Præclara laudatio cum duabus in rebus Legatorum vna opera consumitur, in laudando, atque repetēdo. Atque ea ipsa ciuitas qua ratione illi amica sit, dicetur certo loco. reperietis enim, quæ causæ beneuolentiæ sint Mamertinis erga istum, eas ipsas causas satis iustas esse dānationis. Alia ciuitas nulla, Iudices, publico cōsilio laudat. *vis illa summi imperij tantum potuit apud perpaucos homines, non ciuitates, 14
vt aut leuissimi quidam ex miserrimis desertissimisque oppidis inuenirentur, qui iniußu populi ac Senatus proficiscerentur: aut hi qui contra istum Legatos decreuerant, & testimonium publicum mandatag; acceperant, vi, ac metu retinerentur. Quod ego in paucis tamen vsu veniße non molestè

fero,

fero, quò reliquæ tot, & tantæ, & tam graues ciuitates, tota denique Sicilia plus authoritatis apud vos haberet, cum videretis nulla vi retineri, nullo periculo prohiberi posse, quo minus experirentur, ecquid apud vos querimoniæ valerent antiquissimorum fidelissimorumque sociorum.* Nam quod fortasse non nemo vestrum audierit, istum à Syracusanis publicè laudari, id tametsi priore actione ex Heraclij Syracusani testimonio cuiusmodi esse cognouistis, tamen vobis alio loco, vt se tota res habeat, quod ad eam ciuitatem attinet, demonstrabitur. Intelligetis enim nullis hominibus quēquam tanto odio, quanto istum Syracusanis, esse, & fuisse. At enim istum soli Siculi persequuntur, ciues Rom. qui in Sicilia negotiantur, defendunt, diligunt, saluum esse cupiunt. Primum, si ita esset, tamen vos in quæstione de pecunijs repetundis, quæ sociorum caussa constituta est, lege, iudicioq; sociali, sociorum querimonias audire oporteret. *sed intelligere potuistis priore actione ciues Rom. ex Sicilia plurimos honestissimos, maximis de rebus, & quas ipsi accepissent iniurias, & quas scirent alijs esse factas, pro testimonio dicere. Ego hoc quod intelligo, Iudices, sic confirmo: videor mihi gratum fecisse Siculis, quòd eorum iniurias meo labore, inimicitias periculo sim persecutus. non minus hoc gratum me nostris ciuibus intelligo fecisse: qui hoc existimant, iuris, libertatis, rerum, fortunarumque suarū salutem in istius damnatione cōsistere.* Quæ propter de istius Praetura Sicilensi non recuso, quin

nā

ita me audiatis, vt si cuiquam generi hominum, siue Siculorum, siue nostrorum ciuium, siue cuiquam ordini, siue aratorum, siue pecuariorum, siue mercatorum probatus sit: si non horum omnium communis hostis prædoque fuerit: si cuiquam denique vlla in re vnquam temperauit, vt vos quoque temperetis. Qui simul atque ei sorte prouincia Sicilia obuenit, statim Roma, & ab vrbe antequam proficisceretur, quærere ipse secum, & cogitare cum suis cœpit, quibusnam rebus in ea prouincia maximam vno anno pecuniam facere posset. Nolebat in agendo discere, tametsi non prouinciæ rudis erat & tyro: sed in Siciliam paratus ad prædam meditatusque venire cupiebat. * Oprælarè coniectum à vulgo in illam prouinciam omen cõmunis fama atque sermonis: cum ex nomine istius, quid in prouincia facturus esset, perridiculi homines augurabantur: etenim quis dubitare posset, cum istius in Quæstura fugã, & furtum recognosceret: cum in legatione oppidorum fanorumq; spoliationes cogitaret: cum videret in foro latrocinia Prætoræ: qualis iste in quarto actu improbitatis futurus esset? Atque vt intelligatis eum Romæ quæsisse non modo genera furandi, sed etiam nomina: certissimum accipite argumentum, quo facilius de singulari eius impudentia existimare possitis. * Quo die Siciliam tetigit (vi 19
dete satine paratus ex illo omine vrbano ad euertendam prouinciam venerit) statim Messana literas Halesam mittit: quas ego istum in Italia scripsisse arbitror: nam simulatque è naui egressus est, dedit

18

dit operam, vt Halesinus ad se Dio continuo veniret: se de hæreditate velle cognoscere, quæ eius filio à pro-
20 pinquo homine Apollodoro Laphirone venisset. * Ea erat, Iudices, pergrandis pecunia. Hic est Dio, Iudices, nunc beneficio Q. Metelli ciuis Ro. factus, de quo multis viris primarijs testibus, multorumq; tabulis vobis priore actione satis factum est, HS. vndecies numeratum esse, vt eam causam, in qua ne tenuissima quidem dubitatio posset esse, isto cognoscente obtineret. præterea greges nobilissimarum equarum abactos: argenti, vestisq; stragulæ domi quod fuerit, esse direptum. ita HS. vndecies Q. Dionem, quòd hæreditas ei obuenisset, nullam aliam ob causam,
21 perdidisse. * Quid? hæc hæreditas quo Prætore Dionis filio venerat? eodem, quo P. Annij Senatoris filiæ: eodem, quò M. Liguri Senatori, C. Sacerdote Prætore. Quid? tum nemo molestus Dioni fuerat? nō plus quam Liguri Sacerdote Prætore. Quid? ad Verrem quis detulit? nemo: nisi forte existimatis ei quadruplatores ad fretum præsto fuisse. * Ad vrbem cum esset, audiuit Dioni cuidam Siculo permagnam venisse hæreditatem: hæredem statuas iussum esse in foro ponere: nisi posuisset, Veneri Erycinæ esse mulctatum. Tametsi posita essent ex testamento, putabat tamen, quoniam Veneris nomen esset,
22 causam pecuniæ se reperturum. * Itaque apponit qui petat Veneri Erycinæ illam hæreditatem. non enim Quæstor petit (vt est consuetudo) is qui Erycum mōtem obtinebat. petit Neuius Turpio, quidam istius excursor & emissarius, homo omnium ex illo con-

uentus

uentu quadruplatorum deterrimus, C. Sacerdote Prætore condemnatus iniuriarum. etenim erat eiusmodi causa, vt ipse Prætor cum quæreret calumniatorem, paulo tamen consideratiorem reperire non posset. Hunc hominem Veneri absoluit, sibi condemnat. maluit videlicet homines peccare, quã deos: se potius à Dione, quod non licebat, quàm Venerem, quod non debebatur, auferre. *Quid ego nũc 23
hic Sex. Pompeij Chlori testimonium recitem? qui causam egit Dionis: qui omnibus rebus interfuit: hominis honestissimi: tametsi ciuis Romanus virtutis causa iamdiu est, tamen omnium Siculorum primi ac nobilissimi. Quid ipsius Q. Cæcilij Dionis hominis probatissimi ac prudentissimi? Quid L. Vetecilij Liguris, T. Manlij, L. Caleni? quorum omnium testimonijs de hac Dionis pecunia confirmatũ est. Dixit hoc idem M. Lucullus, sed de his Dionis incommodis pro hospitio, quod sibi cum eo esset, tam antè cognosse. *Quid? Lucullus, qui tũ in Macedonia fuit, 24
melius hæc cognouit, quam tu, Hortensi, qui Romæ fuisti: ad quem Dio confugit: qui de Dionis iniurijs grauissimè per litteras cum Verre questus es? noua tibi hæc sunt & inopinata? nunc primum hoc aures tuæ crimen accipiunt? nihil de Dione? nihil de socru tua, fœmina primaria, Seruilia, vetere Dionis hospita audisti? nonne multa mei testes, quæ tu scis, nescium? nonne te mihi testem in hoc crimine eripuit non istius innocentia, sed legis exceptio? TESTIMONIA M. LVCVLLI, CHLORI, DIONIS. Satisne vobis magnam pecuniam Veneri us

homo, qui è Chelidonis sinu in prouinciam profectus
25 esset, Veneris nomine quæsisse videtur? * Accipite
aliam in minore pecunia non minus impudentem
calumniam. Sosippus & Epicrates fratres sunt
Agyrinenses. horum pater ab hinc duos & XX.
annos est mortuus. in cuius testamento quodam
loco si commissum quid esset, mulcta erat Veneri.
Ipsos XX. annos, cum tot interea Prætores, tot
Quæstores, tot calumniatores in prouinciam fuissent,
hæreditas ab his Veneris nomine petita non est.
caussam Verres cognouit: per Volcatium pecuniam
accepit, ferè ad HS. CCCC. millia ab duobus fratri-
bus. Multorum testimonia audistis: antea: vice-
runt Agyrinenses fratres, ita, vt egentes inanesq;
26 discederent. * At enim ad Verrem pecunia ista non
peruenit. Quæ est ista defensio? vtrum asseueratur
in hoc, an hoc tentatur? mihi enim res noua est,
Verres calumniatores apponebat, Verres adesse
iubebat: Verres cognoscebat, Verres iudicabat,
pecuniæ maximæ dabantur: qui dabant, caussas
obtinebant. tu mihi ita defendas? non est ista Verri
numerata pecunia. Adiuuo te: mei quoque testes
idem dicunt, Volcatio dicunt se dedisse. Quæ vis
erat Volcatio tanta, vt HS. CCCC. millia à duo-
bus hominibus auferret? & quis Volcatio, si sua
sponte venisset, vnam libellam dedisset? nunc ex-
periatur: tecto recipiet nemo. At ego amplius di-
co, HS. quadringenties accepisse te arguo contra le-
ges: nego tibi ipsi vllum nummum esse numeratum.
sed cum ob tua decreta, ob imperata, ob iudicata,

pe-

pecuniæ dabantur, non erat quærendum, cuius manu numerarentur, sed cuius iniuria cogerentur. *Comites illi tui delecti, manus erant tuæ: Præfecti, Scribæ, Medici, Accensi, Aruspices, Præcones, manus erant tuæ: quò quisque te maximè cognatione, affinitate, necessitudine aliqua attingebat, ita maximè manus tua putabatur: cohors tota illa tua, quæ plus mali Siciliæ dedit, quàm si centum cohortes fugitiuorum fuissent, tua manus sine controuersia fuit. quicquid ab horum quopiam captum est, id non modo tibi datum, sed tua manu numeratum iudicari necesse est. Nam si hāc defensionem probabitis, non accepit ipse: licet omnia de pecunijs repetundis iudicia tollatis, nemo vnquam tam reus, tam nocens adducetur, qui ista defensione non possit vti: etenim cum Verres vtatur, quis erit vnquam posthac reus tam perditus, qui non ad Q. Mutij innocentiam referatur, si cum isto conferatur? Neque nunc tam mihi iste Verrem defendere videtur, quàm in Verre defensionis tentare rationem. *Qua de re, Iudices, vobis magnopere prouidendum est: pertinet hoc ad summam Reip. & ad existimationem ordinis, salutemq; sociorum; si enim innocentes existimari volumus, non solum nos abstinentes, sed etiam nostros comites præstare debemus. Primum omnium opera tanta danda est, vt eos nobiscum ducamus, qui nostræ famæ capitiq; consulant, deinde si in hominibus eligendis nos spes amicitiæ fefellerit, vt vindicemus, missos faciamus: semper ita viuamus, vt rationem reddendam nobis ar-

bitremur. Africani est hoc, hominis liberalissimi. veruntamen ea liberalitas est probanda, quæ sine
29 periculo existimationis est, vt in illo fuit. *Cū abeo quidam vetus assectator ex numero amicorum non impetraret, vt se præfectum in Africam duceret, & id ferret molestè: Noli, inquit, mirari, si tu à me hoc nō impetras: ego iampridem ab eo cui existimationem charam fore arbitror, peto vt mecum præfectus proficiscatur, & adhuc impetrare non possū. Etenim re vera multo magis est petendum ab hominibus, si salui esse volumus, vt eant nobiscum in prouinciam, quàm illis in beneficij loco deferendum. Sed tu, cum & tuos amicos in prouinciam quasi in prædam inuitabas, ac cum illis, ac per eos prædabare, & eos in cōcione annulis aureis donabas, nō statuebas tibi
30 non solum de te, sed etiam de illorum factis rationem esse reddendam? *Cum hos sibi quæstus constituisset magnos atque vberes ex his causis, quas ipse instituerat in consilio, hoc est cum sua cohorte cognoscere: tum infinitum genus inuenerat ad innumerabilem pecuniam corripiendam. Dubium nemo est, quin omnes omnium pecuniæ positæ sint in eorum potestate, qui iudicia dant, & eorum qui iudicant: quin nemo nostrum possit ædes suas, nemo fundum, nemo bona patria obtinere. si cum hac à quopiam vestrum petita sunt. Prætor improbus, cui nemo intercedere possit, det quem velit iudicem: iudex nequam & leuis, quod Prætor iusserit, iudicet. *Si verò illud quoque accedet, vt Prætor in ea
31 verba iudicium det, vt vel Octauius Balbus iudex, homo

homo & iuris & officij peritissimus, non possit aliter iudicare: si iudicium sit eiusmodi, L. Octauius iudex, esto si apparet fundum Capenatem quo de agitur, ex iure eum P. Seruilij esse, neque is fundus Q. Catulo restituetur, non necesse erit L. Octauio Iudici cogere P. Seruilium Q. Catulo fundum restituere? aut condemnare eum, quem oporteat? Eiusdemmodi totum ius Prætorium, eiusdemmodi omnis res iudiciaria fuit in Sicilia per triennium Verre Prætore. decreta eiusmodi. SI NON ACCIPIT QVOD TE DEBERE DICIS, ACCVSES: SI PETITVR, DVCAS. C. Fusicium duci iussit petitorem, L. Suetium, L. Racilium. iudicia huiusmodi QVI CIVES ROM. ERANT, SI SICVLI ESSENT, TVM SI EORVM LEGIBVS DARI OPORTERET. QVI SICVLI, SI CIVES ROM. ESSENT. *Verum vt totum genus amplectamini iudiciorum, prius iura Siculorum, deinde istius instituta cognoscite. Siculi hoc iure sunt, vt quod ciuis cum ciue agat, domi certet suis legibus: quod Siculus cũ Siculo non eiusdẽ ciuitatis, vt de eo Prætor iudicet ex P. Rupilij decreto, quod is de decẽ Legatorũ sententia statuit, quã legem Siculi Rupiliam vocant, sortiatur. Quod priuatus à populo petit, aut populus à priuato, Senatus ex aliqua ciuitate, qui iudicet, datur: cum alternæ ciuitates reiectæ sunt. Quod ciuis Romanus à Siculo petit, Siculus iudex datur: quod Siculus à ciue Romano, ciuis Rom. datur: cæterarum rerum selecti iudices ex ciuium Ro. 32

manorum conuentu proponi solent: Inter aratores & decumanos lege frumentaria, quam Hieroni-
33 cam appellant, iudicia fiunt.* Hæc omnia istô Prætore non modo perturbata, sed planè & Siculis, & ciuibus Rom. erepta sunt. Primum suæ leges, quod ciuis cum ciue ageret, aut eum iudicem, quem commodum erat, præconem, aruspicem, medicum suum dabat: aut si legibus erat iudicium constitutum, & ad ciuem suum iudicem venerant, libere ciui vindicare non licebat. Edictum enim hominis cognoscite, quo edicto omnia iudicia redegerat in suam potestatem. Si quis perperam iudicasset, se cognaturum, cum cognosset, animaduersurum. Idq; cum faciebat, nemo dubitabat, quin cum iudex alium de suo iudicio putet iudicaturum, seq; in eo capitis periculum aditurum, voluntatem spectet eius, quem
34 statim de capite suo putet iudicaturū.* Selecte conuentu, aut proposiți ex negotiatoribus iudices nulli, hæc copia quam dico iudicum, cohors non Q. Scæuolæ, qui tamen de cohorte sua dare non solebat, sed C. Verris. Cuiusmodi cohortem putatis hoc principe fuisse? sicuti videtis edictum. SI QVID PERPERAM IVDICARIT SENATVS. Eum quoq; ostendam, si quando sit datus, coactu istius, quod non senserit, iudicasse. Ex lege Rupilia sortitio nulla, nisi cum nihil interreat istius lege Hieronica iudicia plurimarum controuersiarum sublata, vno nomine, omnia, de conuentu ac negotiatoribus nulli iudices. Quantam potestatem habuerit vide-
35 tis: quas res gesserit cognoscite.* Heraclius est Hie-

ronis

vonis filius Syracusanus, homo imprimis domi suæ nobilis, & ante hunc Pr. vel pecuniosissimus Syracusanorum, nunc nulla alia calamitate, nisi istius auaritia atq; iniuria pauperrimus. huic hæreditas facile ad HS. tricies venit testamento propinqui sui Heraclij plena domus calati argenti optimi, multaq; stragulæ vestis, pretiosissimorumq; mancipiorum. quibus in rebus istius cupiditates & insaniam quis ignorat? Erat in sermone res, magnam Heraclio pecuniam venisse: non solum Heraclium ditiorem, sed etiam ornatum supellectili, argento, veste, mancipijs futurum. *Audit hæc etiam Verres & primo, illo suo leuiore artificio, Heraclium aggredi conatur, vt eum roget inspicienda, quæ non reddat. deinde à quibusdam Syracusanis admonetur. hi autem quidam erant affines istius, quorum vxores iste nunquam alienas exist mauit, Cleomenes, & Aeschrio: qui quantum apud istum, & quàm turpi de causa potuerint, ex reliquis criminibus intelligetis. Hi vt dico hominem admonent, rem esse præclaram, refertam omnibus rebus: ipsum autem Heraclium hominem esse maiorem natu, non promptissimum: & eum præter Marcellos, patronum, quem iure suo adire aut appellare posset, habere neminem. esse in eo testamento, quo ille hæres esset, scriptum, vt statuas in palæstra deberet ponere. Faciemus vt palæstritæ negent ex testamento esse positas: petant hæreditatem, quod eam palæstræ commisisse dicant. *Placuit ratio Verri. nam hoc animo prouidebat, cum tanta hæreditas in controuersiam veniss-

36

37

set, iudicioq, peteretur: fieri non posse, vt sine præda ipse discederet. approbat consilium, autor est vt quã primum agere incipiant, hominemque id ætatis minimè litigiosum quam tumultuosissimè adorientur. Scribitur Heraclio dica. Primo mirantur omnes improbitatem calumniæ. deinde, qui istum nossent, partim suspicabantur, partim planè videbant adiectum esse oculum hæreditati. Interea dies aduenit, quo die sese ex instituto ac lege Rupilia dicas sortiturum Syracusis iste edixerat: paratus ad hanc dicam sortiendam venerat. tum eum docet Heraclius non posse eo die sortiri, quòd lex Rupilia vetaret diebus XXX. sortiri dicam, quibus scripta esset. dies XXX. nondum fuerant, sperabat Heraclius si illum diem effugisset, ante alteram sortitionẽ

38 Q. Arrium, quem prouincia tum maximè expectabat, successurum. * Iste omnibus iudicijs diem distulit, & eam diem constituit, vt hanc Heraclij dicam sortiri post dies XXX. ex lege posset. Posteaquam ea dies venit, iste incipit simulare se velle sortiri: Heraclius cum aduocatis adit, & postulat, vt sibi cum palæstritis, hoc est cum populo Syracusano, æquo iure disceptare liceat, aduersarij postulant, vt in eam rem iudices dentur ex hus ciuitatibus, quæ in id forum conuenirent: electi qui Verri viderentur. Heraclius contrà, vt Iudices è lege Rupilia dentur: vt ab institutis sociorum, ab authoritate Senatus, ab iure omnium Siculorum ne recedatur.

39 * Quid ego istius in iure dicendo libidinem demonstrem? quis vestrum nõ ex vrbana iurisdictione cognouit?

nouit? quis vnquam isto Prætore, Chelidone inuita lege agere potuit? Non istum, vt non neminem, prouincia corrupit: idem fuit qui Romæ. Cum id quod omnes intelligebant, diceret Heraclius: ius esse certum Siculis, inter se quo iure certarent, legem esse Rupiliam, quam Prætor Rupilius ex S.C. de decem Legatorum sententia dedisset: hoc omnes semper in Sicilia Consules Prætores q. seruasse: negauit se iudices è lege Rupilia sorturum: quinq. Iudices, quos commodum ipsi fuit, dedit. * Quid huic homini faciés? quod supplicium dignum libidini eius inuenies? Præscriptum tibi cum esset, homo deterrime, & impudentissime, quemadmodum inter Siculos iudices dares: cum imperatoris P. R. autoritas, Legatorum decem summorum hominũ dignitas, S.C. intercederet, cuius consulto P. Rupilius Prætor ex legatorum sententia leges in Sicilia constituerat: cum omnes ante te Prætores Rupilias leges in cæteris rebus, & in iudicijs maximè obseruassent: tu orsus es pro nihilo prætua præda tot res sanctissimas ducere? tibi nulla lex fuit? nulla religio? nullus existimationis pudor? nullus iudicij metus? nullius apud te grauis autoritas? nullum exemplum, quod sequi velles? * Verum vt institui dicere, quinq. iudicibus nulla lege, nullo instituto, nulla religione, nulla sorte, ex libidine istius datis non qui causſam cognoscerent, sed qui, quod imperatum esset, iudicarent. eo die nihil actum est: adesse iubentur postridie. Heraclius interea cum omnes insidias à Prætore fortunis suis fieri videret, capit consilium de amicorum

& propinquorum sententia, non adesse ad iudicium: itaq; Syracusis illa nocte profugit. Ille postero die manè, cum multò maturius, quam vnquam antea, surrexissent, iudices citari iubet. vbi comperit Heraclium non adesse, cogere incipit eos, vt absentem Heraclium condemnarent. Illi eum commonefaciunt, vt si ei videatur, vtatur instituto suo, nec cogat ante horam decimam de absente secundum præ-
42 sentem iudicare. impetrant. *Interea sanè perturbatus, & ipse, & eius amici, & consiliarij, molestè ferre cœperant, Heraclium profugisse: putabant absentis damnationem, præsertim tantæ pecuniæ, multo inuidiosiorem fore, quam si præsens damnatus esset, eò accedebat, quòd iudices è lege Rupilia dati non erant: multò etiam rem turpiorem & iniquiorem visum iri intelligebant. Itaq; hoc dum corrigere vult, apertior eius cupiditas, improbitasq; facta est. Nam illis quinq; iudicibus vti sese negat: iubet id quod initio è lege Rupilia fieri oportuerat, citari Heraclium & eos qui dicam scripserant: aitq; Iudices è lege Rupilia velle sortiri. quod ab eo postridie, cum multis lachrymis eum oraret atq; obsecraret Heraclius, impetrare non poterat: id ei postera die venit in mentem, è lege Rupilia sortiri dicas oportere. educit ex vrna tres: ijs vt absentem Heraclium condemnent, imperat. Itaq; condemnant.
*Quæ malum ista fuit amentia? ecquando te ra-
43 tionem factorum tuorum redditurum putasti? ecquando his de rebus tales viros audituros existimasti? petatur hæreditas ea, quæ nulla debetur,

in

in prædam Prætoris? interponatur nomen ciuitatis, imponatur honestæ ciuitati turpissima persona calumnis? Neque hoc solum: sed ita res agitur, vt ne simulatio quidem æquitatis vlla adhibeatur. Nam per deos immortales, quid interest, vtrum Prætor imperet, vtque cogat aliquem de suis bonis omnibus decedere: an huiusmodi iudicium det, quo iudicio indicta caussa fortunis omnibus euerti necesse sit? * Profectò enim negare non potes te ex lege Rupilia sortiri iudicium debuisse, 44
cum præsertim Heraclius id postularet. Sin illud dices, te Heraclij voluntate ab lege recessisse, ipse te impedies: ipse tu tua defensione implicabere. quare enim primum ille ipse adesse noluit, cum ex eo numero Iudices haberet, quos postularat? deinde tu cur post illius fugam iudices alios sortitus es, si eos qui erant antea dati, vtriusque dederas voluntate? Deinde cæteras decas omnes illo foro M. Posthumius Quæstor sortitus est: hanc solam tu illo conuentu reperire sortitus. * Er- 45
go inquiet aliquis, donauit populo Syracusano illam hæreditatem. primum, si id confiteri velim, tamen istum condemnetis necesse est. neq; enim permissum est, vt impune nobis liceat, quod alicui eripuerimus id alteri tradere. verum ex ista reperietis hæreditate ita istum prædatum vt perpauca occultè fecerit: populum quidem Syracusanum in maximam inuidiam sua infamia alieno præmio peruenisse: paucos Syracusanos, eos qui se nunc publicæ laudationis caussa venisse dicũt, & tũc participes prædæ fuisse, & nunc

nunc non ad istius laudationem, sed ad communem
litium æstimationem venisse. Postea quam damna-
tus est absens: non solū illius hæreditatis, de qua am-
bigebatur, quæ erat HS. tricies, sed omnium bono-
rum paternorum ipsius Heraclij, quæ non minore
rat pecunia, palæstra Syracusanorum, hoc est Syra-
46 cusanis possessio traditur. * Quæ est ista Prætura?
eripis hæreditatem, quæ venerat à propinquo, vene-
rat testamento, venerat legibus: quæ bona, is qui te-
stamentum fecit, huic Heraclio, antequam est mor-
tuus omnia vtenda ac possidenda tradiderat: cuius
hæreditatis, cum ille aliquanto ante te prætorem es-
set mortuus, controuersia fuerat nulla, mentionem
fecerat nemo. Verum esto, eripe hæreditatem pro-
pinquis, da palæstritis, prædare in bonis alienis no-
mine ciuitatis, euerte leges, testamenta, voluntates
mortuorum, iura viuorum. Num etiam patrys Her-
aclium bonis exturbare oportuit? qui simul ac pro-
fugit, quam impudenter, quàm palam, quam acer-
bè, dij immortales, illa bona directa sunt: quam il-
la res calamitosa Heraclio, quæstuosa Verri, turpis
Syracusanis, miseranda omnibus videbatur. Nam
illud quidem statim curatur, vt quicquid calati ar-
genti fuit in illis bonis, ad istum deferatur: quic-
quid Corinthiorū vasorum, stragulæ vestis, hæc ne-
mo dubitabat, quin non modo ex illa domo capta &
oppressa, verùm ex tota prouincia ad istum compor-
tari necesse esset. Mancipia quæ voluit abduxit, a-
lia diuisit: auctio facta est, in qua cohors istius inui-
4 cta dominata est. * Verum illud est præclarum. Syra-
cusani,

cusani, qui præfuerãt his Heraclij bonis verbo redigendis, re dispertiendis, reddebant eorum negociorum rationes in Senatu: dicebant scyphorum paria complura, hydrias argenteas, pretiosam vestem stragulam, multa mancipia pretiosa Verri data esse: dicebant quantum cuique eius iussu numinorum esset datum. gemebant Syracusani: sed tamen patiebantur. repente recitatur vno nomine HS. CCL. millia iussu Prætoris data sit maximus clamor omnium, non modo optimi cuiusq;, neq; eorum quibus indignum semper visum erat, bona priuati, populi nomine per summam iniuriam erepta: verum etiam ipsi illi autores iniuriæ, & ex aliqua parte praeda socij prædæ, ac rapinarum, clamare cœperunt, sibi vt haberet hæreditatem. tantus in curia clamor factus est, vt populus cõcurreret.* Res ab omni cõuentu cognita celeriter domum nunciatur. homo inimicus ijs, qui recitassent: hostis omnibus, qui acclamassent: exarsit iracundia, ac stomacho. veruntamen fuit tum sui dissimilis. nostis os hominis, nostis audaciam. tamen tum rumore populi & clamore, & furto manifesto grandis pecuniæ perturbatus est. vbi se collegit, vocat ad se Syracusanos, quia non posset negare ab illis pecuniam datam: non quæsiuit procul alicunde (neque enim probaret) sed proximum, pene alterum filium, quem illam pecuniam diceret abstuliſſe, ostendit se reddere coacturum. qui postea quam id audiuit, habuit dignitatis, & ætatis, & nobilitatis suæ rationem. verba apud Senatum fecit, docuit ad se nihil pertinere de isto, id quod omnes

48

vide.

videbant: neque ille quidem obscurè locutus est. Itaque illi Syracusani statuam postea statuerunt: & ii vbi primum potuit, istum reliquit, de prouincia q. de-
49 cessit. * Et tamẽ aiunt eum queri solere nonnunquã, se miserum, quod non suis, sed suorum commutum peccatis & criminibus premeretur. Triennium prouinciam obtinuisti: gener electus adolescens vnum annum tecum fuit. Sodales viri fortes Legati tui primo anno te reliquerunt: vnus legatus P. Tadius, qui erat reliquus, nõ ita multum tecum fuit: qui si semper vna fuisset, tamen summa cura tum tuæ, tum multò etiam magis suæ famæ peperciſſet. Quid est quod tu alios accuses? quid est quamobrem putes, te tuam culpam non modo etiam deriuare in ali-
50 quem, sed cõmunicare cum aliquo posse? * Numerantur illa HS. ducenta quinquaginta Syracusanis, ea quemadmodum ad istum postea per pseudotyrum reuertantur, tabulis vobis & testibus, iudices, planum faciam. Ex hac iniquitate istius, & improbitate, Iudices, quod præda ex illis bonis ad multos Syracusanos inuito pop. Senatuq. Syracusano venerat, & illa scelera quoq. per Theomnastum, & Aeschrionem, & Dionysodorum, & Cleomenem inuitissima ciuitate facta sunt. primum vt vrbs tota spoliaretur: quadere alius mihi locus ad dicendum est constitutus: vt omnia signa iste per eos homines, quos nominaui, omne ebur ex ædibus sacris, omnes vndique tabulas pictas, deorum denique simulacra quæ vellet, auferret. deinde vt in curia Syracusis, quem locum illi Buleuterium vocant, honestissimo

loco,

loco, & apud illos clarissimo, sub illius ipsius M. Marcelli, qui cum Syracusanis locum eum eripere belli ac victoriæ lege posset, conseruauit, & reddidit, statua ex ære facta, ibi inauratam isti & alteram filio statuam posuerunt: vt dum istius hominis memoria maneret, Senatus Syracusanus sine lachrymis & gemitu in curia esse non posset. * Per 51
eosdem istius inauriarum furtorum vxorumq; socios, istius imperio Syracusis Marcellea tolluntur maximo gemitu luctuque ciuitatis: quem illi diem festum cum recentibus beneficijs M. Marcelli debitum reddebant, tum generi, nomini, familiæ Marcellorum maxima voluntate tribuebant. Mithridates in Asia, cum eam prouinciam totam occupasset, Mutia non sustulit hostis, & hostis in cæteris rebus nimis ferus & immanis, tamen honorem hominis deorum religione consecratum violare noluit: tu Syracusanis vnum diem festū Marcellis impertiri vetuisti, per quos illi adepti sunt, vt cæteros dies festos agere possint. * At verò præclarum diem 52
reposuisti. Verrea vt agerent, & ad eum diem, quæ sacris epulisq; opus essent, in complures annos locarentur. Iam in tanta istius impudentia remittendum aliquid videtur, ne omnia contendamus, ne omnia cum dolore agere videamur. Nam me dies, vox, latera deficiant, si hoc nunc vociferari velim, quam miserum indignumq; sit, istius nomine apud eos diem festum esse, qui sese istius opera funditus extinctos esse arbitrentur. O Verrea præclara, quoquam si accessisti, quo non attuleris tecum istū

diem.

diem. etenim quam tu domum, quam vrbem adĩsti, quod fanum denique, quod non euersum atque exterſum reliqueris. quare appellentur ſanè iſta Verrea, quæ non ex nomine, ſed ex manibus natu-

53 raq; tua conſtituta eſſe videantur.* Quam facilè ſerpat iniuria, & peccandi conſuetudo: quam non facilè reprimatur, videte, iudices. Bidis oppidum eſt tenue ſanè, non longè à Syracuſis. huius longè primus ciuitatis eſt Epicrates quidam. huic hæreditas HS. quingentorum millium venerat à muliere quadam propinqua, atque ita propinqua, vt ea etiam ſi inteſtata eſſet mortua, Epicratem Bidinorum legibus hæredem eſſe oporteret. recens Syracuſana erat illa res, quam ante demonſtraui; de Heraclio Syracuſano, qui bona non perdidiſſet, niſi ei veniſſet hæreditas huic quoq; Epicrati venerat, vt dixi, hæ-

54 reditas.* Cogitare cœperunt eius inimici nihilo minus eodem Prætore hunc euertibonis poſſe, quo Heraclius eſſet euerſus, rem occultè inſtituunt: ad Verrem per eius interpretes deferunt: ita cauſſa componitur, vt item palæſtritæ Bidenſes peterent ab Epicrate hæreditatem, quemadmodum palæſtritæ Syracuſani ab Heraclio petiſſent. Nunquam vos Prætorem tã palæſtricum vidiſtis. verum ita palæſtritas defendebat, vt ab illis ipſe vnctior diſcederet; qui ſtatim cum præſenſiſſet, iubet cuidam ſuorum ami-

55 corum numerari HS. LXXX.* res occultari ſatis non poſſe, per quendam eorum, qui interfuerat ſit Epicrates certior. primo negligere & contemnere cœpit, quod cauſſa prorſus, quod dubitari poſſet nihil

nihil habebat. Deinde cum de Heraclio cogitaret, & istius libidinem nosset, commodissimum putauit esse de prouincia clam abire. itaq; fecit: profectus est Rhegyum. Quod vbi auditum est, æstuare illi qui dederant pecuniam, putare nihil agi posse absente Epicrate. nam Heraclius tum affuerat, cum primum dati sunt Iudices. de hoc, qui antè quam in ius aditum esset, antè quam denig; mentio controuersiæ facta esset, discessisset, putabant nihil agi posse homines, Rhegyum proficiscuntur. Epicrate conueniunt: demonstrant id quod ille sciebat, se HS. LXXX. dedisse. rogant eum vt id quod ab ipsis abisset pecuniæ, curet: ab sese caueat quemadmodum velit, de illa hæreditate cum Epicrate neminem esse acturum.* Epicrates homines multis verbis male 56
à se acceptos dimisit, redeunt illi Rhegyo Syracusas queri cũ multis, ita vt fit incipiunt, sese HS. LXXX. nummũ frustra dedisse. res percrebuit: in ore atq; sermone omnium capit esse. Verres refert illam suã Syracusanam: ait sese velle de illis HS. LXXX. cognoscere: aduocat multos, dicunt Bidui Volcatio se dedisse, illud nõ addunt, iussu istius. Volcatiũ vocat, pecuniam referri imperat. Volcatius animo æquissimo nummos affert, qui nihil amitteret: reddit inspectantibus multis: Bidini nummos auferunt.* Dicet 57
aliquis, quid ergo in hoc Verrem reprehendis, qui nõ modo ipse fur non est, sed ne alium quidem passus est esse? attendite, iam intelligetis hanc pecuniam qua via modo visa est exire ab isto, eadẽ semita, reuertisse: Quid enim debuit Prætor? cum consilio re cognita,

nitā, cum comperisset suum comitem, iuris, decreti iudicij corrumpendi caussa, qua in re ipsius Prætoris caput existimatioque ageretur, pecuniam accepisse. Bidinos autem contra Prætoris famam ac fortunas dedisse: non & in eum, qui accepisset, animaduertisse? & in eos qui dedissent? Tu qui instituerās in eos animaduertere, qui perperam iudicassent, quod sæpe per imprudentiam fit: hos pateris impune discedere, qui ob tuū decretum, ob tuum iudicium pecu-
38 niam aut dandam aut accipiendam putarant? *Volcatius idem apud te postea fuit, Eques Romanus, tanta accepta ignominia. nam quid est turpius ingenuo? quid minus libero dignum, quam in conuentu maximo cogi à magistratu furtum reddere? qui si eo animo esset, quo non modo Eques Romanus, sed quiuis liber debet esse, easpicere te postea non potuisset: inimicus, hostis esset tanta contumelia accepta, nisi tecum collusisset, & tuæ potius existimationi seruisset, quam suæ. qui quam tibi amicus non modo tum fuerit, quamdiu tecum in prouincia fuit, verū etiam nunc sit, cum iam à cæteris amicis sis relictus, & tu intelligis, & nos existimare possumus. An hoc solum argumētum est, nihil isto imprudentē factum, quod Volcatius ei non succensuit? quod iste nec in Volcatium, nec in Bidinos animaduertit? *Est
39 magnum argumētum: verum illud maximum, quod illis ipsis Bidinis, quibus iratus esse debuit: vt à quibus comperit, quod iure agere cum Epicrate nihil possent, etiam si adesset, idcirco suum decretum pecunia esse tentatum: his inquam ipsis non modo il-

lam

lam hæreditatem, quæ Epicrati venerat: sed vt à Heraclio Syracusano, item in hoc, paulo etiam atrocius, quòd Epicrates appellatus omnino non erat, bona patria, fortunasque eius Bidinis tradidit. ostendit enim nouo modo, si quis quid ab absente peteret, se auditurum. Adeunt Bidini, petunt hæreditatem: procuratores postulant, vt se ad leges suas reijciat, aut ex lege Rupilia dictam scribi iubeat. aduersarij non audebant contradicere. exitus nullus reperiebatur, insimulant hominem fraudandi caussa discessisse: postulant vt bona possidere liceat.* debebat 60
Epicrates vllum nummum nemini. amici, si quis quid peteret, iudicio, se passuros: iudicatum solui satis daturos esse dicebant. Cum omnia iudicia frigerent, admonitu istius insimulare cœperunt Epicratem literas publicas corrupisse, à qua suspicione ille aberat plurimum, actionem eius rei postulant. amici recusare, ne quod nouum iudicium, ne quæ ipsius cognitio, illo absente, de existimatione eius constitueretur: & simul idem illud postulare non desistebant, vt se ad leges suas reijceret.* Iste am- 61
plam occasionem calumniæ nactus, vbi videt esse aliqui quòd amici absentem Epicratem nollent defendere, asseuerat, se eius rei in primis actionem essse daturum. Cum omnes perspicerent ad istum non modo illos nummos, qui per simulationem ab isto exierant, reuertisse: sed multò etiam plures eum postea nummos abstulisse, amici Epicratem defendere destiterunt. iste Epicratis bona Bidinos omnia possidere, & sibi habere iussit. ad illa HS. D. millia

hæreditaria, acceßit ipßius antiqua HS. quindecies pecunia. Vtrum res ab initio ita ducta eßt? an ad extremum ita perducta eßt? an ita parua eßt pecunia? an is homo Verres, vt hæc, quæ dixi, gratis facta esse videatur? Hic nunc de miseria Siculorum es, Iudici, audite. & Heraclius ille Syracusanus, & hic Bidinus Epicrates expulsi bonis omnibus Romam venerunt: sordidati maxima barba & capillo, Romæ biennium propè fuerunt. Cum L. Metellus in prouinciam profectus eßt, tum isti bene commẽdati cum Metello vna proficiscuntur. Metellus simul ac venit Syracusas, vtrunque rescindit, & de Epicrate, & de Heraclio. in vtriusq; bonis nihil erat, quod restitui posset,
63 nisi quod moueri loco non poterat. *Fecerat hæc egregie primo aduentu Metellus, vt omnes istius iniurias, quas modò posset, rescinderet, & irritas faceret: Heraclium restitui iusserat: non restituebatur: quisquis erat ductus Senator Syracusanus ab Heraclio, duci iubebat. itaque permulti ducti sunt. Epicrates quidem continuo restitutus eßt. Alia iudicia Lilybæi, alia Agrigenti, alia Panormi restituta sunt. census qui isto Prætore sunt habiti, non seruaturum se Metellus ostenderat. decumas quas iste contra legem Heronicam vendiderat, sese venditurum Hieronica lege dixerat. Omnia erant Metelli eiusmodi, vt non tam suã Prætura gerere, quam
64 istius Prætura retexere videretur. *simulatque ego in Siciliam veni, mutatus eßt. venerat ad eum illo biduo Letilius quidam, homo non alienus à litteris. itaque eo iste tabellario semper vsus

eßt.

est. Is epistolas complures attulerat: in his vnam domo, quæ totum immutarat hominem. repente cœpit dicere, se omnia Verris causa velle: sibi cum eo amicitiam cognationemq; esse mirabantur omnes hoc est tum denique in mentem venisse, postea quam tam multis eum factis decretisq; iugulasset. erant qui putarent Letilium Legatum à Verre venisse, qui gratiam, amicitiam, cognationemque commemoraret. Ex illo tempore à ciuitatibus laudationem petere, testes non solum deterrere verbis, sed etiam vi retinere cœpit. Quod ego nisi meo aduentu illius conatus aliquantulum repressissem, & apud Siculos non Metelli, sed Glabrionis literis ac lege pugnassem, tam multos huc euocare non potuissem. Verum, quod instituti dicere, miserias cognoscite Siculorum. *Heraclius ille, & Epicrates longe mihi obuiam cum suis omnibus processerunt: venienti Syracusas egerunt gratias flentes, Romam decedere mecum cupierunt. quòd erat mihi oppida complura etiam reliqua, quæ adire vellem, constitui cum hominibus quo die mihi Messanæ præsto essent. eò mihi nuncium miserunt, se à prætore retineri. quibus ego testimonium denunciaui, quorum nomina edidi Metello: cupidissimi veniendi, maximis iniurijs affecti, adhuc non venerunt. hoc iure sunt socij, vt his ne deplorare quidem de suis incommodis liceat. *Iam Heraclij Centuripini optimi nobilissimiq; adolescentis testimonium audistis, à quo HS. C. millia per calumniam malitiamq; petita sunt. Iste pœnis compromissisq; interpositis, HS. CCC. extorquen-

65

66

da curauit: quodq; iudicium secundum Heraclium de compromissis factum erat, quòd ciuis Centuripinus inter duos ciues indicasset, id irritum iussit esse, eumq; iudicem falsum iudicasse iudicauit: in Senatu ne esset, locis commodisq; publicis vti vetuit: si quis eum pulsasset, edixit se iudicium iniuriarum non daturum: quicquid ab eo peteretur, iudicem de sua cohorte daturum, ipsi autem nullius actionem rei se daturum.* Quæ istius autoritas tantum va-
67 luit, vt neq; illum pulsaret quisquam, cum Prætor in prouincia sua verbo permitteret, rehortaretur; neq; quisquam ab eo quicquam peteret, cum iste calumniæ licentiam sua authoritate dedisset. Ignominia autem illa grauis tamdiu in illo homine fuit, quamdiu iste in prouincia mansit, hoc iniecto metu iudicibus, nouo more, nullo exemplo, ecquam rem putatis esse in Sicilia nisi ad nutum istius iudicatam? Vtrum id solum videtur esse actum, quod est tamen actum, vt Heraclio pecunia eriperetur? an etiam illud in quo præda erat maxima, vt nomine iudiciorum, omnium bona, atq; fortunæ in istius vnius esse-
68 sent potestate?* Iam verò in rerum capitalium quæstionibus quid ego vnamquamq; rem colligam, & caussam? ex multis similibus eam sumam, quæ maxime improbitate excellere videbuntur. Sopater quidam fuit Halicien sis, homo domi suæ cum primis locuples atq; honestus: is ab inimicis suis apud C. Sacerdotem Prætorem rei capitalis cum accusatus esset, facile eo iudicio est liberatus. huic eidem Sopatro idem inimici ad C. Verrem, cum is Sacerdoti

succesisset, eiusdem rei nomen detulerunt. res Sopatro facilis videbatur, & quòd erat innocens, & quod Sacerdotis iudicium improbare istum ausurum non arbitrabatur. citatur reus, caussa agitur Syracusis, crimina tractantur ab accusatore ea, quæ erant antea non solum defensione, verum etiam iudicio dissoluta. *caussam Sopatri defendebat Q. 69
Minutius Eques Rom. in primis splendidus atq; honestus, vobisq; Iudices, non ignotus. nihil erat in causa, quod metuendum, aut omnino quod dubitandum videretur. Interea istius libertus, & Accensus idem Timarchides, qui est, id quod ex plurimis testibus priore actione didicistis, rerum huiusmodi omnium transactor, & administer, ad Sopatrum venit, monet hominem ne nimis iudicio Sacerdotis & caussæ confidat: accusatores inimicosq; eius habere in animo pecuniam Prætori dare: Prætorem tamen ob salutem malle accipere, & simul malle, si fieri posset, rem iudicatam non rescindere. Sopater, cum hoc illi improuisum atque inopinatum accidisset, commotus est sanè: neque in præsentia Timarchidi quid responderet, habuit, nisi se consideraturum, quid sibi de ea re esset faciendum: & simul ostendit, se in summa difficultate esse nummarit. post ad amicos retulit. qui cum ei fuissent autores redimendæ salutis, ad Timarchidem venit: expositis suis difficultatibus, hominem ad HS. LXXX. perducit, eamq; ei pecuniam numerat.
*Postea quam ad caussam dicendam ventum est: tũ verò sine metu, sine cura omnes erant, qui Sopatrum 70

defendebant: crimen nullum erat, res indicata, Verres nummos acceperat. quis posset dubitare quid nam esset futurum? res illo die non peroratur, dimittitur iudicium. iterum ad Sopatrum Timarchides venit: ait accusatores eius multo maiorem pecuniam Prætori polliceri, quàm quantam hic dedisset: proinde, si saperet, videret quid sibi esset faciendum. Homo quanquam erat & Siculus, & reus, hoc est & iure iniquo, & tempore aduerso, ferre tamen atq; audire diutius Timarchidem non potuit. Facite, inquit, quod vobis libet, daturus non sum amplius, idemq; hoc amicis eius & defensoribus videbatur: atq; eo etiam magis, quod iste, quoquo modo se in ea quæstione præbebat, tamen in consilio habebat homines honestos è conuentu Syracusano, qui Sacerdoti quoque in consilio fuerant, tum cum esset idem hic Sopater absoluts. Hoc rationis habebant, facere eos nullo modo posse, vt eodem crimine, ÿsdem testibus Sopatrum contemnarent ÿdem
71 homines, qui antea absoluissent.* Itaque hac vna spe ad iudicium venitur. quò postea quàm vētum est, cum in consilium frequentes conuenissent ÿdem qui solebant: & hac vna spe tota defensio Sopatri niteretur, consilÿ frequentia, & dignitate, & quod erant, vt dixi, ÿdem qui antea Sopatrum eodem illo crimine liberarant: cognoscite hominis apertam ac non modo non ratione, sed ne dissimulatione quidem tectam improbitatem & audaciam. M. PRtilium Equitem eo quem habet in consilio, iubet operam dare, quod rei priuatæ iudex esset. Petilius recusa-

recusabat, quod suos amicos, quos sibi in consilio esse vellet, ipse Verres retineret. Iste homo liberalis, negat se quenquã retinere eorum, qui Petilio vellent adesse. itaq; discedunt omnes. nã cæteri quoque impetrant, ne retineantur, qui se velle dicebant alteruri eorum, qui tum illud iudicium habebant, adesse. itaq; iste solus cum sua cohorte nequissima relinquitur. *Non dubitabat Minutius, qui Sopatrum 72
defendebat, quin iste, quoniam consilium dimisisset, illo die rem illam quæsturus non esset: cum repẽte iubetur discerere. spondet, ad quos? ad me, inquit, si tibi idoneus videor, qui de homine Siculo ac Græculo iudicem. Idoneus es inquit: sed peruellẽ adessent hi, qui assuerãt antea, caussamque cognorant. Dic, inquit, illi adesse non possunt. Nam hercule inquit, Q. Minutius, me quoque Petilius, vt sibi in cõsilio adesse- 73
sem, rogauit. & simul à subsellijs abire cæpit. *Iste iratus hominem verbis vehementioribus prosequitur, atq; ei grauius etiam minari cæpit, quòd in se tantũ crimen inuidiamq; conflarit. Minutius qui Syracusijs sic negotiaretur, vt sui iuris dignitatisque meminisset: & qui sciret ita se in prouincia rem agere oportere, vt ne quid de libertate deperderet: hominis quæ visa sunt, & quæ tempus illud tulit & caussa, respondit: caussam sese dimisso atq; ablegato cõsilio defensurum negauit. itaq; à subsellijs discessit: idemq; hoc præter Siculos cæteri Sopatri amici aduocatiq; fecerunt. *Iste quãquã est incredibili im- 74
portunitate & audacia, tamẽ subitò solus destitutus pertimuit, & conturbatus est quid ageret, quò se

verteret, nesciebat. si dimissset eo tempore quæstionem, pòst illis adhibitis, quos ablegarat, absolutum iri Sopatrum videbat: sin autem hominem miserum atq; innocentem condemnasset, cum ipse Prator sine consilio, reus autem siue patrono atq; aduocatis fuisset, iudiciumq; C. Sacerdotis rescidisset, inuidiam se sustinere non posse tantam arbitrabatur. Itaq; æstuabat dubitatione: versabat se in vtranq; partem non solum mente, verum etiam corpore: vt omnes, qui aderant, intelligere possent, in animo eius metum cupiditatemq; pugnare. erat hominum cõuentus maximus, summum silentium, summa expectatio, quonam esset eius cupiditas eruptura. crebro dimittebat se accensus ad aurem Timarchides,

75 *Tum iste aliquando, age, dic inquit. Sopatrus implorare hominem atq; Deum fidem, vt cum consilio cognosceret. tum repente iste testes citari iubet. dicit vnus & alter breuiter. nihil interrogatur, præco, dixisse pronunciat. Iste, quasi metueret, ne Petilius priuato illo iudicio transacto, aut dilato, cum cæteris in consilium reuerteretur, ita properans de sella exiluit, hominem innocentem, à Sa-

76 cerdote absolutum, indicta causa de sententia Scribæ, Medici, Aruspicisq; condemnauit. *Retinete, retinete hominem in ciuitate, Iudices: parcite, & conseruate, vt sit qui vobiscum res iudicet, qui in Senatu sine vlla cupiditate de bello & pace sententiã ferat. tametsi minus id quidem nobis, minus Pop. Rom. laborandum est, qualis istius in Senatu sententia futura sit. qua enim eius autoritas erit? quã-

do

do iste sententiã dicere audebit, aut poterit? quando autem homo tanta luxuria atq; desidia, nisi Februario mense aspirabit in curiam? verum veniat sanè, decernat bellum Cretensibus, liberet Byzantios, Regem appellet Ptolemæum, quæ vult Hortensius omnia dicat & sentiat: minus hæc ad nos, minus ad vitæ nostræ discrimen, minus ad fortunarum nostrarum periculum pertinent. *illud, illud est 77
capitale, illud est formidolosum, illud optimo cuiq; metuendum, quod iste ex hoc iudicio si aliqua vi se eripuerit, in iudicibus sit necesse est: sententiam de capite ciuis Rom. ferat: sit in eius exercitu signifer, qui imperiũ iudicorum tenere vult: hoc Pop. Rom. recusat, hoc ferre non potest, clamat permittitque vobis, vt si istis hominibus delectemini, si ex hoc genere splendorem ordini atque ornamentum curiæ constituere velitis, habeatis sanè vobiscum istum Senatorem: istum de vobis iudicem, si vultis, habeatis, de se homines, si qui extra istum ordinem sunt, quibus reijciundi quidem amplius quam trium iudicum præclare leges Corneliæ faciunt potestatem, hunc hominem tam crudelem, tam scelera- 78
tum, tam nefarium nolunt iudicare. Etenim si illud est tam flagitiosum, quod mihi omnium rerum turpissimum, maximeq; nefarium videtur (ob rem iudicandam pecuniam accipere, precio habere addictã fidem & religionem:) quanto illud flagitiosius, improbius, indignius, eam à quo pecuniam ob absoluendum acceperis, condemnare? vt ne prædonum quidẽ Prætor in fide retinenda consuetudinem

rem conseruaret. Scelus est accipere ab reo: quanto magis ab accusatore? quanto etiam sceleratius ab vtroq;? Fidem cum proposuisses venalem in prouincia, valuit apud te plus is, qui pecuniam maiorem dedit. concedo, forsitan alicuis aliquando eiusmodi quippiam fecerit. cum verò fidem ac religionem tuam alteri addictam pecunia accepta habueris, post eandem aduersarijs tradideris maiore pecunia, vtrumque falles? & trades cui voles? & ei quem fefelleris, ne pecuniam quidem reddes?

79 *quem mihi tu Bulbum? quem Stalenum? quod vnquam huiusmodi monstrum aut prodigium audiuimus, aut vidimus? qui cum reo transigat, post cum accusatore decidat: honestos homines, qui causam norint, ableget, consilioque dimittat: ipse solus reum absolutum, à quo pecuniam acceperit, condemnet, pecuniam non reddat: hunc hominē in iudicum numero habebimus? hic alteram decuriā senatoriam iudex obtinebit? hic de capite libero iudicabit? huic iudicialis tabella committetur? quam iste non modo cera, verum etiam sanguine, si visum erit,

80 notabit. *Quid enim horum se negat fecisse? illud videlicet vnum, quod necesse est, pecuniam accepisse. quid ni iste neget? at Eques Rom. qui Sopatrum defendit, qui omnibus eius consilijs rebusque interfuit, Q. Minutius, iuratus dicit pecuniam datam, iuratus dicit Timarchidem dixisse, maiorem ab accusatoribus pecuniam dari, dicent hoc Siculi omnes, dicent omnes Halicienses, dicet etiam praetextatus Sopatri filius, qui ab isto homine crudelissimo

patre

patre innocentissimo, pecuniaque patria priuatus est. * Verum si de pecunia testibus planum facere 81
non posses, illud negare posses? aut nunc negabis te consilio tuo dimisso, viris primarijs, qui in consilio C. Sacerdotis fuerant, tibique esse solebant, remotis, de re iudicata iudicasse? teque eum, quem C. Sacerdos adhibito consilio, causa cognita absoluisset, eundem remoto consilio, caussa incognita cõdemnasse? cum hæc confessus erit, quo in foro palam Syracusis, in ore atque oculis prouinciæ gesta sunt, negato sanè si voles, pecuniam accepisse. reperies credo aliquem, qui cum hæc quæ palam gesta sunt, videat, quærat quid tu occultè egeris: aut qui dubitet vtrum malit meis testibus, aut his defensoribus credere. * Dixi iam antea, me non omnia istius, quæ 82
in hoc genere essent, enumeraturum: sed electurum ea, quæ maxime excellerent. Accipite nunc aliud eius facinus nobile, & multis locis sæpè commemoratum, & eiusmodi, vt in vno omnia maleficia inesse videantur; attendite enim diligenter: inuenietis id facinus natum à cupiditate, auctum per stuprũ, crudelitate perfectum atq; cõclusum. * Sthe- 83
nius est, is qui nobis assidet, Thermitanus, antea multis propter summam virtutem, summãq; nobilitatem, nunc propter summam calamitatem atque istius insignem iniuriam omnibus notus. huius hospitio Verres cùm esset vsus, & cum apud eum non modo Thermis sæpenumerò fuisset, sed etiam habitasset, domo eius omnia abstulit, quæ paulò magis animum cuiuspiam aut oculos possent commouere. Etenim

nim Sthenius ab adolescētia paulo studiosius hæc cō-
parārat, suppellectilem ex ære elegātiorē, & Deliā-
cam, & Corinthiam, tabulas pictas, etiam argenti
benefacti, prout Thermitani hominis facultates fe-
rebant, satis: quæ, cum esset in Asia Adolescens, stu-
diosè, vt dixi, comparabat, non tam suæ delectatio-
nis caussa, quam ad inuitationes aduentusque no-
strorum hominum, suorum amicorum atque hospi-
84 tum. * Quæ postea quam iste omnia abstulit, aliaṽ.
gando, alia poscendo, alia sumēdo, ferebat Sthenius
vt poterat. angebatur tamen animi dolore necessa-
rio: quod domum eius exornatam atque instructam,
fere iam iste reddiderat nudam, atque inanem. ve-
runtamen dolorem suum nemini impertiebat: Prā-
toris iniurias tacitè, hospitis placidè ferendas arbi-
85 trabatur. * Interea cupiditate iste illa sua nota, atq;
apud omnes peruulgata, cū signa quædam pulcher-
rima atque antiquissima Thermis in publico posita
vidisset, adamauit: à Sthenio petere cœpit, vt ad eā
tollenda operam suam profiteretur, seq; adiuuaret.
Sthenius verò non solum negauit, sed etiam osten-
dit id fieri nullo modo posse, vt signa antiquissima,
monimenta P. Africani, ex oppido Thermitanorum
incolumi illa ciuitate, imperioque Populi Rom. tol-
86 lerētur. * Etenim vt simul P. Africani quoque huma-
nitatem cognoscatis, oppidum Himeram Carthā-
giniēses quondam ceperant, quod fuerat in primis
Siciliæ clarum & ornatum: Scipio, qui hoc dignum
Populo Rom. arbitraretur, bello confecto socios su-
per nostram victoriam recuperare: Siculis omnibus

Car-

Carthagine capta, quæ potuit, restituenda curauit: Himera deleta, quos ciues belli calamitas reliquos fecerat, ij sese Thermis collocarant in eiusdem agri finibus, neque longè ab oppido antiquo. hi se patrum fortunam ac dignitatem recuperare arbitrabantur, cum illa maiorum ornamenta in eorum oppido collocabantur: *erant signa ex ære complura, in 87
his mira pulchritudine ipsa Himera in muliebrem figuram habitumq; formata, ex oppidi nomine, & fluminis. erat etiam Stesichori poëtæ statua, senilis, incurua, cum libro, summo, vt putant, artificio facta ab eo qui fuit Himeræ: sed est, & fuit tota in Græcia summo propter ingenium honore & nomine. Hæc iste ad insaniam concupierat. Etiam quòd penè præterij, Capella quædam. ea quidem mirè, vt etiam nos qui rudes harum rerum sumus, intelligere possumus, scitè facta & venustè. Hæc & alia Scipio non negligenter abiecerat, vt homo intelligens Verres auferre posset: sed Thermitanis restituerat, non quo ipse hortos, aut suburbanum, aut locum omnino, vbi ea poneret, nullum haberet: sed quod si domũ abstulisset, nõ diu Scipionis appellarentur, sed eorum, ad quos cunq; ipsius morte venisset. nunc his locis posita sunt, vt mihi semper Scipionis fore videantur, itaque dicantur. *Hæc cũ 88
iste posceret, ageretur quæ ea res in Senatu, Sthenius vehementissimè restitit: multaque, vt in primis Siculorum in dicendo copiosus est, commemorauit: vrbem relinquere Thermitanos esse honestius, quam patitolli ex vrbe monimenta maiorum, spo-

lia

lia hostium, beneficia clarissimi viri, iudicia societatis Populi Rom. atque amicitiæ. Commoti animi sunt omnium, repertus est nemo, quin mori diceret sarius esse. Itaque hoc oppidum Verres inuenit propè solùm in orbe terrarum, vnde nihil eiusmodi rerum de publico per vim, nihil occultè, nihil imperio, nihil gratia, nihil precio posset auferre. Verumtamen hasce eius cupiditates exponam alio loco: nunc ad Sthenium reuertar. * Itaque iste vehementer Sthenio infensus, hospitium ei renunciat: domo eius emigrat, atque adeo exit, namiam ante emigrarat. eum autem inimicissimi Sthenij domum suam statim inuitant, vt animum eius in Sthenium inflammarent, ementiendo aliquid, & criminando. Hi autem erant inimici, Agathinus homo nobilis, & Dorotheus, qui habebat in matrimonio Callidamam Agatheni eius filiam, de qua iste audierat. itaque ad generum Agathini migrare maluit. Vna nox interceſſerat, cum iste Dorotheum sic diligebat, vt diceres omnia inter eos esse communia: Agathinum ita obseruabat, vt aliquem affinem ac propinquum, contemnere etiam signum illud Himeræ iam videbatur, quod eum multò magis figura & lineamenta hospitæ delectabant. * Itaque hortari homines cœpit, vt aliquid Sthenio periculi crearent, criminisq; confingerent. dicebant se illi nihil habere, quod dicerem. tum iste his apertè ostendit, & confirmauit, eos, in Sthenium quicquid vellent dicerent, simulatque ad se detulissent, probaturos. Ita illi non procrastinant: Stenium statim

89

90

tim educunt, aiunt ab eo litteras publicas esse corruptas. Stenius postulat, vt secum sui ciues agāt, de literis publicis corruptis, eiusque rei legibus Thermitanorum actio sit: cum Sen. P. R. Thermitanis, quod semper in amicitia fideq; mansissent, vrbē, agros, legesq; suas reddidisset, Publiusq; Rupilius postea leges ita Siculis ex S.C de decem Legatorum sentētia dedisset, vt ciues inter se legibus suis agerent, idemq; hoc habuerit Verres ipse in edicto, vt de his omnibus causis se ad leges reiceret. *Iste homo omnium æquissimus, atque à cupiditate omni remotissimus, se cognituru esse confirmat: paratum ad causam dicendam venire hora octaua iubet. non erat obscurum quid homo improbus ac nefarius cogitaret. neque enim ipse satis occultarat, nec mulier tacere poterat. intellectum est id istum agere, vt cum Sthenium sine vllo argumento ac sine teste damnaßet: tum homo nefarius de homine nobili atque id ætatis, suoque hospite, virgis supplicium crudelissimè sumeret: quod cū esset perspicuum, de amicorum hospitumq; suorum sententia, Thermus Sthenius Romam profugit: hyemi fluctibusq; se se committere maluit, quam non istam communem Siculorum tempestatem, calamitatemque vitare. *Iste homo certus & diligēs ad horam octauam præsto est: Sthenium citari iubet, quem postea quā videt non adesse, dolore ardere, atq; iracundia furere cœpit: Venerios in domum Stheny mittere: equites circum agros eius villasq; dimittere. itaque cum expectat quidnam sibi certi afferatur,

91

92

ratur, ante horam tertiam noctis de foro nō discessit. Postridie mane descendit, Agatinum ad sese vocat, iubet eum de literis publicis in absentē Sthenium dicere. erat eiusmodi caussa, vt ille ne sine aduersario quidem apud inimicum iudicem reperire
93 posset, quid diceret. *itaque tatum verbo posuit, Sacerdote Praetore, Sthenium literas publicas corrupisse. Vix ille hoc dixerat, cum iste pronunciat Sthenium literas publicas corrupisse videri. & hac praetereā addidit homo Venerius nouo modo, nullo exemplo, eam rem HS. quingenties Veneri Erycinae de Sthenij bonis exacturum: bonaq; eius statim coepit vendere. & vendidisset, si tantulum
94 moræ fuisset, quo minus ei pecunia ille numeraretur. *postea quam numerata est, cōtentus hac iniquitate nō fuit, palā de sella ac tribunali pronuntiat, si quis absentem Sthenium rei capitalis reum facere vellet, sese eius nomen recepturum, & simul vt ad causam accederet, nomenque deferret, Agathinum nouum affinem atq; hospitem coepit hortari. tum ille clarè, omnibus audientibus sese id non esse facturum, neq; se vsque eo Sthenio esse inimicum, vt eum rei capitalis affinem esse diceret. Hic tum repentè Pacilius quidam homo egens & leuis accedit: ait, si liceret, nomen absentis deferre se velle. Iste verò, & licere, & se recepturum. Itaque defertur, edicit statim vt Calend. Decembr. adsit Sthe-
95 nius Syracusis. *Hic, qui Romam venisset, satisq; feliciter anni iam aduerso tempore nauigasset, omniaque habuisset aequiora & placabiliora quam animum

himum Prætoris atq; hospitis, rem ad amicos suos detulit, quæ vt erant acerba, atq; indigna, sic videbantur in omnibus. Itaq; in Senatu continuo Cn. Lẽtulus & Lucullus COSS. faciunt mentionem, placere statui, si Patribus C. videretur, ne absentes homines in prouincijs rei fierent rerum capitalium: Causam Sthenij totam, & istius crudelitatem & iniquitatem Senatum docent. aderat in senatu Verres, pater istius, & flens vnumquemque Senatorem rogabat, vt filio suo parceret, neque tamen multum proficiebat. erat enim summa voluntas Senatus. Itaq; sententiæ dicebantur, cum Sthenius absens reus factus esset, de absente iudicium nullum fieri placere: & si quod esset factum, id ratum esse non placere. *eo die transigi nihil potuit, quod & id temporis erat, & ille pater istius inuenerat homines qui dicendo tempus consumerent. Postea senex Verres defensores atque hospites omnes Sthenij cõuenit: rogat eos atq; orat, ne oppugnent filiũ suũ de Sthenione laborent: confirmat his, curaturum se esse, ne quid ei per filium suũ noceretur. se homines certos eius rei caussa in Siciliam & terra & mari missurum: & erat spatium dierum ferè triginta ante Cal. Decembris, quo iste, vt Syracusis Sthenius adesset, edixerat. *Commouentur amici Sthenij: sperant fore, vt patris litteris nuncijsque filius ab incepto furore reuocetur: in Senatu postea caussa non agitur. Veniunt ad istum domestici nũcij, litterasque à patre afferunt ante Cal. Decembris, cum isti etiam tum de Sthenio integra nota

96

90

res esset: eodemque ei tempore de eadem re litteræ complures à multis eius amicis ac necessarijs afferuntur. Hic iste, qui præ cupiditate, neque officij sui, neque periculi, neque pietatis, neque humanitatis rationem habuisset vnquam: neque in eo quod monebatur, auctoritatem patris, nec in eo, quod rogabatur, voluntatem anteponendam putauit libidini suæ. *manè Calend. Decembris, vt dixerat, 98 Sthenium citari iubet. Si abs te istam rem parentum alicuius amici rogatu, benignitate, aut ambitione inductus petisset, grauissima tamen apud te voluntas patris esse debuisset: cùm verò abs te tui capitis caussa peteret, hominesq; certos domo misisset, bisq; eo tempore ad te venissent, cum tibi in integro tota res esset, ne tum quidem te potuit si non pietatis, at salutis tuæ ratio ad officium sanitatemq; reducere? Citat reum: non respondet. citat accusatorem (attendite quæso, videte quanto operè istius amentiæ fortuna ipsa aduersata sit: & simul videte quis Sthenij caussam casus adiuuerit) citatus accusator M. Pacilius nescio quo casu non respondit, 99 non affuit. *si præsens Sthenius reus esset factus, si manifesto in maleficio teneretur, tamen cum accusator non adesset, Sthenium condemnari non oporteret: etenim si posset reus absente accusatore damnari, non ego à Vibone in Veliam paruulo naugio inter fugitiuorum, ac prædonum, ac tua tela venissem. quo tempore omnis illa mea festinatio fuit, cum periculo capitis, ob eam caussam ne tu ex reis eximerere, si ego non affuissem ad diem. Quod igitur

eras

erat in tuo iudicio optatissimum, me cum citatus essem, non adesse, cur Sthenio non putasti prodesse oportere, cum eius accusator non affuisset? Itaque fecit vt exitus principio similimus reperiretur, qui absentem reum fecerat, cum absente accusatore condemnat. * nunciabatur illi primis illis temporibus 100
id quod pater quoque ad eum pluribus verbis scripserat, agitatam rem esse in Senatu, etiã in concione Tribunum Pl. de caussa Sthenij M. Palicanum esse questum: postremo me ipsum apud collegium hoc Tribunorum Pl. cum eorum omnium edicto non liceret quenquam Romæ esse, qui rei capitalis condemnatus esset, egisse caussam Sthenij: cum rem ita exposuissem, quemadmodum nunc apud vos, docuissemq; hanc damnationem duci non oportere, Tribunos Pl. hoc statuisse, idque omnium sententia pronunciatum esse, Non videri Sthenium impediri edicto, quo minus ei liceret Romæ esse. * Cùm 101
hæc ad illum afferrentur, timuit aliquando, & cõmotus est: vertit stylũ in tabulis suis, quo facto causam omnem euertit suam: nihil enim sibi reliqui fecit, quod defendi aliqua ratione posset. Nam si ita defenderet, recipi nomen absentis licet, hoc fieri in prouincia nulla lex vetat: mala & improba defensione, verum aliqua tamen vti videretur. postremo illo desperatissimo perfugio vti posset, se imprudentem fecisse, existimasse id licere. Quanquam hæc perditissima defensio est, tamen aliquid dici videretur. tollit ex tabulis id quod erat, & facit coràm delatum esse. Hic videte in quot laqueos se induevit,

102 rit, quorum ex nullo se vnquam expediret. * primū
ipse in Sicilia sæpè & palam de loco superiore dixe-
rat, & in sermone multis demonstrarat, licere no-
men recipere absentis: se exemplo fecisse id quod
fecisset. Hæc eum dictasse priore actione. & Sex.
Pompeius Chlorus dixit, de cuius virtute antea cō-
memorauit: & Cn. Pompeius Theodorus, homo Cn.
Pompei clarissimi viri iudicio plurimis maximuque
in rebus probatissimus, & omnium existimatione
ornatissimus: & Posides Matro Solentinus, homo
summa nobilitate, existimatione, virtute: & hac
actione quàm voletis multi dicent, & qui ex isto ip-
103 so audierint, viri primarij nostri ordinis, & alij qui
interfuerint cum absentis nomen reciperetur. * de-
inde Romæ cum res esset acta in Senatu, omnes istius
amici in his etiam pater eius, hoc defendebant, li-
cere fieri, sæpe esse factum istum, quod fecisset, a-
liorum exemplo institutoq; fecisse. dicit præterea,
testimonium tota Sicilia, quæ in communibus postu-
latis ciuitatum omnium Consulibus edidit, rogare
atq; orare patres conscriptos, vt statuerent ne ab-
sentium nomina reciperentur. qua de re Cn. Lentulū
patronum Siciliæ, clarissimum adolescentem dice-
re audistis: Siculos, cum se causam, quæ pro his sibi
in Senatu agenda esset, docerent, de Sthenij cala-
mitate quæstos esse: propterq; hanc iniuriam, quæ
Sthenio facta esset, eos statuisse, vt quod dico postu-
104 laretur. * Quæ cum ita essent, tantáne amentia pra-
ditus atq; audacia fuisti, vt in re tam clara, tā te-
stata, tam abs te ipso peruulgata, tabulas publicas

corrumpere auderes? At quemadmodum corrupisti? nonne ita, vt omnibus nobis tacentibus ipsæ te tuæ tabulæ condēnare possent? quæso codicem circumfer, ostende. videtisne totum hoc nomen, coram vbi facit delatum, esse in litura? Quid fuit istic antea scriptum? quod mendum ista litura correxit? quid à nobis, Iudices, expectatis argumenta huius criminis? nihil dicimus: tabulæ sunt in medio, quæ se corruptas atq; interlitas esse clamant. *ex istis etiā 105
tum rebus effugere te posse confidis? cum te nos non opinione dubia, sed tuis vestigijs persequamur, quæ tu in tabulis publicis expressa ac recentia reliqui-
sti. is mihi etiam Sthenium literas publicas corrumpisse caussa incognita iudicauit, qui defendere non potuerit se non ex ipsius Sthenij nomine literas publicas corrupisse. videte porro aliam dementiam: videte, vt dum expedire sese vult, induat. 106
*cognitorem adscribit Sthenio. Quem? cognatum aliquem, aut propinquum? non. Thermitanum aliquem honestum hominem ac nobilem? ne id quidem. At Siculum, in quo aliquis splendor dignitasque esset? minimè. Quid igitur? ciuem Romanum. cui hoc probari potest? Cùm esset Sthenius ciuitatis suæ nobilissimus, amplissima cognatione, plurimis amicitijs, cum prætereà tota Sicilia multum autoritate & gratia posset, inuenire neminem Siculum potuit, qui pro se cognitor fieret? hoc probabitis? an ipse ciuē Romanum maluit? cedò cui Siculo, cum is reus fieret, ciuis Romanus cognitor factus vnquam sit, omnium Prætorum literas, qui an-

tè fuerunt, profer: explica: si vnum inueneris, ego hoc tibi quemadmodum in tabulis scriptum habes, ita gestum esse concedam. * At credo Sthenius
107 hoc sibi amplum esse putauit, eligere è ciuium Ro. numero, ex amicorum atq; hospitum suorum copia, quem cognitorem daret. Quem delegit? quis in tabulis scriptus est? C. Claudius C. filius Palatina. Non quæro quis hic sit Claudius, quam splendidus, quàm honestus, quàm idoneus, propter cuius autoritatem & dignitatem Sthenius, ab omnium Siculorum consuetudine discederet, & ciuem Romanum cognitorem daret. nihil horum quæro: fortasse enim Sthenius non splendorē hominis, sed familiaritatem secutus est. quid si omnium mortalium Sthenio nemo inimicior, quam hic C. Claudius, tum semper, tum in his ipsis rebus, & temporibus fuit? si de literis corruptis contrauenit? si contra omnium cognitorē esse factum, ante in Sthenij periculum inimici eius nomine abusum esse credemus? * Ac
108 ne quis fortè dubitet, cuiusmodi totum sit negocium, tametsi iamdudum omnibus istius improbitatem perspicuam esse confido, tamen paululum etiam attendite. Videtis illum sub crispo capillo, nigrum? qui eo vultu nos intuetur, vt sibi ipse peracutus esse videatur? qui tabulas tenet? qui scribit? qui monet? qui proximus est? is est C. Claudius, qui in Sicilia sequester istius, interpres, confector negociorum, propè collega Timarchidi numerabatur, nunc obtinet eum locum, vt vix Apronio illi de familiaritate

tate concedere videatur: & qui se non Timarchidis, sed ipsius Verris collegam & socium esse dicebat. *dubitare etiamnum potestis, quin eũ iste potis- 109
simum ex omni numero delegerit, cui improbam personam imponeret, quem, & huic inimicissimum, & sibi amicum esse arbitraretur? Hic vos dubitatis, iudices, tantam istius audaciam, tantam crudelitatem, tantam iniuriam vindicare? dubitatis exemplum iudicum illorum sequi, qui damnato Cn. Dolabella damnationem Philodami Opuntij rescid erunt? quod is, non absens reus factus esset. quæres iniquissima & acerbissima est, sed cum ei legatio Romam à suis ciuibus esset data. Quod illi iudices multo in leuiore caussa statuerunt æquitatem secuti, vos id statuere in grauissima caussa, præsertim aliorum auctoritate tam confirmatum, dubitabitis?
*At quẽ hominem C Verres tãta, tam insigni iniuria 110
affecisti? cuius absentis nomẽ recepisti? quem absentem non modo sine crimine, & sine teste, verum etiam sine accusatore damnasti? quem hominem dij immortales? non dicam amicum tuum, quod apud hominem carissimum est: non hospitem, quod sanctissimum est: nihil enim minus libenter de Sthenio commemoro: nihil aliud in eo quod reprehendi possit, inuenio, nisi quòd homo frugalissimus atq; integerrimus te hominem plenum stupri, flagitij, sceleris, domum suam inuitauit: nisi quod qui C. Marij & Cn. Pompeij, C. Marcelli, L. Sisennæ, tui defensoris cæterorũq; virorum fortissimorum hospes fuisset atq; esset, ad eum numerum clarissimorum hominum

111 tuum quoq; uomen adscribserit.* Quare de hospitio violato, & de isto tuo nefario scelere nihil queror. hoc dico, non his qui Sthenium norunt, hoc est nemini eorum qui in Sicilia fuerunt (nemo enim ignorat, quo hic in ciuitate sua splendore, qua apud omnes Siculos dignitate atq; existimatione sit) sed vt illi quoque, qui in ea prouincia non fuerũt, intelligere possint, in quo homine tu statueris exemplum eiusmodi, quod tam propter iniquitatem rei, tum etiam propter hominis dignitatem acerbum omnibus atque intolerandum videretur. * est ne Sthenius
112 is, qui omnes honores domi suæ facillimè cum adeptus esset, amplissimè ac magnificentissimè gesserit? qui oppidum non maximum maximis ex pecunia sua locis communibus, monimentisq; decorauit? cuius de meritis in Remp. Thermitanorum, Siculosq; vniuersos fuit ænea tabula fixa Thermis in curia? in qua publicè erat de huius beneficijs scriptum & incisum. quæ tabula tum imperio tuo reuulsa, nunc à me tamen reportata est, vt omnes huius honores inter suos, & amplitudinem possent cognoscere.* Estne hic, quid apud Cn. Pompeium clarissimum virum cum accusatus esset, quod propter
113 C. Marij familiaritatem & hospitium contra Remp. sensisse eum inimici & accusatores eius dicerent: quòd tum magis inuidioso crimine, quàm vero accerseretur: ita à Cn. Pompeio absolutus est, vt in eo ipso iudicio Pompeius hunc hospitio suo dignissimum statuerit? ita porro laudatus defensusq; ab omnibus Siculis, vt idem Pompeius non ab homi-

homine solum, sed etiam à prouincia tota se huius absolutione inire gratiam arbitraretur? postremò estne hic, qui & animum in Remp. habuit eiusmodi, & tantum auctoritate apud suos ciues potuit, vt perficeret in Sicilia solus te Prætore, quod non modo Siculus nemo, sed ne Sicilia quidem tota potuisset: vt ex oppido Thermis nullum signum, nullum ornamentum, nihil ex sacro, nihil de publico attingeres? cum præsertim essent multa præclara, & tu omnia concupiscas.* Denique nunc vide quid inter te 114
cuius nomine apud Siculos dies festi agitantur, & præclara illa Verrea celebrantur: cui statuæ Romæ stant inauratæ à communi Sicilia, quemadmodum inscriptum videmus, datæ. Vide, inquam, quid inter te & hunc Siculum, qui abs te patrono Siciliæ condemnatus, interfit. Huc ciuitates ex Sicilia permultæ testimonio suo legationibusq; ad eãrem missis publicè laudant: te omnium Siculorum patronum vna Mamertina ciuitas socia furtorum ac flagitiorum tuorum publicè laudat, ita tamen nouo more, vt Legati laudant, Legatio laudet: cæteræ quidem ciuitates publicè litteris, Legationibus, testimonijs accusant, queruntur, arguunt: si tu absolutus sis funditus euersas se esse arbitrantur.* Hoc de 115
homine, ac de huius bonis etiam in Eryco monte monimentum tuorum flagitiorum crudelitatisque posuisti, in quo Sthenij Thermitani nomen adscriptum est. Vidi argenteum Cupidinem cum lampade. quid tandem habuit argumenti aut rationis res, quamobrem in eo potissimum Sthenianum præmium

ponc-

ponereturᵉ virum hoc signum cupiditatis tuæ, an
trophęum necęssitudinis atque hospitij, an amoris
indicium esse voluistiᵉ Faciunt hoc homines, quos in
summa nequitia non solum libido & voluptas, verū
etiam ipsius nequitiæ fama delectat, vt multis in lo-
cis notas ac vestigia scelerum suorum relinqui ve-
116 lint.* ardebat amore illius hospitæ, propter quā ho-
spitij iura violarat. hoc non solum scire tum, verum
etiam commemorari semper volebat itaque ex illa
ipsa re, quam accusante Agathino gesserat, Veneri
potissimum deberi præmium statuit, quæ illam to-
tam accusationem iudiciumq; conflarat. Putarem
te gratum in deos, si hoc donum Veneri non de Sthe-
nij bonis dedisses, sed de tuis: quod facere debuisti,
præsertim cum tibi illo ipso anno à Chelidone ve-
117 nisset hæreditas.* Hic ego si hanc caussam non om-
nium Siculorum rogatu recepissem: si hoc à me mune-
ris nō vniuersa prouincia poposcisset: si me animus
atq; amor in remp. existimatioq; offensa nostri ordi-
nis ac iudiciorum non hoc facere coëgisset, atq; hæc
vna caussa fuisset, quod amicum, atque hospitem
meum Sthenium, quem ego in Quæstura mea singu-
lariter dilexissem, de quo optimè existimassem, quē
in prouincia existimationis meæ studiosissimum, cupi-
dissimumq; cognossem, tam crudeliter, scelerate,
nefarieq; tractatsses: tamen digna caussa esset, cur
inimicitias hominis improbissimi susciperē, vt hospi-
118 tis salutē fortunasq; defenderem.* fecerūt hoc mul-
ti apud maiores nostros: fecit etiam nuper homo cla-
rissimus Cn. Domitius, qui M. Syllanum Consula-
rem

rem virum accusauit propter Egritomari transalpini hospitis iniurias. putaremme idoneum, qui exemplū sequerer humanitatis atq; officij, proponerēque spem meis hospitibus ac necessarijs, quo tutiorem vitam sese meo præsidio victuros esse arbitrarentur, cum verò in communibus iniurijs totius prouinciæ Sthenij quoque causſa contineatur, multiq; vno tempore à me hospites atque amici publicè, priuatimq; defendantur: profectò vereri non debeo, ne quis hoc quod facio, non existimet summi officij ratione impulsum coactumque suscepisse. Atque vt aliquando de rebus ab isto cognitis, iudicatisque, & de iudicijs datis dicere desistamus: & quoniam facta istius in hisgeneribus infinita sunt, nos modū aliquē & finem orationi nostræ criminibusque faciamus: pauca ex alijs generibus sumemus. * Audistis ob ius 119
dicundum Q. Varium dicere procuratores suos isti centum & viginta millia nummum dedisse: meministis Q. Varij testimonium, remque hanc totam C. Sacerdotis hominis ornatissimi testimonio comprobari: scitis Cn. Sertium, M. Modium Equites Romanos, sexcentos præterea cives Rom. multosq; Siculos dixisse, isti pecuniam ob ius dicēdum dedisse. de quo crimine quid ego disputem, cum totum positum sit in testibus? quid porrò argumenter, qua de re dubitare nemo possit? an hoc dubitabit quisquam omnium, quin is vænalem in Sicilia iurisdictionem habuerit, qui Romæ totum edictum atque omnia decreta vendiderit? & quin ab Siculis obdecreta interponenda pecuniam acceperit, qui M. Octauium

Ligu-

120 Ligurem obius dicundum popoſcerit? *Quod enim
præterea genus pecuniæ cogendæ præterijt, quod
non ab omnibus alijs præteritum, excogitauit? ec-
quæres apud ciuitates Siculas expetitur, in qua
aut honos aliquis ſit, aut poteſtas, aut procuratio,
quin eam rem tu ad tuum quæſtum nundinatio-
nemque hominum traduxeris? Dicta ſunt priore
actione, & priuatim, & publicè teſtimonia: Legati
Centuripini, Haleſini, Catinenſes, Panormitani,
dixerunt, multarum præterea ciuitatum. Iam ve-
rò priuatim plurimi, quorum ex teſtimonijs cogno-
ſcere potuiſtis, tota Sicilia per triennium neminem
vlla in ciuitate Senatorem factum eſſe gratis: ne-
minem, vt leges eorum ſunt, ſuffragijs: neminem ni-
ſi iſtius imperio, aut literis: atque in his omnibus Se-
natoribus cooptandis, nō modo ſuffragia nulla fuiſ-
ſe, ſed ne genera quidem ſpectata eſſe, ex quibus in
eum ordinem cooptari liceret: neque cenſus, neque
121 ætatis, neque cætera Siculorum iura valuiſſe.* qui-
cunq; Senator voluerit fieri, quamuis puer, quam-
uis indignus, quamuis ex eo loco ex quo non liceret,
ſi is precio apud iſtum fieret idoneus vt vinceret, fa-
ctum eſſe ſemper, non modo Siculorum nihil in hac
re valuiſſe leges, ſed ne ab Senatu quidem populo
Rom. datas. *Quas enim leges ſocijs amicisq; dati
is, qui habet imperium à Populo Romano, autorita-
tem legum dandarum à Senatu, hæ debent & Po-
122 puli Rom. & Senatus exiſtimari. *Haleſini pro mul-
tis & magnis ſuis maiorumq; ſuorum in Remp.
noſtram meritis atque beneficijs, ſuo iure nuper L.

Licī-

Licinio, Q. Mutio Coss. cum haberent inter se controuersias de Senatu cooptando, leges ab Senatu nostro petieuerunt. decreuit Senatus honorifico S.C. vt his C. Claudius adhibitis Appij filius Pulcher Prætor de Senatu cooptando leges cõscriberet. C. Claudius adhibitis omnibus Marcellis, qui tum erant, de eorũ sententia leges Halesinis dedit. in quibus multa sanxit de ætate hominum, ne quis minor trigintæ annis natu: de quæstu, quem qui fecisset, ne legeretur: de censu, de cæteris rebus. quæ omnia ante istum Prætorem, & nostrorum magistratuum autoritate, & Halesinorum summa voluntate valuerunt. ab isto & præco qui voluit, istum ordinem preciomercatus est: & pueri annorum senum septenũque denum Senatorium nomen nundinati sunt: & quod Halesini antiquissimi & fidelissimi socij atq; amici Romæ impetrarant, vt apud se ne suffragijs quidem fieri liceret, id precio vt fieri posset, effecit.

*Agrigentini de Senatu cooptando Scipionis leges 123
antiquas habẽt, in quibus & eadem illa sancta sunt, & hoc amplius. cum Agrigentinorum duo genera sint, vnum veterem, alterum colonorum, quos T. Manlius Prætor ex S.C. de oppidis Siculorum deduxit Agrigentum, cautum est in Scipionis legibus, ne plures essent ex colonorum numero, quam ex vetere Agrigẽtinorum. Iste qui omnia iura precio exæquasset, omniumq; rerum delectum atque discrimen pecunia sustulisset: non modo illa, quæ erant ætatis, ordinũ, quæstusque permiscuit: sed etiam in his duobus generibus, civium nouorum veterumque da-

124 delectum ordinemque turbauit.* Nam cum esset
ex veterum numero quidam Senator demortuus,
& cum ex utroq; genere par numerus reliquus es-
set, veterem cooptari necesse erat legibus, vt his
amplius numerus esset. Quæ cum ita se res haberet,
tamen ad istum venerunt emptum locum illum
Senatorium non solum veteres, sed etiam noui:
fit vt precio nouus vincat, literasq; à Prætore affe-
rat. Agrigentini ad istum Legatos mittunt, qui eum
leges doceant, consuetudinemq; omnium annorum
demonstrent, vt iste intelligeret, ei se illum locum
vendidisse, cui ne commercium quidem esse oporte-
ret. quorum oratione iste, cum preciu[m] iam accepis-
125 set, ne tantulum quidem commotus est.* Idem fecit
Heracleæ. nam eo quoq; colonos P. Rupilius dedu-
xit, legesque simles de cooptando Senatu ac de nu-
mero veterum, ac nouorum dedit. Ibi non solum i-
ste, vt apud cæteros, pecuniam accepit, sed etiam
genera veterum ac nouorum, numerumq; permis-
cuit. Nolite expectare dum omnes obeam oratio-
ne mea ciuitates: hoc vno complector crimine om-
nia: neminem isto Prætore Senatorem fieri potuis-
126 se, nisi qui isti pecuniam dedisset.* Hoc idem trãsfe-
ro in magistratus, curationes, sacerdotia: quibus in
rebus non solũ hominũ iura, sed etiam deorũ religio-
nes immortalisũ omnes repudiauit. Syracusis lex est
de religione, quæ in annos singulos Iouis Sacerdotẽ
sorti to cupi iubeat: quod apud illos amplissimum sa-
cerdotium putatur.* cum suffragijs tres ex tribus
127 generibus creati sunt, res reuocatur ad sortem. Per-

fecerat

fecerat iste imperio, vt pro suffragio Theomnastus familiaris suus in tribus illis renunciaretur. in sorte cui imperare non poterat, expectabant homines quidnam acturus esset. homo id quod erat facillimum, primo vetat sortiri: iubet extra sortem Theomnastum renunciari. negant id Syracusani per religiones sacrorum vllo modo fieri posse: fas denique negant esse. iubet ille sibi legem legi, recitatur: in qua scriptum erat, vt quot essent renunciati, tot in hydriam sortes conijcerentur: cuius nomen exisset, vt is haberet sacerdotium. homo ingeniosus & peracutus, Optime, inquit. nempe scriptum ita est, quot renunciati erunt, quot ergo sunt renunciati? responsum, tres. Nunquid igitur oportet, nisi tres sortes conijci? vnam educi? nihil. conijci iubet tres, in quibus omnibus scriptum esset nomen Theomnasti. fit clamor maximus, cum id vniuersis indignum atq; nefarium videretur. Ita Iouis illud sacerdotium amplissimum per hanc rationem Theomnasto datur. * Cephaledi mensis est certus, quo mense sa- 128
cerdotem maximum creari oporteat. Erat eius honoris cupidus Arthemio quidam, Climachias cognomine, homo sanè locuples, & domi nobilis: sed is fieri nullo modo poterat, si Herodotus quidam adesset, ei locus ille atque bonos in illum annum ita deberi putabatur, vt ne Climachias quidē contradiceret. res ad istum defertur, & istius more deciditur. toreumata sanè nota ac preciosa auferuntur. Herodotus Romæ erat: satis putabat se ad comitia tempore venturum, si pridie veniisset. iste ne aut alio

menſe ac fas erat, comitia haberentur: aut Herō
doto præſenti honos adimeretur, id quod iſte non
laborabat, Climachias minimè volebat, excogitat.
dixi iamdudum, nō eſt homo acutior quiſquam, nec
fuit. excogitat, inquam, quemadmodum menſe illo
legitimo comitia haberentur, nec tamen Herodo-
129 tus adeſſe poſſet.* Eſt conſuetudo Siculorum caterorumque Græcorum, quòd ſuos dies menſesq; congruere volunt cum ſolis lunæq; ratione, vt nonnunquàm ſi quid diſcrepet eximant vnum aliquem diem, aut ſummum biduum, ex menſe. quos illi ἐξαιρετίμους dies nominant. item nonnunquam vno die longiorem menſem faciunt, aut biduo. Quæ iſte cum cognouiſſet, nouus aſtrologus, qui non tam calculationem, quàm calati argenti duceret, eximi iubet non diem ex menſe, ſed ex anno vnum dimidiatumque menſem, hoc modo, vt quo die, verbi cauſſa, eſſe oporteret Idus Ianuarias, eo die Calend. Martias proſcriberet: itaq; fit omnibus recuſantibus, & implorantibus. dies is erat legitimus comitijs habendis. eo modo ſacerdos Climachias renunciatus eſt.
130 * Herodotus cum Romæ reuertitur, dies, vt ipſe putabat, quindecim ante comitia, offendit eum menſem comitialem comitijs iā abhinc triginta diebus habitis. tunc Cephaleditani, decreuerunt intercalarium XLV. dies longum, vt reliqui menſes in ſuam rationē reuerterentur. Hoc ſi Romæ fieri poſſet, certè aliqua ratione expugnaſſet iſte, vt dies XLV. inter binos ludos tollerentur, per quos ſolos iudicium
131 fieri poſſet.* Iam verò Cenſores quemadmodum in

Sici-

Sicilia isto Prætore creati sunt, operæ precium est cognoscere. ille enim est magistratus apud Siculos, qui diligentissimè mandatur à populo propter hanc caussam, quod omnes Siculi ex censu quotannis tributa conferunt: in censu habendo potestas omnis æstimationis habendæ, summæq; faciundæ Censori permittitur. itaq; eum populus, cui maximam fidem suarum rerum habeat, maxima cura deligit: & propter magnitudinem potestatis hic magistratus à populo summa ambitione contenditur.* In eare nihil obscurè facere voluit, nō in sortitione 132
fallere, neque dies de factis eximere: nihil sanè vafrè nec malitiosè facere conatus est: sed vt studia cupiditatesque honorum atque ambitiones ex omnibus ciuitatibus tolleret, quæres euertendæ reip. caussa solent, esse, ostendit sese in omnibus ciuitatibus Censores esse facturum. * Tanto mercatu 133
Prætoris indicto, concurritur vndiq; ad istum Syracusas: flagrabat domus tota Prætoria studio hominum & cupiditate: nec mirum, omnibus comitijs tot ciuitatum vnam in domum reuocatis, tantaque ambitione prouinciæ totius in vno cubiculo inclusa. Exquisitis palam precijs & licitationibus factis describebat Censores binos in singulas ciuitates. Timarchides, is suo labore, suisq; accessionibus huius negocij atq; operis molestiam consequebatur, vt ad istum sine vlla sollicitudine summa pecunia referretur. Iam hic Timarchides quantam pecuniam fecerit, plane adhuc cognoscere non potuistis: verumtamen priore actione, quam variè, quàm improbè

prædatus esset, multorum ex testimonijs cognouistis.
134 * Sed ne miremini qua ratione is tantum apud istũ
libertus potuerit, exponam vobis breuiter, quid hominis sit: vt & istius nequitiam, qui illum secum habuerit, eo præsertim numero ac loco, & calamitatẽ
prouinciæ cognoscatis. In mulierum corruptelis, &
in omni eiusmodi luxuria atque nequitia mirandũ
in modum reperiebam hunc Timarchidem ad istius
flagitiosas libidines, singularemq; nequitiam natum atque aptum fuisse: inuestigare, adire, appellare, corrumpere, quiduis facere in eiusmodi rebus, quamuis callidẽ, quamuis audacter, quamuis impudenter. eundem mira quadam excogitare genera furandi. nam ipsum Verrem, tantum semper auaritia hiãte atque imminenti fuisse, ingenio & cogitatione nulla: vt quicquid sua sponte faciebat, id
quod vos Romæ cognouistis, eripere potius, quã fa-
135 lere videretur. * Hæc verò eius erat ars, & malitia
miranda, quod acutissimè tota prouincia quid cuique esset necesse, indagare, & odorari solebat: omnium inimicos diligenter cognoscere, colloqui, attẽtare. ex vtraq; parte causas, voluntates perspicere, facultates & copias: quibus opus esset, metũ asserre: quibus expediret, spem ostendere. accusatorum & quadruplatorum quicquid erat, habebat in potestate: quod cuique negocij conflari volebat, nullo labore faciebat: istius omnia decreta, imperia, literas
136 peritissimè & callidissimè venditabat. * Ac non solũ
erat administer istius cupiditatũ, verũ etiã ipse sui
meminerat quẽ: non solum nummos si quis isti exci-

ciderãt, tollere solebat, ex quibus pecuniam maximam fecit, sed etiam voluptatum flagitiorumq; istius ipse reliquias colligebat. Itaque in Sicilia non Athenionem, qui nullum oppidum cepit, sed Timarchidem fugitiuum omnibus oppidis per triennium fere tote regnasse: in Timarchidis potestate sociorum Populi Romani antiquissimorum atque amicissimorum liberos, matres familiâs, bona, fortunasque omnes fuisse. Is igitur, vt dico, Timarchides in omnes ciuitates accepto precio Censores dimisit. comitia isto Prætore Censorum, ne simulandi quidem caussa fuerunt. Iam hoc impudentissimè palàm (licebat enim videlicet legibus) singulis Censoribus denarij trecenti ad statuam Prætoris imperati sunt. Censores CXXX. facti sunt: pecuniam illam ob Censuram contra leges, clàm dederunt: hæc denariûm XXXIX. millia palàm saluis legibus contulerunt in statuam. Primum quò tantam pecuniam? deinde quamobrem Censores ad statuam tibi conferebant? oratio aliquis Censorum est collegium? genus aliquod hominum? nam aut publicè ciuitates istos honores habent: aut generatim homines, vt aratores, vt mercatores, vt nauicularij. Cẽsores quidem qui magis, quàm Aediles? ob beneficium? ergo hoc fatebere, abs te hæc petita esse: nam empta non audebis dicere. te eos magistratus hominibus beneficij, non Reip. caussa permisisse. hoc autem cum tute fatebere, quisquam dubitabit, quin tu istam apud populos prouinciæ istius inuidiam atque offensionem non ambitionis, neque beneficio- 137

rum collocandorum, sed pecuniæ conciliandæ caussa
138 susceperis?* Itaque Censores fecerunt idem, quod in nostra Rep. solent ij, qui per largitionem magistratus adepti sunt: dederunt operam, vt ita testatem gererent, vt illam lacunam rei familiaris explerent. Sic census habitus est te Prætore, vt eo censu nullius ciuitatis Resp. posset administrari. nam locupletissimi cuiusque census extenuarant, tenuissimi auxerant. Itaque in tributis imperandis tantum oneris plebi imponebatur, vt etiam si homines tacerent, res ipsa illum censum repudiaret: id quod intelligi facillimè re ipsa potest. nam L. Metellus, qui, posteaquam ego inquirendi caussa in Siciliam veni, repentè Letilij aduentu istius non modo amicus, verum etiam cognatus factus est: is quod videbat istius censum stare nullo modo posse, eum censum obseruari iussit, qui viro fortissimo atque innocentissimo Sex. Peduceo Prætore habitus esset. erant enim tum Censores legibus facti, delecti à suis ciuitatibus: quibus, si quid commississent, pœnæ legibus erant con-
139 stitutæ.* Te autem Prætore, qui Censor, aut legem metuerit, qua non tenebatur, quoniam creatus lege non erat? aut animaduersionem tuam, cum id quod abs te emerat, vendidisset? Teneat iam sanè meos testes Metellus: cogat alios laudare, sicut in multis conatus est: modo hæc faciat, quæ fecit. Quis enim vnquam tanta à quoquam contumelia, quis tanta ignominia affectus est? Quinto quoq; anno Sicilia tota censetur. erat censa Prætore

Pedu-

Peduceo. quintus annus cum te Prætore incidisset, censa denuo est. postero anno L. Metellus mentionem tui census fieri vetat: Censores dicit de integro sibi creari placere: interea Peduceanum censum observari iubet. hoc si tuus inimicus tibi fecisset, tametsi animo æquo prouincia tulisset, inimici iudiciū graue videretur. fecit amicus recens & cognatus voluntarius. aliter enim, si prouinciam retinere, si saluus ipse in prouincia vellet esse, facere non potuit.
*Expectas etiam quid hi iudicent? si tibi magistratū 140
abrogasset, minore ignominia te affecisset, quam cū ea, quæ in magistratu gessisti, sustulit atq; irrita iussit esse. Neq; in hac re sola fuit eiusmodi: sed antequàm ego in Siciliā veni, in maximis rebus ac plurimis, nam & Heraclio Syracusano tuos illos palæstritas bona restituere iussit, & Epicrati Bidinos, & pupillo Drepanitano A. Claudium: & nisi maturè Letilius in Siciliam venisset cū literis, minus XXX. diebus Metellus totam triennij Præturam rescidisset. *Et quoniam de ea pecunia quam tibi ad statuā 141
Censores contulerunt dixi: non mihi prætermittendum videtur ne illud quidem genus pecuniæ conciliatæ, quam tu à ciuitatibus statuarum nomine coëgisti. video enim eius pecuniæ summam esse pergrandem, ad HS. CXX. millia. tantum conficitur ex testimonijs ac literis ciuitatum: & iste hoc cōcedit, nec potest aliter dicere. quare cuiusmodi putamus esse illa, quæ negat, cum hæc tam improba sunt, quæ fatetur? Quid enim vis constitui? consumpta esse omnem istam pecuniā in statuis? facta esse: tamen

hoc ferendum nullo modo est, tantam ab socijs pecuniam auferri, vt omnibus in angiportis prædonis improbissimi statuæ ponantur, quà vix tutò transire posse videamur. Verum vbi tandem, aut in quibus statuis ista tanta pecunia consumpta est? cõsumetur, inquies, scilicet expectemus legitimum illud quinquennium: si hoc interuallo non consumpserit, tum demiq; nomen eius de rejetundis pecunijs statuarum
142 nomine deferremus. * Reus est maximis plurimisq; criminibus in iudicium vocatus: HS. CXX. millia ex hoc vno genere capta videmus. si condemnatus eris, non opinor id ages, vt ista pecunia in quinquennio consumatur in statuis: sin absolutus eris, quis erit tam amẽs, qui te ex tot tantisq; criminibus elapsum, post quinquennium statuarum nomine accersat? Ita si neq; adhuc consumpta ista pecunia est, & est perspicuum non consumptum iri: licet tamen intelligamus inuentam esse rationem, quare: & isti HS. CXX. millia vno genere conciliarit, & ceperit: & cæteri, si à vobis hoc erit comprobatum, quam volent, magnas hoc nomine pecunias capere possint: vt iã videamur non à pecunijs capiendis homines absterrere, sed cũ genera quædã pecuniarũ capiendarum cõprobauerimus, honesta nomina turpissimis rebus imponere.
143 * Etenim / CVerres HS. CXX. millia populum, verbi gratia, Centuripinum popposcisset, eamq; ab his pecuniam abstulisset: non opinor esset dubium, quin eum, si tum id planum fieret, condemnari necesse esset. Quid si eundem populum HS. CCC. millia popposcisset, eaque coegit, atq; abstulit? num idcir-

co

to absoluetur, quod adscriptum est, eam pecuniam datam statuarum nomine? non opinor. nisi fortè id agimus, non vt magistratibus nostris morem accipiendi, sed vt sociis causſam dãdi auferre videamur. Quod si quem statuæ magnoperè delectant, & si quis earum honore & gloria ducitur: is hæc tamen constituat necesse est: primum auerti pecuniam domum non placere: deinde ipsarum statuarum modum quendam esse oportere: deinde illud certe, abinuitis exigi non oportere. * Ac de auertenda pecunia, quæro abste, vtrum ipsæ ciuitates solitæ sint statuas tibi faciundas locare ei, cui possent optima cõditione locare? an aliquẽ curatorẽ præficere, qui statuis faciũdis præesset? an, cui tu imperasses adnumerare pecuniã? Nã si per eos statuæ fiebãt, à quibus tibi iste honos habebatur: audio. sin Timarchidi pecunia numeratur, desine quæso simulare te, cum in manifesto furto teneare, gloriæ studioſũ ac monimẽtorũ fuisse. Quid verò? modum statuarum haberi nullum placet? atqui habeatur necesse est. * etenim sic consideraſte. Syracusana ciuitas (vt eam potissimum nominem) dedit ipsi statuam: est honos: & patri. bella hæc pietas, & quæstuosa simulatio. & filio: ferri hoc potest, hunc enim puerum non oderãt. verũ quoties, & quot nominibus à Syracusanis statuas, auferes? vt in foro statuerent, abstuliſti: vt in curia, coegiſti: vt pecuniam cõferrẽt in eas statuas, quæ Romæ ponerentur imperaſti: vt ÿdẽ darent homines aratorũ nomine, dederunt: vt ÿdem pro parte in commune Siciliæ conferrent, etiam id contu-

 lerunt.

lerunt. vna ciuitas cum tot nominibus pecuniam cõtulerit, idemque hoc ciuitates cæteræ fecerint, non res ipsa vos admonet, vt putetis modum aliquem huic cupiditati constitui oportere? Quod si hoc voluntate sua nulla ciuitas fecit: si omnes imperio, metu, vi, malo adductæ tibi pecuniam statuarum nomine contulerunt: per deos immortales nũ cui dubium esse poterit, quin etiam si quis statuerit accipere ad statuas, licere, idem tamen statuat eripere,
146 certè nõ licere? *Primum igitur in hãc rem testẽ totã Siciliã citabo: quæ mihi vna voce statuarũ nomine magnam pecuniam per vim coactam esse demonstrat. nam legationes omnium ciuitatum in postulatis communibus, quæ ferè omnia ex tuis iniurijs nata sunt, etiam hoc ediderunt, vt statuas ne cui, nisi cum is de prouincia decessisset, polliceremur. Tot Prætores in Sicilia fuerunt: toties apud maiores nostros Siculi Senatum adierunt: toties hac memoria: tamen huiusce noui postulati genus atque
147 principium tua Prætura attulit. *Quid enim tam nouum, non solum re, sed genere ipso postulandi? nam cætera quæ sunt in ijsdem postulatis de iniurijs tuis, sunt noua: sed tamen non nouo modo postulantur. Rogant & orant Siculi Patres conscriptos vt nostri magistratus posthac decumas lege Hieronica vendant: tu primus contra vendideras, audio. Ne in cellam quod imperatur, æstiment. hoc quoq; propter tuos ternos denarios nunc primũ postulatur, sed genus istud postulandi non est nouum. Ne absentis nomen recipiatur. ext Sthenij calamitate,

&

& tua natum est iniuria. Cætera non colligam. sūt omnia Siculorum postulata eiusmodi, vt crimina collecta in vnum te reum esse videantur. quæ tamen omnia nouas iniurias habent, sed postulationum formulas vsitatas. *Hoc postulatum de statuis ridi- 148
culū esse videatur ei qui rem sententiamq; non perspiciat. postulant enim non vt ne cogantur statuere. quid igitur? vt ipsis ne liceat. quid est hoc? petis à me, quod in tua potestate est, vt id tibi facere ne liceat? pete potius ne quis te inuitum polliceri, aut facere cogat. nihil ergo, inquit, negabunt enim omnes se coegisse. si me saluum esse vis, mihi impone istam vim, vt omnino mihi non liceat polliceri. Ex tua Pratura primum nata est hæc postulatio. qua cum vtuntur, hoc significant, atque adeo apertè ostendunt, sese ad statuas pecuniam metu ac malo coactos, inuitissimos contulisse. *Quid si hoc nō 149
dicant? tibi non necesse sit ipsi id confiteri? vide & perspice qua defensione sis vsurus: iam intelliges hoc tibi de statuis confitendum esse. mihi enim renunciatur, ita constitui à tuis patronis hominibus ingeniosis caussam tuam, & ita eos abs te instituisse, & doceri: vt quisque ex prouincia Sicilia grauior homo atque honestior testimonium vehementius dixerit, sicuti Siculi multi primarij viri multa dixerunt, te statim hoc istis tuis defensoribus dicere, inimicus est, propterea quod arator est. itaque vno genere opinor circunscribere habetis in animo genus hoc aratorum, quod eos infenso animo atque inimico veniſſe dicatis, quia

fue-

fuerit in decumis iste vehementior. Ergo aratores inimici, omnes aduersarij, nemo eorum est quin perisse te cupiat. omninò præclarè te habes, cum is ordo, atque id genus hominum, quod optimum atque honestissimum est: à quo vno & summa Reip. & illa prouincia maximè continetur. tibi est inimicissimum. *Verum esto, alio loco de aratorum animo, & iniurijs videro: nunc quod mihi abs te datur, id accipio, eos tibi esse inimicissimos, nempe ita dicis, propter decumas. concedo. non quæro iure an iniuriâ sint inimici. Quid ergo illæ sibi statuæ equestres inauratæ volunt, quæ Populi Romani oculos animosq; maximè offendunt, propter ædem Vulcani? Nam scriptum, esse video, quandam ex his statuam aratores dedisse. si honoris causa dederunt, inimici non sunt. credamus testibus: tum enim honori tuo nunc iam religioni suæ consulunt. sin autem metu coacti dederunt, confiteare necesse est, te in prouincia pecuniam statuarum nomine per vim ac metum coegisse. *vtrum tibi cõmodum est, elige. Equidem libenter hoc iam crimen de statuis relinquam, vt mihi tu illud cõcedas, quod tibi honestissimum est, aratores tibi ad statuam honoris tui causa voluntate sua contulisse. da mihi hoc, iam tibi maximam partem defensionis præciderís: non enim poteris aratores tibi iratos esse atque inimicos dicere. O causam singularem, O defensionem miseram ac perditam, nolle hoc accipere reum ab accusatore, & eum reum, qui Prætor in Sicilia fuerit, aratores ei statuam sua voluntate

150

151

statuis-

statuisse, aratores de eo bene existimare, amicos esse, saluum esse cupere. metuit, ne hoc vos existimetis: obruitur enim aratorum testimonijs. *vtar eo 152
quod datur, certè ita vobis iudicandum est: eos qui isti inimicissimi sunt, vt ipse existimari vult, ad istius honores atque monimenta pecuniam non voluntate sua contulisse. atque vt hoc tamen facilime intelligi possit, quem voles eorum testium, quos produxero, qui in Sicilia testes sint, siue ciuem Rom. velis, siue Siculum, rogato: & eum qui tibi inimicissimus esse videbitur, qui se spoliatum à te dicet, ecquid suo nomine in tuam statuam contulerit? neminem reperies, qui neget: etenim omnes dederũt.
*Quenquam igitur putas dubitaturum, quin is, quẽ 153
inimicissimum tibi esse oporteat, qui abs te grauissimas iniurias acceperit, pecuniam statuæ nomine dederit, vi atque imperio adductus, non officio ac voluntate? & huius ego pecuniæ, Iudices, quæ permagna est, impudentissimeq; coacta ab inuitis, non habui rationem, neq; habere potui, quantum ab aratoribus, quantum ab negotiatoribus: qui Syracusis, qui Agrigenti, qui Panormi, qui Lilybæi negotiantur, esset coactum: quoniam intelligitis ipsius quoque confessione ab inuitissimis coactam esse. *Venio nũc 154
ad ciuitates Siciliæ, de quibus facillimè iudicũ fieri voluntatis potest. An etiam Siculi inuiti contulerunt? non est probabile. Etenim sic C. Verrem Prætura in Sicilia gessisse constat, vt cum vtrisque satisfacere non posset, & Siculis, & togatis, officij potius in socios, quam ambitionis in ciues rationem

tionem duxerit. itaque eum non solum patronum istius insulæ, sed etiam Sotera inscriptum vidi Syracusis-Hoc quantum est? ita magnum, vt Latino vno verbo exprimi non possit. Is est nimirum Soter, qui salutem dedit. huius nomine etiam dies festi agitantur, pulchra illa Verrea: non quasi Marcellea, sed pro Marcelleis, quæ illi istius iussu sustulerunt: huius fornix in foro Syracusis est, in quo nudus filius stat: ipse autem ex equo nudatam ab se prouinciam prospicit: huius statuæ omnibus locis erectæ sunt. quæ hoc demonstrare videntur propemodum non minus multas statuas istum posuisse Syracusis, quam abstulisse. huic etiam Romæ videmus
155 in basi statuarum maximis literis incisum, à communi Sicilia datas.* Quamobrem, qui hoc probari potest cuiquam, tantos honores habitos esse abinuitis. Hic tibi etiã multò magis, quã ante in aratoribus videndum & considerandum est, quid velis: magnares est. vtrum tibi Siculos publicè priuatimque amicos, an inimicos existimari vis? si inimicos, quid te futurum est? quo confugies? vbi nitere? modo aratorum honestissimorum hominum, & locupletissimorum maximum numerum abs te abalienasti. nunc de Siculis ciuitatibus quid ages? dices tibi Siculos esse amicos? qui poteris? qui, quod nullo in homine antea fecerunt, vt in eum publicè testimonium dicerent: cum præsertim ex ea prouincia condemnati sint complures, qui ibi Prætores fuerunt, duo soli absoluti: huc conueniunt cum literis, veniunt cum mandatis, veniunt cum testimo-

monijs publicis: si te publicè laudarent, tamen id more potius suo, quam merito tuo facere viderentur: hi cum de tuis factis publicè conquerantur, nonne hoc indicant, tantas esse iniurias, vt multo maluerint de suo more decedere, quam de tuis moribus nō dicere? *Confitendum est igitur tibi necessario, Siculos inimicos esse: qui quidem & in te grauissima postulata Consulibus ediderūt, & me vt hanc causſam salutiq; suæ defensionem susciperem, obsecrarūt: qui cū à Prætore prohiberentur, à quatuor Quæstoribus impedirētur, omniū minas atq; omnia pericula præ salute sua leuia duxerūt: qui priore actione ita testimonia grauiter vehemēterq; dixerūt, vt Artemonem Centuripinum Legatum, & publice testem, Q. Hortensius accusatorem, non testem esse diceret. Etenim cum propter virtutem & fidem cum Androne hominine honestissimo & certissimo, tum etiam propter eloquentiam Legatus à suis ciuibus electus est, vt posset multas istius, & varias iniurias quam apertissimè vobis planissimeq; explicare. Dixerunt Halesini, Catinenses, Tyndaritam, Ennenses, Herbitenses, Agyrinenses, Netinenses, Sagestam, numerare omnes non est necesse: scitis quā multi, & quam multa priore actione dixerunt. nunc & illi & reliqui dicent. *Omnes denique hoc in hac causſa intelligēt, hoc animo esse Siculos, vt si in istum animaduersum non sit, sibi relinquendas domos ac sedes suas, & ex Sicilia decedendum, atque adeo fugiendum esse arbitrentur. Hos homines tu persuadebis ad

156

157

hono-

honores atq; amplitudinem tuam pecunias maximas voluntate sua contulisse? credo quite in tua ciuitate incolumem esse nollent. ÿ nonimẽta tua formæ ac nominis in suis ciuitatibus esse cupiebant. Res declarauit, vt cupierint. iamdudum enim mihi nimium tenuiter Siculorum erga te voluntatis argumenta colligere videor, vtrum statuas voluerint
58 tibi statuere, an coacti sint. *de quo homine auditum est vnquam, quod tibi accidit? vt eius in prouincia statuæ in locis publicis positæ, partim etiam in ædibus sacris, per vim per vniuersam multitudinem deijcerentur? tot homines in Asia nocentes, tot in Africa, tot in Hispania, Gallia, Sardinia, tot in ipsa Sicilia fuerunt: ecquo de homine hoc vnquam audiuimus? Nouum est, Iudices, in Siculis quidem, & in omnibus Græcis monstri simile. non crederem hoc de statuis, nisi tacentes, reuulsasq; vidissem: propterea quòd apud omnes Græcos hic mos est, vt honorem hominibus habitũ in monimentis huiusmodi, nonnulla religione deorum consecrari arbitrentur.
159 *itaq; cum Rhodij bellum illud propè soli superius cum Mithridate Rege gesserint, omnesq; eius copias, acerrimumq; eius impetum à mœnibus, littoribus, classibusq; suis exceperint, cum & Regis inimici præter cæteros essent: statuam eius, quæ erat apud ipsos in celeberrimo vrbis loco, ne tum quidem in ipsis vrbis periculis attigerunt. forsitan vix conuenire videretur, quem ipsum hominem cuperent euertere, eius effigiem simulacrumq; seruare. sed tamen videbam, apud eos cum essem, & religionem

nemesse quandam in his rebus à maioribus tradi-
tam, & hoc disputare: cum statua se eius habuisse
temporis rationem, quo posita esset: cum homine ve-
rò, quo gereret bellum atq; hostis esset. Videtis igi-
tur consuetudinem religionemq; Græcorum, quæ
monimenta hostium in bello ipso soleat defendere.
eam summa in pace Prætoris Populi Rom. statuis
præsidio non fuisse. *Taurominitani, quorũ est ciui- 160
tas fœderata, homines quietissimi, qui maximè ab
iniurijs nostrorum magistratuum remotissimi con-
sueuerant esse præsidio fœderis, hi tamen istius euer-
tere statuam non dubitarunt, qua ablata, basin ta-
mẽ in foro manere voluerunt: quod grauius in istum
fore putabant, si scirent homines statuã eius à Tau-
rominitanis esse deiectam, quam si nullam vnquam
positam arbitrarentur. Tyndaritani deiecerũt in fo-
ro, & eadem de caussa equum inanem reliquerunt.
Leontini misera in ciuitate atq; inani, tamen istius
in Gymnasio statua deiecta est. Nam quid ego de
Syracusanis loquar, quod non est proprium Syracu-
sanorum, sed & illorum commune, & conuentus il-
lius, ac prope totius prouinciæ? quanta illuc multi-
tudo, quanta vis hominum conueniisse dicebatur,
tum cum statuæ sunt illius deiectæ atq; euersæ? at
quo loco? celeberrimo ac religiosissimo, ante ipsum
Iouem, in primo aditu vestibuloq; templi, quòd nisi
Metellus hoc tam grauiter egisset, atq; illam rẽ im-
perio edictoq; prohibuisset, vestigium statuarum i-
stius in tota Sicilia nullum esset relictũ. *Atq; ego 161
hoc non vereor, ne quid horum non modo impulsu,

verum omnino aduentu meo factum esse videatur. omnia ista antè facta sunt, non modo quàm ego Siciliam, verum etiam quàm iste Italiam attigit. dum ego in Sicilia sum, nulla statua deiecta est. posteaquā illinc discessi, quæ sunt gesta, cognoscite. Centuripinorum senatus decreuit populusq; iussit: vt quæ statuæ C. Verris ipsius & patris, & filij essent, eas Quæstores demoliendas locarent: dumq; ea demolitio fieret, Senatores XXX. non minus adessent. Videte grauitatem ciuitatis & dignitatem. neq; eas in vrbe sua statuas esse voluerunt, quas inuiti per vim atque imperium dedissent: neq; eius hominis, in quem ipsi cum grauissimo testimonio, quod nunquam antea, Romam mandata Legatos q; misissent, & id grauius esse putauerunt, si publico consilio, quam si per
162 vim multitudinis factum videretur. *Cum hoc consilio statuas Centuripini publicè sustulissent, audit Metellus, grauiter fert: euocat ad se Centuripinum magistratum, & decem primos: nisi restituissent statuas, vehementer ijs minantur. illi ad Senatū renūciant: statuæ, quæ istius caussæ nihil prodessent, repo. nuntur. Decreta Centuripinorum, quæ de statuis erant facta, non tolluntur. Hic ego aliud alij concedo: Metello homini sapienti prorsus non possum ignoscere, si quid stultè facit. Quid? ille hoc putabat Verri criminosum fore, si eius statuæ essent deiectæ? quod sæpe vento, aut aliquo casu fieri solet. non erat in hoc neque crimen vllum, neq; reprehensio. ex quo igitur crimen atq; accusatio nascitur? ex hominum iudicio & voluntate. Ego, si

Me-

Metellus statuas reponere Centuripinos non coegisset, hæc dicerem. *videte, Iudices, quantum & quam acerbum dolorem sociorum atque amicorum animis inusserint istius iniuria: cum Centuripinorum amicissima & fidelissima ciuitas, quæ tantis officijs cum Populo Rom. coniuncta est, vt non solum Remp. nostram, sed etiam in quouis homine priuato nomen ipsum Romanorum semper dilexerit: ea publico consilio atq; autoritate iudicarit, C. Verris statuas esse in vrbe sua non oportere. recitarem decreta Centuripinorum, laudarem illam ciuitatem, id quod verissimè posse: commemorarē decē millia ciuium Centuripinorum fortissimorum, fidelissimorumque sociorum: eos omnes statuisse monimentum istius in sua ciuitate nullum esse oportere. Hæc tum dicerem, si statuas Metellus non reposuisset. *velim quærere nunc ex ipso Metello, quidnam sua vi, & autoritate mihi ex hac oratione præciderit. eadem opinor omnia conuenire. neq; enim si maximè statuæ deiectæ essent, eas ego vobis possem iacentes ostendere: hoc vno vterer, ciuitatem tam grauem statuas iudicasse C. Verris demoliendas, hoc mihi Metellus non eripuit: hoc etiam addidit, vt quererer, si mihi videretur, tam iniquo iure socijs atque amicis imperari, vt ijs ne in suis quidem beneficijs libero iudicio vti liceret: vt vos rogarem vt coniecturam faceretis, qualem in ijs rebus in me L. Metellum fuisse putaretis, in quibus rebus obesse mihi posset, cum in hac re tam aperta cupiditate fuerit, in qua nihil ob-

163

164

fuit. Sed ego Metello non irascor, neq; ei suam purgationem eripio, qua ille apud omnes vtitur, vt ni-
165 hil malitiosè, neq; consulto fecisse videatur. *Iã igitur est ita perspicuum, vt negare non possis, nullam tibi statuam voluntate cuiusquam datam: nullam pecuniam statuarum nomine nisi vi expressã & coactam. quo quidem in crimine non illud solum intelligi volo, te ad statuas HS. CXX. millia coëgisse: sed multò etiam illud magis, quod simul demonstratum est, quantum odium in te aratorum, quantum
166 omnium Siculorum sit, & fuerit. in quo qua vestra defensio futura sit, coniectura assequi non queo. *Oderunt Siculi. togatorum enim caussa multa feci. hi quidem acerrimi inimicissimiq; sunt. Inimicos habeo cives Rom. quòd sociorum commoda ac iura defendi. at socij in hostium numero se abs te habitos queruntur. Aratores inimici sunt propter decumas. Quid? qui agros immunes liberosque arant, cur oderunt? cur Halesini? cur Centuripini? cur Segestani? cur Halicyenses? quod genus hominum, quem numerum, quem ordinem proferre possis, qui te non oderit? siue ciuium Rom. siue Siculorum? vt etiam si causam, cur te oderint, non possim dicere. tamen illud dicendum putem: quem omnes mortales oderint, eum quoq; vobis odio esse oporte-
167 re. *An hoc dicere audebis: vtrum de te aratores, vtrum denique Siculi vniuersi bene existiment, ad rem id non pertinere? neque tu hoc dicere audebis: neque, si cupies, licebit. eripiunt tibi istam orationem contemnendorum Siculorum atque aratorum

ȳum statuæ illæ equestres, quas tu paulò antè, quàm ad vrbem venires, poni inscribiq; iußisti, vt omnium inimicorum animos accusatorumq; tardares. *Quis enim tibi molestus eßet, aut quis appellare 168
auderet, cum videret statuas ab negotiatoribus, ab aratoribus, à communi Sicilia? Quod est aliud in illa prouincia genus humanum? nullum. ergo ab vniuersa prouincia generatimque à singulis eius partibus non solum diligitur, sed etiam ornatur. Quis hunc attingere audeat? Potes igitur dicere, nihil tibi obesse oportere aratorum, negociatorum, Siculorumq; omnium testimonia, cum eorum nominibus in statuarum inscriptione positis omnem te sperabas iniuriam atque infamiam tuam extinguere posse? an quorum autoritate tu statuas cõonestare tuas conatus es, eorum ego dignitate accusationem meam comprobare non potero? *nisi fortè, 169
quòd apud publicanos gratiosus fuisti, in eare spes te aliqua consolatur. quæ gratia ne quid tibi prodesse posset, ego mea diligentia perfeci: vt etiam obesse deberet, tu tua sapientia curasti. Et enim rem totam, Iudices, breuiter cognoscite. In scriptura Siciliæ pro magistro est quidam L. Carpinatius, qui & sui quæstus caussa, & fortaße quod sociorum interesse arbitrabatur, bene penitus in istius familiaritatem sese dedit. is cum Prætorem circum omnia fora sectaretur, neq; ab eo vnquam discederet, in eam iam venerat familiaritatem cõsuetudinemq; in vendendis istius decretis, & iudicijs, transigendisq; negotijs, vt propè alter Timar-

170 chides numerarentur. *hoc erat etiam capitalior, quòd idem pecuniam ijs, qui ab isto aliquid mercabantur, fœnori dabat. ea autem fœneratio erat huiusmodi: Iudices, vt etiam hic quæstus huic cederet. Nam quas pecunias ijs ferebat expensas quibus cum contrahebat: aut scribæ istius, aut Timarchidi, aut etiam ipsi isti referebat acceptas. idem præterea pecunias istius extraordinarias grandes suo nomi-
171 ne fœnerabatur.* Hic primo Carpinatius antequam in istius tantã familiaritatem peruenisset, aliquoties ad socios literas de istius iniurijs miserat: Canuleius verò, qui in portu Syracusis operas dabat, furta quoq; istius permulta nominatim ad socios perscripserat ea, quæ sine portorio Syracusis erant exportata, portum autem & scripturas eadem societas habebat. Ita factum est, vt essent permulta, quæ ex societatis literis dicere in istum ac proferre
172 posſemus.* Verum accidit, vt Carpinatius, qui iam cum isto summa cõsuetudine, præterea re ac ratione cõiũctus esset, crebras posti ea literas ad socios de istius summis offici js in rẽ cõmunem beneficijsq; mitterer. Etenim tum iste omnia, quæcunque Carpinatius postulabat, facere ac decernere solebat: tam ille etiam plura scribebat ad socios: vt si posset, quæ antea scripserat, ea planè extingueret. Ad extremum verò, cum iste iam decederet, eiusmodi literas ad eos misit, vt huic frequentes obuiam prodirent, gratiasq; agerent: facturos esse, si quid imperasset, studiosè pollicerentur. Itaq; socij fecerũt, vetere instituto publicanorum: non quod istum vllo

honore dignum arbitrarētur, sed quod sua interesse putabant, se memores gratosq; existimari. gratias isti egerunt, Carpinatium sæpe ad se de eius officijs literas misisse dixerunt.* Iste cum respondisset, 173
ea se libenter fecisse, operasq; Carpinatij magnopere laudasset: dat amico suo cuidam negotium, quitum magister erat eius societatis, vt diligenter caueret, atq; prospiceret, ne quid esset in literis sociorum, quod contra suum caput atq; existimationem valere posset. Itaq; ille multitudine sociorum remota, Decumanos conuocat, rem defert, statuunt illi atq; decernunt, vt hæ literæ, quibus existimatio C. Verris læderetur, remouerentur: operaq; daretur, ne ea res C. Verri fraudi esse posset.* Si ostendo hoc 174
decreuisse Decumanos: si planum facio hoc decreto remotas esse literas: quid expectatis amplius? possum ne rem magis iudicatam afferre? magis reum condemnatum in iudicium adducere? at quorum iudicio condemnatum? nempe eorum, quos hi, qui seueriora iudicia desiderant, arbitrentur reos iudicare oportere, publicanorum iudicio: quos videlicet nunc populus Iudices posc it: de quibus, vt eos Iudices habeamus, legem ab homine non nostri generis, non ex Equestri loco profecto, sed nobilissimo promulgatas videmus.* Decumani, hoc est 175
principes, & quasi senatores publicanorum, remouendas de medio literas censuerunt. habeo ex his qui affuerunt, quos producam homines honestissimos ac locupletissimos, istos principes Equestris ordinis, quorum splendore vel maximè istius, qui le-

gem promulgauit, oratio & cauſſa nitatur. venient in medium, dicent quid ſtatuerint: profectò ſi rectè homines noui, nō mentientur: literas enim cōmunes de medio remouere potuerunt: fidem ſuam & religionem remouere non poſſunt. Ergo Equites Romani te ſuo iudicio condemnari voluerunt. Vos nunc vtrum illorum iudicium an voluntatem
176 ſequi malitis, conſiderate. At vide, quid te amicorum tuorum ſtudium, quid tuum conſilium, quid ſociorum voluntas adiuuet. dicam paulò amplius, neque enim iam vereor, ne quis hoc me magis accuſatoriè quàm liberè dixiſſe arbitretur. Si iſtas literas non decreto Decumanorum magiſtri remouiſſent, tantum poſſem in te dicere, quantum in literis inueniſſem. nūc decreto iſto facto, literis q; remotis, tantum mihi licet dicere, quantū poſſum: tantū iudici ſuſpicari, quantum velit. Dico te maximum pondus auri, argenti, eboris, purpuræ, plurimam veſtē Melitenſem, plurimam ſtragulam, multam Deliacam ſupellectilem, plurima vaſa Corinthia, magnum numerum ſumenti, vim mellis maximam Syracuſis exportaſſe. his prorebus, quod portorium non eſſet datum, literas ad ſocios miſiſſe L. Canuleium, qui
177 in portu operas daret. Satiſne magnum hoc crimen videtur? nullum opinor maius. quid defendit Hortenſius? poſtulabit vt literas Canuleij proferam? crimen huiuſmodi niſi literis confirmetur, inane eſſe dicet? clamabo literas remotas eſſe de medio, decreto ſociorum erepta mihi eſſe iſtius indicia ac monimenta furtorum. Aut hoc contendat nunquā eſſe

factum

factum: aut omnia tela excipiat necesse est. negas
esse factū? placet mihi ista defensio. desĕdo: æquae-
nim conditio, æquumque certamĕ proponitur. produ-
cam testes & producam plures eodem tempore: quo-
niam tum, cum actum est, vna fuerunt, nunc quoq;
vna sunt. cum interrogabuntur, obligentur non so-
lum iurisiurandi atque existimationis periculo, sed
etiam communi inter se conscientia. * si planum sit, 178
hoc ita quemadmodum dico, esse factum: non pote-
ris dicere, Hortensi, nihil in istis fuisse literis quod
Verrem læderet. non modo id non dices: sed ne illud
quidem tibi dicere licebit, tantum, quantum ego
dicam non fuisse. Ergo hoc vestro consilio & gratiæ
perfecistis: vt quemadmodum paulò ante dixi, &
mihi summa facultas ad accusandum daretur, &
iudicibus libera potestas ad credendum. * Quod 179
cum ita sit, nihil fingam tamen: meminero me
non sumpsisse quem accusarem, sed recepisse
quos defenderem: vos ex me caussam non à me pro-
latam, sed ad me delatam audire oportere: me Si-
culis satis esse facturū, si quæ cognoui in Sicilia, quæ
a cepi ab his, diligenter exposuero: Po R. si nullius
vim, nullius potentiam pertimuero: vobis, si facultatē
verè atque honestè iudicandi, fide, & diligentia
mea fecero: mihi in eo, si ne minimum quidem de eo
curriculo vitæ, quod mihi semper propositum fuit, de-
cessero. * Quapropter nihil est, quod metuas, ne quid 180
in te fingam: etiā quod latere habes. multa enim
quæ scio abs te esse commissa, quod aut nimiū turpia,
aut parum credibilia sunt, prætermittam. tantum

agam de hoc toto nomine societatis, vt verum scire possitis. quæram, decretumne sit. cum id inuenero, quæram remotane sint literæ. cū id quoq; constabit, vos iam me tacito intelligetis. si illi, qui hoc istius causſa decreuerunt, Equites Ro. nunc ĩdem in eum Iudices essent, istum sine dubio condemnarent, de quo literas eas, quæ istius furta indicarent, & ad se missas, & suo decreto remotas scirent esse. Quem igitur ab ijs Equitibus Ro. qui istius causſa cupiunt omnia, qui ab eo benignissimè tractati sunt, condemnari necesse esset: is à vobis, Iudices, nulla vi, aut ratione absolui potest. * Ac ne fortè ea, quæ re-
181 mota de medio, atque erepta vobis sunt, omnia ita condita fuisse, atque ita abdità latuisse videantur, vt hac diligentia, quam ego à me expectari maximè puto, nihil horum inuestigari, nihil assequi potueris. quæ consilio aliquo, aut ratione inueniri potuerunt, inuenta sunt, Iudices: manifestis in rebus hominem iam teneri videbitis. Nam quod in publicanorum causſis vel plurimum ætatis meæ versor, vehementerque illum ordinem obseruo, satis commodè mihi videor eorum consuetudinem vsu,
182 tractandoq; cognouisse. * Itaq; vt hoc comperi, remotas esse literas societatis, habui rationem annorum, per quos iste in Sicilia fuisset: deinde quæsiui, quod erat inuentu facillimum, qui per eosdem annos magistri istius societatis fuissent. apud quos tabulæ fuissent. sciebam enim hanc magistrorum, qui tabulas haberent, consuetudinem esse: vt cum tabulas nouo magistro traderent, exemplæ

lite-

literarum ipsi habere non nollent. Itaque ad L. Vibium Equitem Ro. virum primarium, quem reperiebam magistrum fuisse eo ipso anno, qui mihi maximè quærendus erat, primum veni. sanè homini præter opinionem improuiso incidi. scrutatus sum quæ potui, & quæsiui omnia: inueni duos solos libellos ab L. Canuleio missos socijs ex portu Syracusis, in quibus erat ratio scriptarum mensium complurium, rerum exportatarum istius nomine sine portorio. itaq; obsignaui statim. * erat ex eo genere, quod 183
ego maxime genus ex sociorum literis reperire cupiebam. verum tantum inueni, Iudices, quod apud vos quasi exempli caussa proferre possem: sed tamen quidquid erit in his libellis, quantulumcunque videbitur esse, hoc quidem certè manifestum erit: de cæteris ex hoc coniecturam facere debebitis. Recita mihi quæso hunc primum libellum: deinde illum alterum libellum Canuleij. Iam verò non quæro vnde CCCC. amphoras mellis habueris, vnde tantam Melitensem vestem, vnde quinquaginta tricliniorũ lectos, vnde tot candelabra: non, inquam, iam quæro vnde hæc habueris: sed quo tibi tantum opus fuerit, id quæro. mitto de melle. sed tantumne Melitensium? quasi etiam amicorum vxores: tantum lectorum? quasi etiam omnium istorum villas ornaturus esses. * Cum hæc paucorum mensium ratio in his li- 184
bellis sit, facite vt vobis triennij totius veniat in mẽtem. Sic contendo: ex his paruis libellis apud vnum magistrum societatis repertis, vos iam coniectura assequi posse, cuiusmodi prædo iste in illa prouincia fuerit,

fuerit, quam multas cupiditates, quam varias, quam infinitas habuerit: quantam pecuniam non solum numeratam, verum etiam in huiusce modi rebus positam confecerit: quæ vobis alio loco pla-
185 nius explicabuntur. Nunc hoc attendite. *his exportationibus, quæ recitatæ sunt, scribit HS. LX. socios perdidisse ex vicesima portorij Syracusis. pauculis igitur mensibus, vt hi pusilli & contempti libelli indicant, furta Prætoris, quæ essent HS. duodecies, ex vno oppido solo exportata sunt. cogitate nunc, cum illa sit hæc insula, quæ vndique exitus maritimos habeat: quid ex cæteris locis exportatum putetis? quid Agrigento? quid Lilybæo? quid Panormo? quid Thermis? quid Halesa? quid Catina? quid ex cæteris oppidis? quid verò Messana? quem iste sibi locum maximè tutum arbitrabatur, vbi animo semper soluto liberoq; erat: quod sibi iste Mamertinos delegerat, ad quos omnia, quæ aut diligentius seruanda, aut occultius exportanda erant, deportaret. His inuentis libellis, cæteri remoti, & diligentius sunt reconditi. nos tamen, vt omnes intelligant hoc nos sine cupiditate agere, his ipsis libellis contenti
186 sumus. *Nunc ad sociorum tabulas accepti & expensi, quas remouere honestè nullo modo potuerunt, & ad amicum tuum Carpinatium reuertemur. Inspiciebamus Syracusis à Carpinatio confectas tabulas societatis, quæ significabant multis nominibus eos homines versuram à Carpinatio fecisse, qui pecuniam Verri dedissent. Erit vobis luce clarius, Iudices, cum eos ipsos produxero, qui dederunt. intelli-

telliget is enim illa tempora, per quæ, cum essent in periculo, precio sefere demerunt: cum societatis tabulis non solum Consulibus, verum etiam mensibus conuenire.* Cum hæc maximè cognosceremus, 187
& iam in manibus tabulas haberemus: repente aspicimus lituras eiusmodi, quasi quædam vulnera tabularum recentia. Statim suspicione offensi, ad ea ipsa nomina oculos animumque transtulimus. erant acceptæ pecuniæ à C. Verrutio, sic tamen, vt vsque alterum, R. literæ constarent integræ, reliquæ omnes essent in litura. alterum, tertium, quartum, permultæ erant eiusmodi nomina. Cum manifestares, cum flagitiosa tabularum atq; insignis turpitudo teneretur: quærere incepimus de Carpinatio, quisnam esset is Verrutius, qui tum tantæ pecuniæ rationem haberet, hærere homo, aduersari, rubere. Quod lege excipiuntur tabulæ publicanorum, quo minus Romam deportentur. vt res quam maximè clara ac testata esse posset, in ius ad Metellum Carpinatium voco, tabulasq; societatis in forum defero. fit maximus concursus hominum: & quod erat Carpinatij nota cum isto Prætore societas ac fœneratio, summè expectabant omnes, quid in tabulis contineretur. * rem ad Metellum de- 188
fero, me tabulas perspexisse sociorum: in his tabulis magnam rationem C. Verrutij permultis nominibus esse, meq; hoc perspicere ex Consulum mensiumq; ratione: hunc Verrutium neq; ante aduentum C. Verris, neque post decessionem quicquam cum Carpinatio rationis habuisse. postulo, mihi respondeat

qui

quis sit iste Verrutius: mercator, an arator, an pecuā-
rius: in Sicilia sit, an decesserit. clamare omnes ex
conuentu, neminem vnquam ex Sicilia fuisse Verru-
tium. ego instare, vt mihi responderet, vbi esset: quis
esset: vnde esset: cur seruus societatis, qui tabulas cō-
fecerit, semper in Verrutij nomine certo ex loco mē-
189 dosus esset. * Atq; hæc postulabam, non quo illum cogi
putarem oportere, vt ea mihi responderet inuitus: sed
vt omnibus istius furta, illius flagitiū, vtriusq; auda-
cia perspicua esse posset. Itaque illū iniuriæ metu, cō-
scientiaq; peccati mutū, atque exanimatum, ac vix
viuū relinquo: tabulas in foro summa hominum fre-
quentia exscribo: adhibentur in exscribendo de cōuē-
uentu viri primarij: literæ liturāque omnes assimu-
190 latæ, expressæ, de tabulis in libros transferuntur. *
Hæc omnia sūma cura, & diligētia recognita, & col.
lata, & ab hominibus honestissimis obsignata sunt. Si
Carpinatius tū mihi respondere noluit: respondeo mihi
nunc tu, Verres, quē esse hunc tuum pene gentilem
Verrutiū putes. fieri non potest, vt quē video te Prę-
tore in Sicilia fuisse, & quē ex ipsa ratione intelligo
locupletem fuisse, eū tu in tua prouincia nō cognoris.
Atq; adeo hoc ne lōgius, aut obscurius esse posset, pro-
cedit in mediū, explicate descriptionem, imaginēq;
tabularum, vt omnes mortales istius auaritiæ nō in
191 vestigia, sed ipsa cubilia videre possint. * videtis Ver-
rutiū? videtis primas literas integras? videtis extre-
mam partem nominis, caudam illam Verris, tanquam
in luto demersam esse in litura? Sic habent se tabu-
læ, Iudices, vt videtis. Quid expectatis? quid quæritis

ampli-

amplius? tu ipse, Verres, quid sedes? quid moraris? nã aut exhibeas nobis Verrutium necesse est, aut te esse Verrutiũ fateare. Laudãtur oratores veteres Crassi illi, & Antonij, quod crimina diluere dilucidè, quòd copiosè reorũ causas defendere solebant. Nimirum illi non ingemo solum his patronis, se fortunæ etiam præstiterunt. nemo enim tũc ita peccabat, vt defensioni locũ non relinqueret: nemo ita viuebat, vt nulla eius vitæ pars summæ turpitudinis esset expers: nemo ita in manifesto peccato tenebatur, vt cum impudẽs fuisset in facto, tũ impudẽtior videretur, si negaret.

*Nunc vero quid faciat Hortensius? auaritiæne crimina frugalitatis laudibus deprecetur? at hominem flagitiosissimum, libidinosissimum, nequissimumq; defendit. An ab eius infamia, nequitia, vestros animos in aliam partem fortitudinis commemoratione traducat? at homo inertior, ignauior, magis vir inter mulieres nequam, quàm impura inter viros muliercula, proferri non potest. At mores commodi. quis contumacior? quis inhumanior? quis superbior? At hæc sine cuiusquam malo. quis acerbior? quis insidiosior? quis crudelior vnquam fuit? In hoc homine atque in eiusmodi causa, quid facerent omnes Crassi & Antonij? tantum opinior, Hortensi, ad caussam nõ accederent, ne in alterius impudentia sui pudoris existimationem amitterent. liberi enim ad causas solutiq; veniebant: neq; committebant, vt si impudentes in defendendo esse voluissent, ingrati in deserendo existimarentur.

192

M. T.

M. T. C.

ACCVSATIONIS IN C. VERREM LIBER V.

OMNES qui alterum, Iudices, nullis impulsi inimicitijs, nulla priuatim læsi iniuria, nullo præmio adducti, in iudicium Reip. causa vocant, prouidere debent, non solum quid oneris in præsentia tollant, sed etiam quantum in omnem vitam negocij suscipere conentur. legem enim sibi ipsi indicunt innocentiæ, continentiæ, virtutumque omnium, qui ab altero rationem vitæ reposcunt: atque eo magis, si id, vt ante dixi, faciunt nulla re commoti alia, nisi vtilitate communi. * Nam qui sibi hoc sumpsit, vt corrigat mores aliorum ac peccata reprehendat, quis huic ignoscat, si qua in re ipse abre ligione officij declinarit? Quapropter hoc etiã magis ab omnibus eiusmodi ciuis laudandus ac diligendus est, qui non solum Reip. ciuem improbum remouet, verum etiam se ipsum eiusmodi fore profitetur, ac præstat, vt sibi non modo communi voluntate virtutis atq; officij, sed etiam vt quadam magis necessaria ratione rectè sit honestèq; viuendum. * Ita hoc, Iudices, ex homine clarissimo atq; eloquẽtissimo L. Crasso sæpè auditum est, cum se nullius rei tam pœnitere diceret, quàm quòd C. Carbonem vnquam in iudicium

tium vocauisset. minus enim liberas omnium voluntates rerum habebat: & vitam suam pluribus quàm vellet, obseruari oculis arbitrabatur. Atque ille his præsidijs ingenij fortunæq; munitus, tamen hac cura continebatur, quam sibi nondum confirmato consilio, sed ineunte ætate susceperat. quo minus etiam perspicitur eorum virtus & integritas, qui ad hanc rem adolescentuli, quàm qui iam firmata ætate destendunt. illi enim, antequam potuerunt existimare, quanto liberior vita sit eorum, qui neminem accusarint, gloriæ caussa atq; ostentationis accusant: nos, qui iam & quid facere, & quantulum iudicare possemus, ostendimus, nisi facilè cupiditates nostras teneremus, nunquam ipsimet nobis præcideremus istam licentiam libertatemq; viuendi.* Atq; hoc ego plus 4
oneris habeo, quàm qui cæteros accusarunt (si ouus est id appellandum, quòd cum lætitia feras ac voluptate) veruntamen hoc ego amplius suscepi, quam cæteri: quòd ita postulatur ab omnibus, vt ab ijs se abstineant maximè vitijs, in quibus alterum reprehenderunt. furem aliquem, aut rapacem accusaris: vitanda tibi semper erit omnis auaritia suspitio. maleficum quempiam adduxeris, aut crudelem: cauendum erit semper, ne qua in re asperior aut inhumanior fuisse videare. corruptorem, adulterum: prouidendum diligenter, ne quod in vita vestigium libidinis appareat. omnia postremo, quæ vindicaris in altero, tibi ipsi vehementer fugienda sunt. Etenim non modo accusator, sed ne obiurgator quidem ferendus est is, qui quod in altero vitium reprehen-

§ dit, in eo ipse deprehenditur. * Ego in vno homine omnia vitia, quæ possunt in homine perdito nefarioque esse, reprehendo: nullum esse indicium libidinis, sceleris, audaciæ, quod non in vnius istius vita perspicere positis. Ego in isto reo legem hanc, Iudices, mihi statuo: viuendum ita esse, vt iste non modo factis dictisq; omnibus, sed etiam oris oculorumq; illa contumacia ac superbia, quam videtis, dissimillimus esse ac semper fuisse videar. patior non molestè, Iudices, eam vitam, quæ mihi suâ sponte antea iucunda fuerit, nunc iam mea lege & conditio-
6 ne necessariam quoq; futurã. * Et in hoc homine sæpè à me quæris, Hortensi, quibus inimicitijs, aut qua iniuria adductus, ad accusandum descenderim? mitto iam rationem officij mei, necessitudinisq; Siculorum: de ipsis tibi inimicitijs respondeo. an tu maiores vllas inimicitas putas esse, quàm contrarias hominum sententias ac dissimilitudines studiorum & voluntatum? Fidem sanctissimam in vita qui putat, potest ei non inimicus esse, qui Quæstor Consulem suum, consilijs commissis, pecunia tradita, rebus omnibus creditis, spoliare, relinquere, prodere, oppugnare ausus sit? pudorem & pudicitiam qui colit, potest animo æquo istius quotidiana adulteria, meretriciam disciplinam, domestica cum lenocinium videre? qui religiones deorum immortalium retinere vult, ei qui fana spoliarit omnia, qui ex Thensarum orbitis prædari sit ausus, inimicus non esse qui potest? qui iure æquo omnes putat esse oportere, is tibi non infestissimus sit, cum cogitet varietatem

tem libidinemq, decretorum tuorum? qui sociorum iniurijs prouinciarumque incommodis doleat, is in te non expilatione Asiæ, vexatione Pamphiliæ, squalore & lachrymis Siciliæ concitetur? qui ciuium Romanorum iura ac libertatem sanctam apud omnes haberi vult, is non tibi plus etiam, quam inimicus esse debeat, cum tua verba, cum secures, cum cruces ad ciuium Romanorum supplicia fixas recordetur? * An si qua in re contra rem meam de- 7
cresset aliquid iniuria, iure me ei inimicum esse arbitrarer: cum omnia contra omnium bonorum rem, causam, rationem, vtilitatem, voluntatemque fecerit, quæris cur ei sim inimicus, cui Populus Rom. infestus sit? qui præsertim plus etiam, quàm pars virilis postulat, pro voluntate Pop. Rom. oneris ac muneris suscipere debeam. Quid illa, quæ leuiora videntur esse non cuiusuis animum possunt mouere? quòd ad tuam ipsius amicitiam cæterorumq, omnium maiorum atque nobilium faciliorem aditum iste habet nequitia & audacia, quàm cuiusquam nostrum virtus & integritas. odistis hominum nouorum industrias: despicitis eorum frugalitatem: pudorem contemnitis: ingenium verò & virtutem depressam extinctamq, cupitis. * Verrem ama- 8
tis. ita credo: si nou virtute, non industria, non innocentia, non pudore, non pudicitia: at sermone, at literis, at humanitate eius delectamini. nihil horum est, contraq, sunt omnia, cum summo dedecore ac turpitudine, tum singulari stultitia atq, inhumanitate oblita. huic homini si cuius domus patet, vtrum

capatere, an biare, ac poscere aliquid videtur? hunc vestri ianitores, hunc cubicularij diligunt: hunc liberti vestri, hunc serui ancillæq; amant: hic cum venit, extra ordinem vocatur: hic solus introducitur, cæteri sæpè frugalissimi homines excluduntur. ex quo intelligi potest, eos vobis esse charissimos, qui ita vixerunt, vt sine vestro præsidio salui esse non 9 possint? *Quid? hoc cuiquam ferendum putas esse? nos ita viuere in pecunia tenui, vt prorsus nihil acquirere velimus: vt dignitatem nostram, Populique Ro. beneficia non copijs, sed virtute tueamur: illum rebus omnibus vndique ereptis impune eludentem circumfluere atq; abundare? huius argento domos vestras, huius signis & tabulis forum comitiumq; ornari? præsertim cum vos vestro Marte his rebus omnibus abundetis? Verrem esse, qui vestras villas suis manubijs ornet? Verrem esse, qui cum L. Mummio certet, vt plures hic sociorum vrbes, quàm ille hostium spoliasse videatur: plures hic solus villas ornamentu fanorum, quàm ille fana spolijs hostium ornasse? & is erit ob eam rem vobis charior, vt cæ-
18 teri libentius suo periculo vestris cupiditatibus seruiant? *Verum hæc dicentur alio loco, & dicta sunt: nunc proficiscemur ad reliqua, si pauca antè erimus à vobis, Iudices, deprecati. superiore omni oratione perattentos vestros animos habuimus. id fuit nobis gratum admodum: sed multò erit gratius, si reliqua voletis attendere: propterea quòd in his omnibus, quæ antea dicta sunt, erat quædam ex ipsa varietate ac nouitate rerum ac criminum delectatio. nunc

tra-

tractare causam instituimus frumentariam: quæ magnitudine iniuriæ ferè criminibus cæteris antecellit: iucunditatis in agendo, & varietatis minus habebit. vestra autem autoritate & prudentia dignissimum est, Iudices, in audiendo diligentiam non minus religioni tribuere, quàm voluptati. * In hac caussa frumentaria cognoscenda hæc vobis proponite, Iudices, vos de rebus fortunisq; Siculorum omnium, de ciuium Rom. qui arant in Sicilia, bonis, de vectigalibus à maioribus traditis, de vita victuque Pop. Rom. cognituros. quæ si magna atq; adeo maxima vobis videntur, quàm variè, & quàm copiosè dicantur, expectare nolite. Neminem vestrum præterit, Iudices, omnem vtilitatem opportunitatemq; prouinciæ Siciliæ, quæ ad commoda Po. Rom. adiuncta sit, consistere in re frumentaria maximè: in cæteris rebus adiuuamur exilla prouincia, hac verò alimur ac sustinemur. * Ea caussa tripertita, Iudices, erit in accusatione. primum enim de decumano, deinde de empto dicemus frumento: postremo de æstimato. Inter Siciliam cæterasque prouincias, Iudices, in agrorum vectigalium rationibus hoc interest, quòd cæteris aut impositum vectigal est certum, quod stipendiarium dicitur, vt Hispanis & plerisq; Pœnorum, quasi victoriæ præmium ac pœna belli: aut censorea locatio constituta est, vt Asiæ, lege Sempronia. Siciliæ ciuitates sic in amicitiã fidemq; recepimus, vt eodem iure essent, quo fuissent: eadem conditione Po. R. parêrent, qua suis antea paruissent. * perpaucæ Siciliæ ciuitates sũt bello à maioribus nostris

stris subacta, quarum ager cum esset pubicus Pop. Ro. factus, tamen illis est redditus, is ager à Censoribus locari solet. Fœderatæ ciuitates duæ sunt, quarũ decumæ venire non soleant, Mamertina & Tauromenitana, quinque præterea sine fœdere immunes ciuitates ac liberæ, Centuripina, Halesina, Segestana, Haluyensis, Panormitana. præterea omnis ager Siciliæ ciuitatum decumanus est, itemque ante imperium Po. Ro. ipsorum Siculorum voluntate & institutis fuit. * Videte nunc maiorum sapientiam: qui cum Siciliam tam opportunum subsidium belli atque pacis ad Remp. adiunxissent, tanta cura Siculos tueri, & retinere voluerunt: vt non modo eorum agris vectigal nouum nullum imponerent, sed ne legem quidem venditionis decumanarum, neue vendundis aut tempus aut locũ cõmutarent, vt certo tempore anni, vt ibidem in Sicilia, demq; vt lege Hieronica venderent. voluerunt eos in suis rebus ipsos interesse: eorum animos, non modo lege noua, sed ne nomine quidem legis nouo cõmoueri. * Ita decumas lege Hieronica semper vendendas censuerunt, vt ijs iucundior esset muneris illius functio, si eius regis qui Siculis clarissimus fuit, non solum instituta commutato imperio, verum etiam nomen maneret. hoc iure ante Verrem Praetorem Siculi semper vsi sunt: hic primus institutæ omnium, consuetudinem à maioribus traditam, conditionem amicitiæ, ius societatis, conuellere, & commutare ausus est. * Qua in re primum illud reprehendo, & accuso, cur in re tam veteri, tam vsitata quicquam noui feceris?

vis? ingenio aliquid assecutus es? tot homines sapientissimos, qui illam prouinciam ante te tenuerunt, prudentia consilioq; vicisti? Est tuũ, est ingenij prudentiæq; tuæ. do hoc tibi & concedo: scio te Romæ, cum Prætor esses, edicto tuo possessiones hæreditatũ à libero tum ad alienos, à primis hæredibus ad secũdos, à legibus ad libidinem tuam transtulisse: scio te edicta superiorum omnium correxisse, & possessiones hæreditatum non secundum eos qui proferrent, sed secundum eos qui dicerent testamentum factum, dedisse: easque res nouas abs te prolatas, & inuentas magno tibi quæstui fuisse scio. eundemque te memini Censorias quoque leges in sartis tectis exigendis tollere & commutare, ne is redimeret, cui ares esset: ne pupillo tutores propinquique consulerent, quo minus fortunis omnibus euerteretur: exiguam diem præfiniri operi, quæ cæteros ab negocio excluderes, ipse in tuo redẽptore nullam certã diem observares. * Quamobrem nouam legem 17
te in decumis statuisse non miror, hominem in edictis Prætorijs, in Censorijs legibus tam prudentem, tam exercitatum. non, inquam, miror, te aliquid excogitasse: sed quod tua sponte, inituſſu populi, sine Senatus autoritate iura prouinciæ Siciliæ mutaris, id reprehẽdo, id accuso. * L. Octauio & C. Cotta Consuli- 18
bus Senatus permisit, vt vini, & olei decumas, & frugum minutarum, quas antè te Quæstores in Sicilia vendere consuessent, Romæ venderent, legemque his rebus, quam ipsis videretur, ederent. Cùm locatio fieret, publicani postularunt, quasdam

ves vt ad legem adderent, neque tamen à Censorijs cæteris legibus recederent. contradixit is, qui casu tum Romæ fuit, tuus hospes, Verres, hospes, inquam, & familiaris tuus Sthenius hic Thermitanus. Consules causſam cognouerunt: cum viros primarios ciuitatis multos in Consilium aduocassent, de consilij sententia pronunciarunt, se lege Hieronica
19 vendituros.* Itanè verò? prudentissimi viri, summa autoritate præditi, quibus Senatus legum dicendarum in locandis vectigalibus omnem potestatem permiserat, Populusque Romanus idem iusserat, Siculo vno recusante, cum amplificatione vectigalium, nomen Hieronicæ legis mutare noluerunt: tu homo minimi consilij, nullius autoritatis, iniussu
20 populi ac Senatus, tota Sicilia recusante, cum maximo detrimento atque adeo exitio vectigalium, totam Hieronicam legem sustulisti?* at quam legem corrigit, Iudices, atque adeo totam tollit? acutissimè ac diligentissimè scriptam, quæ omnibus custodijs subiectum aratorem Decumano tradit, vt neq; in segetibus, neque in areis, neque in horreis, neque in amouendo, neque in asportando frumento, grano vno posset arator sine maxima pœna fraudare Decumanum. scripta lex ita diligenter est, vt eum scripsisse appareat, qui alia vectigalia non haberet: ita acutè, vt Siculum: ita seuerè, vt Tyrannum: qua lege Siculis tamen arare expediret. nam ita diligenter constituta sunt iura Decumani, vt tamẽ ab inuito aratore plus decuma non possit auferri.
21 * Cum hæc essent ita constituta, Verres tot annis atque

que adeo seculis inuentus est qui hæc non cõmutarit sed euerterit: eaq;, quæ iam diu ad salutem sociorũ vtilitatemque Reip. composita comparataq; essent, ad suos improbiss. mos quæstus conuerterit: qui primum certos instituerit, nomine Decumanos, re vera ministros ac satellites cupiditatum suarum: per quos ostendam sic prouinciam per triennium vexatam atq; vastatam, Iudices, vt eã n. ullis annis multorũ innocentia sapientiaq; recreare nequeamus.

*Eorum omnium, qui Decumani vocabantur, prin- 22
ceps erat Q. ille Apronius, quem videtis: de cuius improbitate singulari grauiss. marũ legationũ querimonias audistis. aspicite, Iudices, vultum hominis & aspectum: & ex ea contumacia, quam hic in perditis rebus retinet, illos eius spiritus Sicilienses quos fuisse putetis, cogitate ac recordamini. hic est Apronius, quem in prouincia tota Verres, cũ vndiq; nequissimos homines conquisisset, & cum ipse secum sui similes duxisset non parum multos, nequitia, luxuria, audacia, sui similimum iudicauit. itaque istos inter se perbreui tempore, non res, non ratio, non commendatio aliqua, sed studiorum turpitudo simulitudoq; cõiunxit. *Verris mores im- 23
probos impuroſque nostis: fingite vobis, si potestis, aliquem, qui in omnibus istis rebus par ad omnium flagitiorum nefarias libidines esse possit: is erat Apronius ille: qui, vt ipse non solum vita, sed etiam corpore atq; ore significat, immensa aliqua vorago est, aut gurges vitiorum turpitudinumque omnium. hunc in omnibus Verris, hũc in fanorũ expi-

lationibus, hunc in impuris cõuiuijs principem adhibebat: tantamq; habebat morum similitudo coniunctionem atque concordiam, vt Apronius, qui aliijs inhumanus ac barbarus, isti vni cõmodus ac diſſertus videretur: vt quem omnes odiſſent, neque videre vellent, ſine eo iſte eſſe non poſſet. vt cũ alijs ne cõuiuijs quidem ijſdem, quibus Apronius, hic ijſdem etiã poculis vteretur: poſtremo vt odor Apronij teterrimus oris & corporis, quem (vt aiunt) ne beſtiæ quidẽ ferre poſſent, vni iſti ſuauis, & iucundus videretur. Ille erat in tribunali proximus, in cubiculo ſocius, in conuiuio dominus: ac tũ maximè, cũ accubante prætextato Prætoris filio, in conuiuio ſaltare nudus cœperat. Hunc, vti dicere inſtitui, principẽ Verres ad euertendas fortunas aratorum, vexandas diripiendaſque eſſe voluit: huius audaciæ, nequitiæ, crudelitati, fideliſſimos ſocios optimoſq; ciues ſcitote hoc Pr. traditos. Iudices, atque addictos fuiſſe, nouis inſtitutis & edictis, tota Hieronica lege (quemadmodum antea dixi) reiecta & repudiata. * Primum edictum, Iudices, audite præclarum: quantum Decumanus ediderit aratorem ſibi decumas dare oportere, vt tantum arator Decumano dare cogeretur. Quomodo? quantum popoſcerit Apronius, dato. quid eſt hoc? virum Prætoris inſtitutum in ſocios, an in hoſtes victos inſani edictum atq; imperium tyranni? ego tantundem, quantum ille popoſcerit: poſcet omne quantum exarauero. quid omne? Plus imò etiam, inquiet, ſi volet. Quid tum? quid cenſes? aut dabo, aut contra edictum feciſſe

cisse damnabere. Per deos immortales quid, quid
est hoc? verisimile enim non est. *sic mihi persuadeo, 26
Iudices: tametsi omnia in istum hominem conueni-
re putetis, tamen hoc vobis falsum videri. ego enim
cum hoc tota Sicilia diceret, tamen affirmare non
auderem, si haec edicta non ex ipsius tabulis totidem
verbis recitare posse m. sicuti faciam. da, quaeso, Scri-
bae, recitet ex codice. Recita edictum de professione.
Negat me recitare totum, nam id nutu significare
videtur. Quid praetereo? an illud vbi caues tamẽ Si-
culis, & miseros respicis aratores? edicis enim te in
Decumanum, si plura sustulerit quam debitum sit,
in octuplum iudicium daturum esse. nihil mihi pla-
cet praetermitti. recita hoc quoque, quod postulat,
totum, Recita edictum, de iudicio in octuplum. Iu-
dicio vt arator Decumanum persequatur? miserum
atq; iniquum ex agro homines traduci in forum, ab
aratro ad subsellia, a vsu rerum rusticarũ ad in so-
litam litem atq; iudicium. *cum omnibus in alijs 27
vectigalibus, Asiae, Macedoniae, Hispaniae, Galliae, Afri-
cae, Sardiniae, ipsius Italiae quae vectigalia sunt: cum
in his, inquam, rebus omnibus publicanus petitor ac
pignerator, non creptor neq; possessor soleat esse: tu
de optimo, de iustissimo, de honestissimo genere ho-
minum, hoc est, de aratoribus, ea iura constituebas,
quae omnibus alijs essent contraria. Vtrum est aequi-
us, Decumanum petere, an aratorem repetere? iudi-
cium integra re an perdita fieri? eum, qui manu
quaesierit, an eum qui digito licitus sit, possidere?
Quid qui in singulis iugis arant, qui ab opere ipsi non

re-

recedunt, quo in numero magnus ante te Prætorem numerus, magna multitudo Siculorum fuit. quid facient? cùm dederint Apronio quod poposcerit, relinquent aratores? relinquent larem familiarem suum? venient Syracusas, vt te prætore videlicet,
28 a quo iure Apronium, delicias, ac vitam tuã, iudicio recuperatorio persequantur? *Verum esto, reperietur aliquis fortis, experiens arator, qui cum tantum dederit Decumano quantum ille deberi dixerit, iudicio repetat, & pœnam octopli persequatur. expecto vim edicti, seueritatẽ Prætoris: faueo aratori, cupio octupli damnari Apronium. Quid tandem postulat arator? nihil nisi exedicto iudicium in octuplum. quid Apronius? non recusat. quid Prætor? iubet recuperatores reijcere decurias. scribamus quas decurias. de cohorte mea reijcies, inquit. Quid? ista cohors quorum hominũ est? Volusij Aruspicis, & Cornelij Medici, & horum canũ, quos tribunal meum vides lambere. Nam de conuentu nullum vnquam Iudicem, nec Recuperatorẽ dedit: miquos Decumanis omnes dicebat esse, qui vnam agri glebam possiderent. veniendum erat ad eos contra Apronium, qui nondum etiam Aproniani conuiuij crapulam exhalassent. O præclarum & commemorandum iudicium. O seuerum edictum, O tutum
29 perfugium aratorum. *Atque vt intelligatis cuiusmodi ista iudicia in octuplum, cuiusmodi istius de cohorte recuperatores existimati sint: sic attẽdite, ecquem putatis Decumanum hac licentia permissa vt tantum ab aratore quantum poposcisset, auferret,

ret, plus quam deberetur popoſciſſe? conſiderate cũ veſtris animis voſmetipſi, ecquem putetis? præſertim cum id non ſolum ſine auaritia, ſed etiam impudentia accidere potuerit, multos neceſſe eſt. At ego omnes dico plus quam decumas abſtuliſſe. Cedo mihi vnum ex triennio Prætura tua, qui octupli damnatus ſit. damnatus? imo verò in quem iudicium ex edicto tuo poſtulatum ſit. Nemo erat videlicet aratorum, qui iniuriam ſibi factam quæri poſſet: nemo Decumanorum, qui grano amplius ſibi quam deberetur, deberi profeſſus eſſet. imo verò contra, rapiebat, & aſportabat quantum à quoque volebat, Apronius: omnibus autem locis aratores ſpoliati ac vexati querebantur: neque tamen vllum iudicium reperietur. *Quid eſt hoc? viri fortes, honeſti, gratioſi, tot Siculi, tot Equites Rom. ab homine nequiſſimo ac turpiſſimo læſi, pœnam octupli ſine vlla dubitatione commiſſam non perſequebantur? qua cauſſa? qua ratio eſt? vna illa, Iudices, quam videtis, quod vltro etiam illuſos ſe & irriſos ab iudicio diſceſſuros videbant. etenim quod eſſet iudicium, cum è Verris turpiſſimo flagitioſiſſimoq; comitatu tres Recuperatorum nomine aſſediſſent, aſſeclæ iſtius non à patre ei traditi, ſed à meretricula commendati? *ageret videlicet cauſſam arator. nihil ſibi frumenti ab Apronio relictum, bona ſua etiam direpta, ſe pulſatum verberatumq; diceret. conferrent viri boni capita: de commeſſatione loquerentur inter ſe ac de mulierculis, ſi quas à Prætore abeuntes poſſent deprehendere: res agi vi-

de-

deretur. surrexisset Apronius, noua dignitas pulicani, nõ vt decumanis squaloris plenus ac pulueris, sed vnguẽtis oblitus, vino vigilijsq; languidus: omnia primo motu ac spiritu suo, vini, vnguenti, corporis odore complesset: dixisset hac, quæ vulgo dicere solebat, non se decumas emisse, sed bona fortunasq; aratorum: non se Decumanum esse Apronium, sed Verrem alterum, dominum illorum ac tyrannum. quæ cũ dixisset, illi viri optimi de cohorte istius Recuperatores, non de absoluendo Apronio deliberarent, sed quærerent, quomodo petitorem ipsum Apronio
32 commendaret. * Hanc tu licentiam diripiendorum aratorum cum Decumanis, hoc est, Apronio permisisses, vt quantum vellet posceret, quantũ poposcisset, auferret. Hoc tibi defensionis ad iudicium tuum comparabas? habuisse te edictum, Recuperatores daturum in octuplum? si me hercule ex omni copia conuentus Syracusani splendidissimorum hominum honestissimorumq; faceres potestatem aratori, non modo reijciendi, sed etiam sumendi Recuperatores: tamen hoc nouum genus iniuriæ ferre nemo posset, te, cum tuos omnes fructus publicano tradidisses, & rem de manibus amisisses, tum bona tua repetere ac perse-
33 qui lite atq; iudicio. * cum verò verbo iudicium sit in edicto, re quidem vera tuorum comitum hominum nequissimorum collusio cum Decumanis socijs tuis, atque adeo procuratoribus, tamen audes illius iudicij mentionem facere? præsertim cum id non modo oratione mea, sed etiam re ipsa refellatur?

tur? eum in tantis incommodis aratorum, iniurijsque Decumanorum, nullum ex isto præclaro edicto non modo factum, sed ne postulatum quidem iudicium inueniatur. * Erit tamen in aratores 34
lenior quàm videtur. Nam qui in Decumanos octupli iudicium se daturum edixit, idem habuit in edicto, se in aratorem in quadruplum daturum. Quis hunc audet dicere arateribus infestum, aut inimicum fuisse? quanto lenior est, quam in publicanum. edixit, vt quod Decumanus edidisset sibi dari oportere, id ab aratore magistratus Siculus exigeret. quid dereliquit iudicij, quod in aratorem dari posset? Non malum est, inquit, esse istam formidinem: vt cum exactum sit ab aratore, tamen ne se commoueat, reliquus metus iudicij sit. si iudicio à me vis exigere, remoue Siculum magistratum si hanc vim adhibes, quid opus est iudicio? quis porrò erit, qui non malit Decumanis tuis dare quod poscerét, quàm ab assecla tuis quadrupli condemnari? * Illa verò præclara est clau- 35
sula edicti, quòd omnium controuersiarum, quæ essent inter aratorem & Decumanum, si vter volet, edicit se Recuperatores daturum. Primum quæ potest esse controuersia, cum is qui petere debet, aufert? & cum is non quantum debetur, sed quantum commodum est, auferat? Ille autem vnde ablatum est, iudicio suum recuperare nullo modo potest? deinde in hoc homo lynceus etiam callidus at veterator esse vult, quòd ita scribit, Si vter volet, Recuperatores dabo. quàm lepide se furari putat? vtrique

facit

facit potestatem. sed vtrum ita scripserit, Si vter volet, an si Decumanus volet, nihil interest, arator
36 enim tuos istos Recuperatores nūquid volet? *Quid? illa cuiusmodi sunt, quæ ex tempore ab Apronio admonitus, edixit? Q. Septitio honestissimo homine, Equiteq; Rom. resistente Apronio, & affirmante se plus decuma nōn daturum, exoritur peculiare edictum repentinum, ne quis frumentū de area tolleret, ante quàm cum Decumano pactus esset. Ferebat hanc quoq; iniquitatem Septitius, & imbri frumentum corrumpi in area patiebatur: cum illud edictum repente vberrimum, & quæstuosissimum nascitur, vt ante Cal. Sext. omnes decumas ad aquam
37 deportatas haberent. *Hoc edicto, non Siculi (nam eos quidem iam superioribus edictis satis perdiderat atq; afflixerat) sed isti ipsi Equites Ro. quos suum ius retinere sē cōtra Apronium posse erant arbitrati, splendidi homines, & alijs Prætoribus gratiosi, vincti Apronio traditi sunt, attendite enim cuiusmodi edicta sunt. Ne tollat, inquit, ex area, nisi erit pactus. Satis hæc magna vis est ad iniquè pacisc endum. malo enim plus dare, quàm non maturè ex area tollere. At ista vi Septitium, & nonnullos Septitij similes non coērcet, qui ita dicunt, non tollam potius, quàm paciscor. bis hoc apponitur, Deportatum habeas ante Cal. Sextiles. deportabo igitur. Nisi pactus eris, non cōmouebis. sic deportandi dies præstituta tollere cogebat ex area: cohibitio tollendi, nisi pactus esset, vim adhibeat pactioni, non
18 voluntati. *Iam verò illud non solum contra legē

Hie-

Hieronicã, nec solum contra consuetudinẽ superiorum, sed etiam contra omnia iura Siculorum, quæ habent à Senatu, Populoq; Rom. ne extra suum forum vadimonium promittere cogantur. Statuit iste, vt arator Decumano, quò vellet Decumanus, vadimonium promitteret: & hic quoque Apronio, cũ ex Leontino vsq; Lilybæum aliquem vaderetur, ex miseris aratoribus calumniandi quæstus accederet. Quanquam illa fuit ad calumniam singulari consilio reperta ratio, quod edixerat, vt aratores iugera sationum suarum profiterentur. Quæ res cum ad pactiones iniquissimas magnam vim habuit, sicut ostendemus, nec ad vllã vtilitatem Reip. pertinuit: tum verò ad calumnias, in quas omnes incideremus, quos vellet Apronius. *vt enim quisq; cõtra voluntatem eius dixerat; ita in eum iudicium de professione iugerum postulabatur. cuius iudicij metu magnus à multis frumenti humerus ablatus, magnaq; pecuniæ coactæ sunt. non quò iugerum numerũ verè profiteri esset difficile, aut amplius etiam profiteri (quid enim in eo periculi esse posset?) sed caussa erat iudicij postulandi, quod ex edicto professus non esset. iudicium autem quod fuerit isto Prætore, si quæ cohors, & qui comitatus fuerit, meministis, scire debetis. Quid igitur est quod ex hac iniquitate nouorum edictorum intelligi velim, Iudices? iniuriamne factam socijs? at videtis. autoritatem superiorum repudiatam? non audebit negare. tantum Apronium isto Prætore potuisse? confiteatur necesse est. *Sed vos fortasse, quod vos lex cõmonet,

32

id in hoc loco quæretis: num quas ex hisce rebus pecunias ceperit, docebo cepisse maximas, omnesq; eas iniquitates, de quibus antea dixi, sui quæstus caussa constituisse conuincam: si prius illud propugnaculum, quo contra omnes meos impetus vsurum se putat, ex defensione eius deiecero. Magno, inquit, decumas vendidi. quid ais? an tu decumas, homo audacissime, atq; amentissime, vendidisti? tu partes eas, quas te S. P. Q. R. voluit? an fructus integros atque adeò bona, fortunasq; aratorum omnes vendidisti? Si palàm præco iussu tuo prædicasset, non decumas frumenti, sed dimidias venire partes: & ita emptores accessissent, vt ad dimidias partes emendas: si pluris vendidisses tu dimidias, quàm cæteri decumas, cuinam mirum videretur? Quid verò? si præco decumas pronunciauit, re vera, hoc est lege, edicto, cõditione plus etiã quàm dimidiæ venierũt: tamen hoc tibi præclarum putabis, te pluris quod non licebat, quã cæteros quod oportebat, vendidisse.* Pluris vendidi decumas quam cæteri: Quibus re- 14
bus id assecutus es? innocentia? aspice ædem Castoris: deinde, si audes, fac mentionem innocẽtiæ: diligentia? codicis lituras tuis contemplari in Sthenij Thermitani nomine: deinde aude te dicere diligentem: ingenio? qui testes interrogari priore actione noluerit, & ijs tacitum os tuum præbere malueris, quantumuis & te & patronos tuos ingeniosos esse dicito. Quare igitur id quod ais assecutus es? magna est enim laus, si superiores consilio vicisti, post- erioribus exemplum atque autoritatem reliquisti,

tibi

tibi fortasse idoneus fuit nemo, quem imitarere. at te videlicet inuētorem rerum optimarum, ac principem imitabūtur omnes. *Quis aratorū te Praetore 42
decumam dedit? quis duas? quis non maximo se affectum beneficio putauit, cum tribus decumis pro vna defungeretur? praeter paucos, qui propter societatem furtorum tuorum nihil omnino dederūt. Videte inter importunitatē tuam, Senatusq; bonitatem quid interfit. Senatus, cum temporibus Reip. cogitur vt decernat, vt alterae decumae exigantur: ita decernit, vt pecunia prohis decumis soluatur aratoribus: vt quod plus sumitur quàm debetur, id emi non auferri putetur. tu cum tot decumas non S.C. sed nouis edictis tuis, nefariisq; institutis exigeres & eriperes: magnum te feciſſe arbitrabere, si plurus vendideris, quàm L. Hortensius pater istius Q. Hortensij, quam Cn. Pompeius, quàm M. Marcellus: qui ab aequitate, ab lege, ab institutis, non receſſerunt? *An tibi vnius anni aut biennij ra- 43
tio habenda fuit? salus prouinciae, commoda reifrumentariae ratio Reip. imposterum fuit negligenda, cum itarem constitutam accepisses, vt & Populo Romano satis frumenti ex Sicilia suppeditaretur, & aratoribus tamen arare atq; agros colere expediret. Quid effeciſti? quid assecutus es? vt Pop. Rom. Praetore te, nescio quid ad decumas accederet. deserendas arationes relinquendasq; curasti. Succeſsit tibi L. Metellus. tu innocentior quā Metellus? tu laudis & honoris cupidior? tibi enim Consulatus quarebatur, Metello paternus honor & aui-

tus negligebatur, multo minoris vendidit, non modo quàm tu, sed etiam quàm qui ante te vendiderunt. Quaro si ipse excogitare non poterat, quemadmodum quàm plurimo venderet: ne tua quidem recẽtia proximi Prætoris vestigia persequi poterat, vt tuis præclaris, abs te principe inuentis, & excogitatis edictis, atq; institutis vteretur? 44 Ille verò tum se Metellum minimè fore putasset, si te vlla in re imitatus esset, qui ab vrbe Roma, quod nemo vnquam post hominum memoriam fecit, cum sibi in prouinciam proficiscendum putaret, literas ad Siciliæ ciuitates misit, per quas hortatur, & rogat, vt arent, vt seramt: in beneficio populi Romani hoc petit aliquanto ante aduentum suum: & simul ostendit se lege Hieronica venditurum, hoc est in omni ratione decumarũ nihil isti simile facturum. atq; hæc nõ cupiditate aliqua scribit adductus: vt in alienã prouinciã mittat literas ante tẽpus, sed consilio: ne si tẽpus sationis præterijsset, grauum in prouincia Sicilia nullũ haberemus. 45 *Cognoscite Metelli literas. Recita epistolã L. Metelli. Hæ literæ, Iudices, L. Metelli quas audistis, hoc quantum est ex Sicilia frumenti hornotini exarauerunt. glebam commosset in agro decumano Siciliæ nemo, si Metellus hanc epistolam non misisset. Quid? Metello diuinitus hoc venit in mentem? an ab Siculis, qui Romã frequentissimi conuenerant negotiatoribusq; Siciliæ doctus est? quorum quanti conuentus ad Marcellos antiquissimos Siciliæ patronos, quanti ad Cn. Pompeium COS. designatum, cæterosq; illius prouinciæ ne-

necessarios, fieri soliti sint, quis ignorat? quod quidem iudicium nullo vnquam de homine factum est, vt absens accusaretur, ab iis palam, quorum in bona liberosq; summum imperiū potestatemq; haberet. tanta vis erat iniuriarum, vt homines quidvis perpeti, quàm non de istius prauitate & iniuriis deplorare & conqueri mallent. * Quas literas cum ad 46
omnes ciuitates propè suppliciter misisset Metellus, tamen antiquum modū sationis nulla ex parte exequi potuit. diffugerant enim permulti. id quod ostendam: non solum arationes, sed etiam sedes suas patrias istius iniuriis exagitati reliquerant. Non me hercule criminis augēdi causa dicā, Iudices, sed quem accepit ipse oculis animoq; sensum, hunc verè apud vos, & vt potero planissimè exponam. * Nā 47
cum quadriennio post in Siciliam venissem, sic mihi affecta visa est, vt hæ terræ solent, in quibus bellum acerbum diuturnumq; versatum est. quos ego campos antea, collesque nitidissimos, viridissimosque vidissem, hos ita vastatos nunc ac desertos videbā, vt ager ipse cultorem desiderare, ac lugere dominū videretur. Herbitensis ager & Ennensis, Murgentius, Assorinus, Macharensis, Agyrinensis ita relictus erat ex maxima parte: vt non solum iugerum sed etiam dominorum multitudinem quæreremus. Aetnensis verò ager, qui solebat esse cultissimus: & quod caput est rei frumentariæ, campus Leontinus cuius antea spes hæc erat, vt cum obsitum vidisses, annonæ caritatem non vereres: sic erat deformis atq; horridus, vt in vberrima Siciliæ parte Siciliam

quæreremus. labefactarat enim vehementer aratores iam superior annus: proximus verò funditus e-
48 uerterat. *tu mihi etiã audes mẽtionem facere decumarum? tu in tanta acerbitate, in tot & tantis iniurijs, cũ in orationibus, & in earum rerum iure prouincia Sicilia consistat: euersis funditus aratoribus relictis agris, cum in prouincia tam locuplete ac referta nõ modò rem, sed ne spẽ quidem vllã reliquam cuiquã feceris, aliquid te populare putabis habere, cum dices te pluris, quam cæteros, decumas vendidisse? quasi vero aut Po. Ro. hoc voluerit, aut Senatus hoc tibi mandauerit, vt cũ omnes aratorũ fortunas decumarum nomine eriperes, in posterum fructu illo commodoq; rei frumentariæ Po. Ro. priuares. deinde si quam partem tuæ prædæ ad sũmam decumarum addidisses, bene de Po. Ro. meritus viderere. Atque hæc perinde loquor, quasi in eo sit iniquitas eius reprehendenda, quod propter gloriæ cupiditatem, vt aliquos summa decumarum vinceret, acerbiorem legẽ, duriora edicta, interposuerit, omnium superiorum autoritatem repu-
49 diarit. *Magno tu decumas vendidisti. Quid si doceo te non minus domum tuam auertisse, quam Romam misisse decumarum nomine? quid habet populare ratio tua, cum ex prouincia Pop. Ro. aquam partem tu ibi sumpseris, atque P. Rom. miseris? quid si duabus partibus doceo te amplius frumenti abstulisse, quam Pop. Rom. misisse? tamen ne putamus patronum tuum in hoc crimine ceruiculam iactaturum? & populo se ad coronam daturum? Hæc vos

antea, Iudices, audistis: verum fortasse ita audistis, vt autorē rumorem haberetis, sermonemq; omniū: cognoscite nunc innumerabilem pecuniam frumentario nomine ereptam: vt simul illā quoque eius vocem improbam agnoscatis, qui se vno quæstu decumarū omnia sua pericula redempturum esse dicebat. * Audiuimus hoc iam diu, Iudices: nego quēquā esse vestrum, quin sæpe audierit, socios istius fuisse decumanos. nihil aliud arbitror in istum falsò esse dictum ab ijs, qui malè de isto existimarint, nisi hoc. nam socij putandi sunt, quos inter res communicata est. egorem totam fortunasque aratorum omnes, istius fuisse dico, Apronium Veneriosq; seruos, quod isto Pr. fuit nouum genus Publicanorum, cæterosque decumanos, procuratores istius quæstus, & ministros rapinarum dico fuisse. * Quomodo hoc doces? quomodo ex locatione illa columnarū docui istum esse prædatum? opinor ex eo maximè, quod iniquam legem nouamque dixisset. Quis enim vnquam conatus est iura omnia, & consuetudinē omniū commutare cū vituperatione, sine quæstu? Pergam, atque insequar longius. iniqua lege vendebas, quo pluris venderes. cur iam addictis, & venditis decumis, cum iam ad summā decumarū nihil, ad tuū quæstum multum posset accedere, subito atq; extempore noua nascebantur edicta? nam vt vadimonium Decumano, quocunq; is vellet, promitteretur: vt ex area, nisi pactus esset, arator ne tolleret: vt ante Calen. Sextil. decumas deportatas haberēt: hæc omnia, venditis decumis, anno tertio te edixisse dico,

dico, quæsi Reip. caussa faceres, in vendundo essent pronũtiata: quia tua causa faciebas, quod erat imprudentia prætermissũ, id quæstu ac tẽpore admoni-
52 tus reprehendisti.* Illud verò cui probari potest te sine tuo quæstu ac maximo quæstu, tantam tuã infamiam, tãtum capitis tui fortunarumq; periculum neglexisse? vt cũ totius Siciliæ quotidie gemitus querimonias q́ audires: cũ, vt ipse dixisti, reũ te fore putares: cum huiusce iudicij discrimen ab opinione tua nõ abhorreret; paterere tamẽ aratores indignissimis iniurijs vexari ac diripi. profecto quanquã es singulari crudelitate & audacia, tamen abstorã alienari prouinciã, tot homines honestissimos tibi inimicissimos fieri nolles, nisi hanc rationẽ & cogitationem salutis tuæ, pecuniæ cupiditas ac præsẽs
53 illa præda superaret.* Etenim quoniam summã, & numerum iniuriarũ, Iudices, vobis non possum exponere: sigillatim autẽ de vnius cuiusq; incõmodo dicere instituit um est: genera ipsa iniuriarũ quæso cognoscite. Nympho est Centuripinus homo nauus & industrius, experientissimus ac diligẽtissimus arator, is cum arationes magnas conductas haberet (quod homines etiam locupletes, sicut ille est, in Sicilia facere consueuerunt) eaq́ magna impensa, magno instrumento tueretur, tanta ab illo iniquitate oppressus est, vt non modo arationes relinqueret, sed etiam ex Sicilia profugeret, Romamque cum multis vna ab isto electis veniret. fecit vt decumanus Nymphonem vocaret, ex edicto illo præclaro, quod nullam ad aliãrem, nisi ad huiusmodi quæstus per-

pertinebat, numerū iugerū professum nō esse. *Nym- 54
pho cum se vellet æquo iudicio defendere, iste viros optimos recuperatores dat, eundem illum Medicum Cornelium (is est Artemidorus Pergamenus, qui in sua patria dux iste quondam, & magister ad despoliandum Dianæ templum fuit) & Aruspicem Volusianum, & Valerium præconem. Nympho antequam planè constitit, condemnatur. Quanti fortasse quæritis. Nulla erat edicti pœna certa. frumenti eius omnis quod in areis esset. Sic Apronius Decumanus non decumam debitam, non frumentum remotū atq; celatum, sed tritici septem millia medimnū ex Nymphonis aratoribus edicti pœna, non redemptionis aliquo iure, tollit. * Xenonis Meneni nobilissimi 55
hominis vxoris fundus erat colono locatus: colonus quod Decumano eruminimias ferre non poterat, ex agro profugerat. Verres in Xenonem iudicium dabat illud suum damnatorium de iugerum professione. Xenon ad se pertinere negabat, fundum elocatum esse dicebat: dabat iste iudicium: si pateret iugera eiusmodi fundi esse plura, quam colonus esset professus, tum Xeno damnaretur. dicebat ille, non modo non aratum se, id quod satis erat. sed nec dominum eius esse fundi, nec locatorem: vxorem esse, eam ipsam suum negocium gerere, ipsam locauisse. defendebat Xenonem homo summo splendore, & summa autoritate præditus M. Cossetius. iste nihilominus iudicium HS. LXXX. dabat. Ille tametsi Recuperatores de cohorte latronum sibi parari videbat, tamen iudicium accepturum se esse

dicebat. tum iste magna voce Venerijs imperat, vt Xenonem adirent: dū res iudicaretur, hominē vt asservarent. cum iudicatū sit, ad se adducāt. & illud simul dixit se non putare illum, si propter diuitias pœnas damnationis contemneret, etiam virgas contemnere. Hac ille vi & hoc metu adductus, tantum
56 Decumanis, quantum iste imperauit, exoluit.* Polemarchus est Murgentinus vir bonus atque honestus, is cum pro iugeribus quinquaginta medimna DCC. decumæ imperarentur, quod recusabat, domum ad istum in ius deductus est: & cum iste etiam cubaret, in cubiculum introductus est: quod nisi mulieri & Decumano patebat, alij nemini. Ibi cum pugnis & calcibus concisus esset, qui DCC. medimnis decidere voluisset, mille promisit. Eubulides est Grossbus Centuripinus, homo cum virtute & nobilitate domi suæ, tum etiam pecunia princeps. huic homini, Iudices, honestissimæ ciuitatis honestissimo, non modo frumenti scitote, sed vitæ, & sanguinis tantum relictum esse, quantum Apronij libido tulit. nam vi, malo, plagis adductus est, vt frumenti
57 daret, non quantum haberet, sed quantum cogeretur.* Sostratus & Numenius & Nymphodorus eiusdem ciuitatis, cum ex agris tres fratres consortes profugissent, quod ijs plus frumenti imperabatur, quam quantum exararant: hominibus coactis, in eorum arationes Apronius venit, omne instrumentum diripuit, familiam abduxit, pecus abegit. postea, cum ad eum Nymphodorus venisset Aetnam, & oraret, vt sibi sua restitueretur: homi-

nem

nem corripi ac suspendi iussit in oleastro quadam, quæ est arbor, Iudices, Aetnæ in foro. tandiu pependit in arbore socius, amicusq; Po. Ro. in sociorum vrbe ac foro colonus, aratorque vester, quamdiu voluntas Apronij tulit. * Generatim dudum innumerabilium iniuriarum, Iudices, singulis nominibus profero, infinitam multitudinem iniuriarũ prætermitto. vos ante oculos animosq; vestros tota Sicilia decumanorum hos impetus, aratorum direptiones, huius importunitatem, Apronij regnum proponite. contempsit Siculos, non duxit homines: nec ipsos ad persequendum vehementes fore, & vos eorum iniurias leuiter laturos existimauit. * Esto falsam de illis habuit opinionem, malam de vobis: veruntamen cum de Siculis male mereretur, ciues Romanos coluit, his indulsit, eorum voluntati & gratiæ deditus fuit. Iste ciues Romanos? at nullus inimicior, aut infestior fuit. mitto vincla, mitto carcerem, mitto verbera, mitto secures: crucem denique illam prætermitto, quam recte ciuibus Romanis testem humanitatis in eos ac beneuolentiæ suæ voluit esse: mitto, inquam, hæc omnia, atq; in aliud dicendi tempus reijcio: de decumis, de ciuium Romanorum conditione in arationibus disputo qui quemadmodum essent accepti, Iudices, audistis ex ipsis: bona sibi erepta esse dixere. * verum hæc quoniam huiusmodi casus affuit, ferenda sunt, nihil valuisse æquitatem, nihil consuetudinem: dãna denique, Iudices, nulla tãta sunt, quæ non viri fortes magno & libero animo affecti ferenda arbitrarentur. Quid si Equitibus

58

59

60

bus Romanis non obscuris, neque ignotis, sed honestis, & illustribus manus ab Apronio, isto Pratore, sine vlla dubitatione asserebantur? quid expectatis? quid à me amplius dicendum putatis? an id agendum, vt eo celerius de isto transigamus, quo maturius ad Apronium possimus, id quod ego illi iam in Sicilia pollicitus sum venire? qui C. Matrimū, Iudices, summa virtute hominem, summa industria, summa gratia, Leontinis in publico biduum tenuit: atque ab Apronio, Iudices, homine in dedecore nato, ad turpitudinem educato, ad Verris flagitia libidinesque accommodato, Equitem Ro. sitiente biduum cibo tectoq; prohibitum, biduum Leontinis in foro custodijs Apronij retentum atque seruatum, neq; ante dimissum quam ad conditiones eius de-
61 pactus est.* Nam quid ego de Q. Lollio, Iudices, dicam Equite Rom. spectato atq; honesto? clararesse quam dicturus sum, tota Sicilia celeberrima atque notissima: qui cum araret in Aetnensi, cum is ager Apronio cum ceteris agris esset traditus: equestri vetere illa & autoritate, & gratia fretus, affirmauit se decumanis plusquam deberet non daturum. refertur eius sermo Apronio. enimverò isteridere, ac mirari Lollium nihil de Matrinio, nihil de ceteris rebus audisse. mittit ad hominem Venerios (hoc quoque attendite, apparitores à Pratore assignatos habuisse Decumanum: si mediocre argumentum videri potest, istum Decumanorum nomine ad suos quaestus esse abusum) adducitur a Venerijs, atque adeo attrahitur Lollius commodè, cum Apronius

nius è palæstra rediſſet, & in triclinio, quod in foro Aetnæ ſtabuerat, decubuiſſet.* ſtatuitur Lollius in il- 62
tempeſtiuo gladiatorum conuiuio. Non me hercule quæ loquor crederem, Iudices, tametſi vulgo audieram: niſi mecum ipſe ſenex. cum mihi atq; huic voluntati accuſationis meæ lachrymans gratias ageret, ſumma cum autoritate eſſet locutus. Statuitur, vt dico, Eques Rom. Propè annos LXXXX. natus in Aproniꝰ conuiuio. cum interea Apronius caput atq; os ſuum vnguẽto perfricaret: quid eſt Lolli inquit? tu niſi malo coactus rectè facere neſcis? Homo quid ageret, taceret, reſponderet, quid faceret denique illa autoritate & ætate præditus, neſciebat. Apronius interea cœnam, ac pocula poſcebat, ſerui autem eius, qui & moribus ijſdem eſſent, quibus dominus, & eodem genere ac loco nati, præter oculos Lolliꝰ hæc omnia ferebant. videre conuiua, cachinnari ipſe Apronius: niſi fortè exiſtimatis, eum in vino ac luxu non riſiſſe, qui nunc in periculo, ac exitio ſuo riſum tenere non poſſit. Ne multa, Iudices: his contumelijs ſcitote Q. Lollium coactum
ad Aproniꝰ leges, conditionesq; veniſſe.* Lollius æta- 63
te & morbo impeditus, ad teſtimonium dicendum venire non potuit. Quid opus eſt Lollio? nemo hoc neſcit: nemo tuorum amicorum, nemo abs te interrogatus, nunc ſe primum hoc dicet audire. M. Lollius filius eius adoleſcens lectiſſimus præſto eſt: huius verba auditis. nam Q Lollius eius filius, qui Calidium accuſauit, adoleſcens & bonus, & fortis, & in primis diſertus, cum his iniurijs contumelijſque com-

commotus in Siciliam esset profectus, in itinere occisus est. cuius mortis caussam fugitiui sustinent: re quidem vera nemo in Sicilia dubitat, quin eò sit occisus, quòd habere clausa non potuerit sua consilia de Verre. iste porrò non dubitabat, quin is, qui antea alium studio adductus accusasset, sibi aduenienti præsto esset futurus, cum esset parentis iniurijs, & domestico dolore commotus. * Iamne intelligitis, iudices, qua pestis, qua immanitas in vestra antiquissima fidelissima, proximaq; prouincia versata sit? iamne videtis, quam ob caussam Sicilia tot hominum antea furta, rapinas, iniquitates, ignominiasq; perpessa, hoc non potuerit nouum ac singulare atq; incredibile genus iniuriarum, contumeliarumque ferre? Iam omnes intelligunt cur vniuersa prouincia defensorem suæ salutis eum quæsiuit: cuius iste fidei, diligentiæ, perseuerantiæ, nulla ratione eripi possit. tot iudicijs interfuistis: tot homines nocentes & improbos accusatos & vestra & superiorum memoria scitis esse: ecquem vidistis? ecquem audistis? in tantis furtis, in tam apertis, in tanta audacia, tanta impudentia esse versatum? 64

* Apronius stipatores Venerios secum habebat: ducebat eos circum ciuitates: publicè sibi conuiuia parari, sterni triclinia etiam in foro iubebat, eò vocari homines honestissimos, non solum Siculos, sed etiam Equites Romanos: vt quocum inire conuiuium nemo vnquam, nisi turpis impurusque voluisset, ad eius conuiuium spectatissimi, atque honestissimi viri tenerentur. Hæc tu omnium 65

mor-

mortalium profligatissime ac perditissime, cùm scires, cùm audires quotidie, cùm videres, si sine tuo maximo quæstu fierent, cum tanto periculo tuo fieri paterere, atque concederes? & tantum apud te quæstus Apronij, tantum eius sermo inquinatissimus, & blanditiæ flagitiosæ valuerunt, vt nunquam animum tuum cura tuarum fortunarum, cogitatioq; tangeret? * Cernitis, Iudices, quod 66
& quantum incendium Decumanorum impetu non solum per agros, sed etiam per reliquas fortunas aratorum: non solum per bona, sed etiam per iura libertatis & ciuitatis isto Prætore peruaserit. videtis pendere alios ex arbore: pulsari autem alios & verberari: porrò alios in publico custodiri, destitui alios in conuitio, condemnari alios à medico, & præcone Prætoris: bona tamen interea nihilominus eorum omnium ex agris auferri ac diripi. Quid est hoc? Popul. Rom. imperium? Popul. Rom. leges? iudicia? socij fideles? prouincia suburbana? nónne omnia potius eiusmodi sunt, quæsi Athenio vicisset, in Sicilia non fecisset? non, inquam, Iudices, esset vllam partem istius nequitiæ fugitiuorum insolentia consecuta. Priuatim hoc modo. quid publicè? ciuitates quemadmodum tractatæ sunt? audistis permulta iudicia, & testimonia ciuitatum: & reliquarum audietis. * ac primum de Agyrinensi 67
populo fideli & illustri breuiter cognoscite. Agyrinensis est in primis honesta ciuitas Siciliæ, hominum ante hunc Prætorem locupletium, summorumq; aratorum eius agri decumas cum emisset idem Apronius,

nius, Agyrium venit. qui cum eò cum apparitoribus, id est minis, ac vi, venisset, poscere pecuniam grandem cœpit, vt accepto lucro discederet. nolle se negocij quicquam habere dicebat, sed accepta pecunia quàm primum aliam ciuitatem occurrere. Sūt homines Siculi non contemnendi, si per nostros Magistratus liceat: sed homines & satis fortes, & satis planè frugi, ac sobrij, & in primis hac ciuitas de
68 qua loquor, Iudices.* itaq, homini in primis improbissimo respondent Agyrinenses, sese decumas ei, quemadmodum deberent, daturos: lucrum, cum ille magno præsertim emisset, non addituros. Apronius certiorem facit istum, cuia res erat, quid rei esset: statim tanquam coniuratio aliqua Agrij contra Remp. facta, aut Legatus Prætoris pulsatus esset, ita Agyrio Magistratus, & quinque primi accitu istius euocantur. veniunt Syracusas: præsto est Apronius, aut eos ipsos, qui venissent, contra edictum Præt. fecisse. quærebant quid? respondebat, se ad Recuperatores esse dicturum. iste aquissimus homo formidinem illam suam miseris Agrinensibus inijciebat, Recuperatores se de cohorte sua daturum minabatur. Agyrinenses viri fortissimi,
69 iudicium se passuros esse dicebāt.* ingerebat iste Artemidorum, medicum Cornelium, pictorem Tlepolemum, & huiusmodi Recuperatores, quorum ciuis Rom. nemo erat, sed Græci sacrilegi, iamprodem improbi, repente Cornelij. videbant Agyrinenses quicquid ad eos Recuperatores Apronius attulisset, illum perfacile probaturum: condemnari cum

istius

istius inuitia infamiaq; malebant, quàm ad eius cõditiones pactionesq; accedere. quærebant, quæ in verba Recuperatores daret: respondebat, si pateret aduersus edictum feciſſe, quæ in iudicio dicturum esse dicebat. iniquißimis verbis, improbißimis Recuperatoribus, conflictari malebant, quàm quicquam cum isto suæ voluntate decidere. summittebat iste Timarchidem, qui moneret eos, si saperent, vt transigerent. pernegabant. Quid ergo? in singulos HS. quinquagenis millibus damnari mauultis? malle dicebant. tum iste clarè omnibus audientibus, qui damnatus erit, inquit, virgis ad necem cædetur. hic illi flentes rogare atq; orare cœperunt, vt sibi suas segetes, fructusq; omnes, arationesq; vacuas Apronio tradere liceret: vt ipsi sine ignominia molestiaq; discederent.* Hac lege, Iudices, decumas vendidit 70
Verres. dicat licet Hortensius, si volet, magno Verrem vendidisse. hæc conditio fuit isto Prætore aratorum, vt secum præclarè agi arbitrarentur, si vacuos agros Apronio tradere liceret. multas enim cruces propositas effugere cupiebant: quantum Apronius edidisset deberi, tantum ex edicto dandum erat, etiamnè si plus edidisset, quam quantum natum esset? etiam. quomodo? Magistratus ex ipsius edicto exigere debebant. at arator repetere poterat. verum Artemidoro Recuperatore. quid si minus arator dedisset, quàm popoſciſſet Apronius? iudicium in aratorem in quadruplum. ex quo iudicum numero? ex cohorte Prætoris præclara honestißimorum. Quid amplius? minus te inge-

rum professum esse dico. Recuperatores reiecé, quod aduersum edictum feceris. ex quo numero? ex eadem cohorte. Quid erit extremum? si damnatus eris (nam dubitatio damnationis illis Recuperatoribus quæ poterat esse?) virgis te ad necem cædi necesse erit. His legibus, his conditionibus, erit quisquam tam stultus, qui decumas venisse arbitretur? qui aratori nouem partes reliquas factas esse existimet? qui non intelligat istum sibi quæstui prædaque habuisse bona, possessiones, fortunas aratorum? virgarum metu Agyrinenses, quod imperaturum esset, facturos se esse dixerunt. * Accipite 71
nunc quid imperarit: & dissimulate vos, si potestis, vos intelligere, ipsum Prætorem, quod tota Sicilia perspexerit, redemptorem decumarum, atque adeò aratorum dominum ac regem fuisse. Imperat Agyrinensibus, vt decumas ipsi publicè accipiant, Apronio lucrum dent. si magno emerant, quoniam tu es qui diligentissime precium exquisisti, qui vt ais, magno vendidisti, quare putabas emptori lucrum addi oportere? esto, putabas. quamobrem imperabas vt adderent? quid est aliud capere, & conciliare pecunias, in quo te lex tenet, si hoc non est: vi atq; imperio cogere inuitos, lucrum dare alteri, hoc est pecuniam dare? * Age quid 72
tum, si Apronio delitijs Prætoris lucelli aliquid iussi sunt dare? putate Apronio datum, si Apronianum lucellum, ac non Prætoria præda vobis videbitur. Imperas vt decumas accipiant, Apronio dent lucrum, tritici medimna XXXIII.

Quid

Quid est hoc? vna ciuitas ex vno agro plebi Romanæ propè menstrua cibaria Prætoris imperio donare Apronio cogitur. tu magno decumas vendidisti? cum tantum lucri Decumano sit datum: profectò si precium exquisisses diligenter, tum cum vendebas, X. medimna potius addidissent, quàm HS. DC. postea. Magna præda videtur: audite reliqua, & diligenter attendite, quò minus miremini Siculos re necessaria coactos, auxilium, à patronis, à Consulibus, ab Senatu, ab legibus, à iudicijs petiuisse. * Vt 73
probaret Apronius, hoc triticum imperat Agrinensibus Verres, vti in medimna singula dentur Apronio HS. III. Quid est hoc tanto numero frumenti in lucri nomine imperato, expresso, nummi præterea exigentur, vt probetur frumentum? An poterat non modo Apronius, sed quiuis, exercituisi metiundum esset, improbare Siculum frumentum? quod illi ex area, si vellet, admetiri licebat. frumẽti tantus numerus imperio tuo datur, & cogitur. non est satis: nummi præterea imperantur. dantur. parum est. pro decumis hordei alia pecunia cogitur. Iubes HS. XXX. lucri dari. Ita ab vna ciuitate, vi, minis, imperio, iniuriaque Prætoris eripiuntur tritici medimna XXXIII. & præterea HS. LX. An hæc obscura sunt? aut si omnes homines velint, obscura esse possunt? quæ tu palàm egisti, in conuentu imperasti, omnibus inspectantibus coẽgisti: qua de re Agyrinenses magistratus & quinque primi, quos tui quæstus caussa euocasti, acta & imperia tua domum ad Sena-

tum suum renunciauerunt: quorum renuntiatio legibus illorum, literis publicis mandata est: quorum Legati homines nobilissimi Romæ sunt, qui hoc idem pro testimonio dixerunt. * Cognoscite Agrinensium publicas literas. deinde testimonium publicum ciuitatis. Recita literas publicas. TESTIMONIVM PVBLICVM. Animaduertistis in hoc testimonio, Iudices, Apollodorum, cui Pyragro cognomen est, principem suæ ciuitatis lacrymantem testari ac dicere, nunquam post Pop. Rom. nomen ab Siculis auditum & cognitum, Agrinenses contra quenquam infimum ciuem Ro dixisse, aut fecisse quippiam, quis nunc contra Prætorem Po. Rom. magnis iniurys, & magno dolore publicè testimonium dicere cogerentur. Vni me hercule huic ciuitati Verres obstitere tua defensione non potes. Tanta auteritas est in eorum hominum fidelitate, tantus dolor iniuriæ, tanta religio in testimonio. Verum non una re, sed vniuersa similibus afflicta incommodis legationibus ac testimonijs publicis persequētur. * Etenim deinceps videamus, Herbitensis ciuitas honesta, & antea copiosa, quemadmodum spoliata abisto ac vexata sit. At quorum hominum? Summorum aratorum, remotissimorum à foro, iudicijs, controuersijs: quibus parcere, & consulere homo impurissime, & quod genus hominum studiosissimè conseruare debuisti. Primo anno venierunt eius agri decumæ tritici medimna XVIII. Attidius istius item minister in decumis, cum emisset, & præfecti nomine cùm venisset Herbitam cùm Venerijs: lo-

lotusq; ei publicè, quod diuerteretur, datus esset: cogunt Herbitenses ei lucri dare tritici modium XXXVII. millia, cum decumæ venissent tritici modium XVIII. atq; hoc triticum lucri coguntur dare publicè, cum iam priuatim aratores ex agris spoliati atque exagitati decumanorum iniurijs profugissent. * Anno secundo cùm emisset Apronius decumas tritici modium XXV. millibus, & ipse Herbitam 76
cum illa prædonum copia, manuque venisset, Po. publicè coactus est ei conferre lucri tritici modium XXVI. accusationem HS. MM. De accessione dubito an Apronio ipsi data sit merces operæ, precumque impudentiæ. de tritici quidem numero tanto, quis potest dubitare, quin ad istum prædonem frumentarium, sicut Agyrinense frumentum, peruenerit? Anno verò tertio in hoc agro consuetudine vsus est regia. solere aiunt barbaros Reges Persarum ac Syrorum plures vxores habere: his autem vxoribus ciuitates attribuere, hoc modo. hæc ciuitas mulieri redimiculum præbeat, hæc in collum, hæc in crines: ita populos habent vniuersos non solū conscios libidinis suæ, verum etiam administros. * Eandem istius, qui se 77
Regem Siculorum esse dicebat, licentiam, libidinemq; fuisse cognoscite. Aeschrionis Syracusani vxor est Pippa, cuius nomen istius nequitia tota Sicilia peruulgatum est. de qua muliere versus plurimi supra tribunal, & supra Prætoris caput scribebātur. hic Aeschrio Pippæ vir adumbratus, in Herbitensibus decumis nouus instituitur publicanus. Herbitenses cùm viderent, si ad Aeschrionem precium rediss-

set, se ad arbitrium libidinosissimæ mulieris spoliatum iri: liciti sunt vsque eo, quoad se efficere posse arbitrabantur. supra adiecit Aescrio. neque enim metuebat, ne Prætore Verre decumana mulier damno affici posset. addicitur medimnis M M. dumdio fere pluris, quam superiore anno. aratores funditus euertebantur, & eo magis, quod iam superioribus annis exhausti erant ac pene perditi. intellexit iste ita magno veniisse, vt amplius ab Herbitensibus exprimi non posset, demit de capite medimna DC. iubet in tabulas pro medimnis MMM.VIII. referri D.MM. D.& IIII.* Hordei decumas eiusdem a-
78 gri Decimus emerat, hic est Decimus, qui ad istum deduxerat Tertiam, Isidori mimi filiam, vt abduc-tam ab Rhodio tibicine. huius Tertiæ plus etiam, quam Pippæ, plus quam cæterarum, ac prope dicam tantum apud istum in Siculensi prætura auctoritas valuit, quantum in vrbana Chelidonis. veniunt Herbitam duo Prætoris amuli non molesti, mulierculārum deterrimarum improbissimi cognitores incipiunt postulare, posse re, minari: non poterant tamen, cum caperent, Apronium imitari. Siculi Siculos non tam pertimescebant: cum omni ratione tamen illi calumniarentur, promittunt Herbitenses vadimonium Syracusas. eo postea quam ventum est, coguntur Aesrio, id est Pippæ, dare tantum, quantum erat de capite demptum, tritici modios MMM. DC. mulierculæ publicanæ nolunt ex decumis nimium lucri dare: ne fortè ab nocturno suo quæstu animum ad vectigalia redimen-

da

da transferre.* transactum putabat Herbitenses: cum iste, quid de hordeo inquit, & Docimo amicu-
lo meo? quid cogitatis? at hoc agebat in cubiculo, Iudices, atque in lectulo suo. negabant illi-
bi quicquam esse mandatum. non audio: numera-
te HS. XV. Quid facerent miseri? aut quid re-
cusarent? præsertim cum in lectulo, decumanæ mu-
lieris vestigia viderent recentia, quibus illum in-
flammari ad perseuerandum intelligebant. Ita
ciuitas vna sociorum atque amicorum, duabus de-
terrimis mulierculis Verre Prætore vectigalis fuit.
Atque ego nunc, eum frumenti numerum, & eas
publicè pecunias decumanis ab Herbitensibus da-
tas esse dico: quo illi frumento, & quibus pecuniis
tamen à Decumanorum iniuriis ciues suos non re-
demerunt. perditis enim, & direptis aratorum bo-
nis, hæc Decumanis merces dabatur, vt aliquando 80
ex eorum agris, atque ex vrbibus abirent.* Itaque
cum Philinus Herbitensis homo disertus, & pru-
dens, & domi nobilis, de calamitate aratorum, &
de fuga, & de reliquorum paucitate publicè dice-
ret. animaduertistis, Iudices, gemitum Pop. Roma-
ni, cuius frequentia huic caussæ nunquam defuit.
qua de paucitate aratorum alio loco dicam. nuncil-
lud quod penè præterij, non omnino relinquendum
videtur. Nam per deos immortales, quod de capite
ipsi demsit. quo tandem modo vobis nō modo feren-
dum, verum etiam audiendum videtur?* vnus 81
adhuc fuit post Romam conditam: dij immorta-
les faxint, ne sit alter: cui Resp. totam se tra-

didit, temporibus coacta, & malis domesticis, L. Sylla. hic tantum potuit, vt nemo illo inuito, nec bona, nec patriam, nec vitam retinere posset: tantum animi habuit ad audaciam, vt dicere in concione non dubitaret, bona ciuium Romanorum cum venderet, se prædam suam vendere. eius omnes res gestas non solum obtinemus, verum etiam propter malorum, incommodorum, & calamitatum metum publica autoritate defendimus: vnum hoc illius Senatus consulto reprehensum, decretumque est: vt quibus ille de capite dempsisset, bi pecunias in ærarium referrent. statuit Senatus hoc, ne illi quidem esse licitum, cui concesserat omnia: à Populo factarum quæsitarumque rerum
82 summas imminuere. * illum viris fortissimis iudicarunt Patres conscripti remittere de summa non potuisse: te mulieri deterrimæ rectè remisisse Senatores iudicabunt? ille, de quo lege Populus Romanus iusserat, vt, ipsius voluntas Po. Rom. esset pro lege, tamen in hoc vno genere veterum religione legum reprehenditur. tu qui omnibus legibus implicatus tenebare, libidinem tibi tuam pro lege esse voluisti? in illo reprehenditur; quod ex ea pecunia remiserit, quam ipse quæsierat: tibi concedetur, qui de capite
83 vectigalium Populi Romani remisisti? * atque in hoc genere audaciæ multò etiam impudētius in decumis Segestensium versatus est: quas cùm addixisset eidē illi Decimo, hoc est tritici modium quinque millia, & accessionem adscripsisset HS. MD. coëgit Segestenses à Decimo tantidem publicè accipere: id

quod

quod ex Segestensium publico testimonio cognoscite. Recita testimonium publicum. TESTIMONIVM PVBLICVM. Audistis quanti decumas acceperit à Docimo ciuitas, tritici modium quinque millia, & accessionem cognoscite. cognoscite nunc quanti se vendidisse retulerit. LEX DECVMIS VENDVNDVS C. VERRE PR. Hoc nomine vidistis tritici modium, MMM. de capite esse dēpta, quæ cum de Populi Romani victu, de vectigalium neruis, de sanguine detraxisset ærarij, Tertiæ Mimæ condonauit. vtrum impudentius à socijs abstulit? an turpius meretrici dedit? an improbius Populo Romano ademit? an audacius tabulas publicas commutauit? ex horum seueritate te vlla vis, aut vlla largitio eripiet? sed si eripuerit, non intelligis hæc, quæ iam dudum loquor, ad aliam quæstionem, atq; ad peculatus iudicium pertinere. *itaq; hoc mihi reseruabo genus integrum totū: 84
ad illam quam institui causam frumenti ac decumarum reuertar. Qui cum agros maximos ac feracissimos per seipsum, hoc est per Apronium, Verrem alterū, depopularetur, ad minores ciuitates habebat alios, quos tanquā canes immitteret, nequā homines & improbos, quibus aut frumentum, aut pecuniam publicè cogebat dari. A. Valentius est in Sicilia interpres, quo iste interprete non ad linguam Græcam, sed ad furta & flagitia vti solebat. Fit interpres hic, homo leuis atque egens, repentè decumanus: emit agri Liparensis miseri, atq; ieiuni decumas tritici medimnis DC. Liparenses vocan-

tur: ipsi accipere decumas, & numerare Valentio coguntur lucri HS. XXX. millia per deos immortales, vtrum tibi sumes ad defensionem? tantóne minoris tibi decumas vendidisse, vt ad medimna DC. HS. XXX. millia lucri statim sua voluntate ciuitas adderet, hoc est tritici medimna II. millia? an cum magno decumas vendidisses, te expressisse ab inuitis Liparensibus hanc pecuniam? * sed quid ego ex te quæro,
85 quid defensurus sis potius, quam cognoscam ex ipsa ciuitate quid gestum sit? Recita testimonium publicum Liparensium. deinde quemadmodum Valentio nummi sint dati. TESTIMONIVM PVBLICVM, QVOMODO SOLVTVM SIT EX LITERIS PVBLICIS. Etiamne hac tam parua ciuitas, tam procul à manib⁹ tuis, atq; à conspectu remota, seiuncta à Sicilia, in insula inculta tenuiq; posita, cumulata alijs tuis maioribus iniurijs, in hoc quoq; frumentario genere prædæ tibi & quæstui fuit? quam tu totâ insulâ cuidam tuorum sodalium, sicut aliquod munusculum condonaras: ab hac etiã hæc frumentaria lucra tanquã à mediterraneis exigebantur? Itaq; qui tot annis agellos suos ante te Prætorem redimere à piratis solebant, ijdem seipsos à te ipso precio im-
86 posito redemerunt. * Quid verò? Assensibus, per parua & tenui ciuitate, sed aratoribus laboriosissimis, frugalissimisque hominibus, nonne plus lucri nomine eripitur, quã quantum frumenti omnino exarant? ad quos tu Decumanum Diognetum Venerium misisti, nouum genus publicani. cur hoc autore non Romæ serui publici ad vectigalia accedant?

An-

Anno secundo Tissenses HS. XXX. lucri dare coguntur inuiti: tertio anno HS. MM. modium tritici lucri Diogneto Venerio dare coacti sunt. Hic Diognetus, qui ex publicis vectigalibus tanta lucra facit, vicarium nullum habet, nihil omnino peculij, vos etiam nunc dubitate, si potestis, vtrum tãtum numerum tritici Venerius apparitor istius sibi acceperit, an huic exegerit. *atq; hæc ex publico Tissensium te- 87
stimonio cognoscite. TESTIMONIVM PVBLICVM TISSENSIVM. Obscurè, Iudices, Prætor ipse decumanus est? cum eius apparitores frumentum à ciuitatibus exigant, pecunias imperent, aliquanto plus ipsi lucri auferant, quam quantum Populo Rom. decumarum nomine daturi sunt. Hæc æquitas in tuo imperio fuit, hæc Prætoris dignitas, vt seruos Venerios Siculorum dominos esse velles. hic delectus, hoc discrimen te Prætore fuit, vt aratores in seruorum numero essent, serui in publicanorum. 88
*Quid Amestratini miseri impositis ita magnis decumis, vt ipsis reliqui nihil fieret, nónne tamẽ numerare pecunias coacti sunt? addicũtur decumæ M. Cæsio, cum adessent Legati Amestratini, statim cogitur Heraclius Legatus numerare HS. XXII. Quid hoc est? quæ ista præda? quæ vis? qua diroptio sociorum? si erat Heraclio ab Senatu mandatum, vt emeret, emisset: si non erat, qui poterat sua sponte pecuniam numerare? Cæsio renunciat se dedisse. *Cognoscite renunciationem ex literis. 89
Recita ex literis publicis. LITTERAE PVBLICAE.
Quo S.C. erat hoc Legato permissum? nullo. cur

fecit?

fecit? coactus est. quis hoc dicit? tota ciuitas. Recita testimonium publicum. TESTIMONIVM PVBLICVM. ab hac eadem ciuitate anno secundo simili ratione extortam esse pecuniam, & Sex. Venonio datam, ex eodem testimonio cognouisti. At Amestratinos homines tenues, cum eorum decumas medimnis DCCC. vendidisses Banobali Venerio (cognoscite nomina publicanorum) cogu eos plus lucri addere, quàm quanti venierant, cum magno veniisset. dant Barobali medimnum DCCC. HS. MD. profecto nunquam iste tam amens fuisset, vt ex agro Popul. Rom. plus frumenti seruo Venerio, quàm Prætori tribui
90 pateretur: nisi omnis ea præda serui nomine ad istum ipsum perueniret. *Petrini, cum eorum decumæ magno addictæ essent, tamen inuitissimi P. Nevio Turpioni improbissimo homini, qui iniuriarum Sacerdote Prætore damnatus est, HS. VII. dare coacti sunt. itane dissolutè decumas vendidisti, vt cum medimnum XV. millibus veniisset, hoc est HS. XXXXV. vt lucri decumano HS. MMM. darentur? At permagno decumas eius agri vendidisti. videlicet igitur nō Turpioni lucrum datum, sed Petrinis pecu-
91 niæ ereptæ. *Quid Halicyenses, quorum incolæ decumas dant, ipsi agros immunes habent: nonne huic eidem Turpioni cum decumæ C. Medimnū venisset, HS. XV. dare coacti sunt? si id quod maximè vis, posses probare, hæc ad decumanos lucra veniße, nihil te attigisse: tamen hæ pecuniæ per vim atq; iniuriam tuam captæ, & conciliatæ tibi fraudi & damnatio.

ni

ni esse deberent. cum verò hoc nemini persuadere
possis, te tam amentem fuisse, vt Apronium ac Tur-
pionem seruos homines, tuo, liberorumq; tuorum
periculo diuites fieri velles: dubitaturum quenquā
existimas, quin illis emissarijs hæc tibi omnis pecu-
nia quæsita sit? *Segestā item ad immunem ciuita- 92
tem Venerius Symmachus decumanus immittitur.
is ab isto literas affert, vt sibi contra iura om-
nia, contraq; legem Rupiliam extra forum vadi-
monium promittant aratores. Audite litteras,
quas ad Segestanos miserit. LITTERAE C.
VERRIS. Hic Venerius quemadmodum arato-
res eluserit, ex vna pactione hominis honesti gra-
tiosiq; cognoscite. in eodem enim genere sunt cæ-
tera. *Diocles est Panormitanus, Phimes cognomi- 93
ne, homo illustris ac nobilis arator. is agrū in Sege-
stano (nā commercium in eo agro Panormitanis est)
conductum habebat HS. sex millibus, pro decuma
cum pulsatus à Venerio esset, dedit HS. sexdecim
millia, & DCLIIII id ex tabulis ipsius cognosci-
te. NOMEN DIOCLIS PANORMITA-
NI. Huic eidem Symmacho, Anneus Brochus Sena-
tor, homo eo splendore, ea virtute, qua omnes ex-
istimatis, nummos præter frumentum coactus est
dare. Veneriōne seruo tē Prætore talis vir, Sena-
tor Pop. Rom. quæstui fuit? hunc ordinem, si dig-
nitate antecellere non existimabas: ne hoc quidem
sciebas, iudicare? antea cum Equester ordo iudica- 94
ret, improbi & rapaces magistratus in prouincijs
inseruiebant publicanis: ornabant eos, quicūq; in

ope.

operis erant: quemcunq; equitem Romanum in provincia viderant, beneficijs ac liberalitate prosequebatur: neq; tantum illa res nocentibus proderat, quantum obfuit multis, cum aliquid contra utilitatem eius ordinis voluntatemq; fecissent. retinebatur hoc tū nescio quo modo quasi communi consilio ab illis diligenter, vt qui vnum equitem Ro. contumelia dignum putasset, ab vniuerso ordine malo
95 dignus iudicaretur. * tu sic ordinem Senatorium despexisti? sic ad iniurias libidines q́ue tuas omnia coaquasti? sic habuisti statutum cum animo ac deliberatum? omnes qui habitarent in Sicilia, aut qui Siciliam te Praetore attigissent, Iudices reijcere? vt illud non cogitares, tamen ad eiusdem ordinis homines te iudices esse venturum? in quibus, si ex ipsorum domestico incommodo nullus dolor insideret: tamen esset illa cogitatio, in alterius iniuria sese despectos, dignitatemq; ordinis contēptam, & abiectam, quod me hercule, Iudices, mihi non mediocriter ferendum videtur. habet enim quendam
96 aculeum contumelia, quem pati prudentes ac viri bom difficillimè possūt. * Spoliasti Siculos. solēt enim inulti esse in iniurijs suis graues. vexasti negotiatores: inuiti enim Romam raroq; decedunt. Equitem Ro. ad Apronij iniurias dedisti. Quid enim iam nocere possunt, quibus non licet iudicare? Quid cum Senatores summis iniurijs afficis? quid aliud dicis, nisi hoc? credo me etiam istum Senatorem, vt hoc amplissimum nomen Senatorum non modo ad inuidiā imperitorum, sed etiam ad contumeliam improborum

rum natum esse videatur. *Neq; hoc in vno fecit 97
Anneo, sed in omnibus Senatoribus: vt ordinis nomẽ
non tantum ad honorem, quantum ad ignominiam
valeret. In C. Cassio viro clarissimo & fortissi-
mo, cum is eo ipso tempore, primo istius anno COS.
esset, tanta improbitate vsus est, vt cum eius vxor
fœmina primaria paternas habet arationes in
Leontino frumentum omne in decumas auferre ius-
serit. Hunc tu in hac causa testem Verres habebis:
quoniam iudicem ne haberes, prouidisti. *Vos autẽ, 98
Iudices, putare debetis, esse quiddam nobis inter nos
commune atq; coniunctũ. multa sunt imposita huic
ordini munera, multi labores, multa pericula, non
solum legum, ac iudiciorum, sed etiam rumorum
ac temporum. Sic est hic ordo quasi propositus, atq;
editus in altum, vt ab omnibus ventis inuidiæ circũ-
flari posse videatur. in hac tam misera & indigna
cõditione vitæ, ne hoc quidem retinebimus, Iudices,
vt magistratibus nostris in obtinendo iure nostro ne
contemptissimi ac despectissimi esse videamur?
*Thermitani miserũt, qui decumas emerent agri 99
sui. Magni sua putabant interesse, publicè potius,
quamuis magno emi, quam in aliquem istius emis-
sarium incidere. Appositus erat Venuleius quidam,
qui emeret: ubi liceri non desistit: illi, quoad vide-
tur ferri aliquo modo posse, contenderunt: postre-
mo liceri desiterunt. Addicitur Venuleio tritici
mod. VII. C. Legatus Possidonius renuntiat. cum
omnibus hoc intolerandum videretur, tamen Ve- VII
leio dantur, ne accedat, tritici mod. VII. præterea
HS.

HS. MM. millia, ex quo facilè apparet, quæ merces Decumani, qui Prætoris prædæ esse videatur. cedo Thermitanorum mihi literas & testimonium, TABVLAE THERMITANORVM ET TESTI-
100 MONIVM. * Inacharenses iam omni frumento ablato, iam omnibus iniurijs tuis eximanitos tributũ ferre miseros ac perditos coëgisti: vt Apronio darent HS. XX. millia. recita decretum de tributis, & publicum testimonium. S. C. DE TRIBVTO CONFERENDO. TESTIMONIVM INACHARENSIVM. Ennenses, cum decumæ venissent agri Ennensis medimnum MMM. CC. Apronio coacti sunt dare tritici mod. LXXX. MMM. & HS. III. millia. Quæso, attendite, quantus numerus frumenti cogatur ex omni agro decumano. nam per omnes ciuitates, quæ decumas debent, percurrit oratio mea: & in hoc genere nunc, Iudices, versor, in quo non sigillatim aratores euersi bonis omnibus sunt, sed quæ publicè Decumanis lucra data sunt, vt aliquando ex eorum agris atq; vrbibus expleti atq; saturati cum hoc cumulo quæstus dece-
101 derẽt. * Calatinus quamobrem imperasti anno tertio, vt decumas agri sui, quas Calatæ dare consueuerant, Amestrati M. Cæsio Decumano darent? quod neque ante te Prætorem illi fecerant, neque tu ipse hoc ita statueras antea per biennii. Theõnastus Syracusanus in agrum Muticensem cur abs te immissus est? qui aratores ita vexauit, vt illi in alteras decumas, id quod in alijs quoque ciuitatibus ostendam, triticum emere necessariò propter ino-

inopiam cogerentur. *Iam verò ex Hyblensium pa- 102
ctionibus intelligetis, quæ pacta sint cum Decumano Cn. Sergio, sexies tantum, quàm quantum satis sit, ablatum esse aratoribus. Recita sationes & pactiones ex literis publicis. recita. PACTIONES HYBLENSIVM CVM VENERIO SERVO EX LITERIS PVBLICIS. Cognoscite item professiones sationum, & pactiones Menenorum cũ Venerio seruo. Recita ex literis publicis. PROFESSIONES SATIONVM, ET PACTIONES MENENIORVM CVM VENERIO SERVO ET LITERIS PVBLICIS Patiemini, Iudices, à socijs, ab aratoribus Pop. Rom. ab his qui vobis laborant, vobis seruiunt: qui ita plebem Romanã ab sese alivolunt, vt sibi ac liberis suis tantũ superſit, quo ipsi alipoſint: ab his per summã iniuriam, per summas contumelias, plus aliquanto ablatum esse, quã natum sit? *Sẽtio, Iudices, moderandũ mihi esse iam orationi meæ, fugiendamq; ve- 103
stram satietatem: non versabor in vno genere diutius: & ita cætera de oratione mea tollã, vt tamen in cauſſa relinquam. Audietis Agrigentinorũ fortiſſimorũ virorum diligentiſſimorumq; querimonias: cognoscetis, Iudices, Entellinorum summi laboris, summæq; industriæ, dolorẽ, & iniurias: Heraclienſium, Icilienſium, Aetnenſium, Solentinorũ incommoda proferemur: Catinenſium locupletiſſimorum hominum amiciſſimorumq; agros vexatos ab Apronio cognoscetis: Tyndaritanam nobiliſſimam ciuitatem, Cephaleditanam, Halentinam, Apollonienſem, Eggynam, Capitinã perditas esse hac iniquita-

te Decumanorum intelligetis: Murgentinis, Assorinis, Elorinis, Ennensibus, Letinis nihil omnino relictum: Citarinos, Acherinos, paruarum ciuitatum homines, omnino abiectos esse, ac perditos: omnes deniq; agros decumanos per triennium populo Ro. ex parte decuma, C. Verri ex omni reliquo vectigales fuisse, & plerisq; aratoribus nihil omnino superfuisse: quibus quod tum aut remissum, aut relictum sit, id fuisse tantum, quantum ex eo, quo istius auaritia contenta fuit, redundarit. * Duarum mihi ciuitatum reliquos feci agros, Iudices, ferè optimos ac nobilissimos, Aetnensium, & Leontinorum. Horum agrorum ego missos faciam quæstus triennij, vnum annum eligam, quo facilius id quod institui, explicare possim. Sumam annum tertium, quod & recentissimus est, & ab isto ita administratus, vt cum se certe decessurum videret, nõ laboraret si aratorem nullum in Sicilia omnino esset relicturus. Agri Aetnensis, & Leontini decumas agemus. Attendite, Iudices, diligenter. agri sunt feraces, annus tertius. Decumanus Apronius. * de Aetnensibus perpauca dicam. dixerunt enim ipsi priore actione publicè memoriam tenentes Artemidorum Aetnensem, legationis eius principem, publicè dicere Apronij vènisse Aetnam cum Veneris, vocasse ad se magistratum, imperasse vt in foro sibi medio lecti sternerentur: quotidie solitum esse non modo in publico, sed etiam de publico conuiuari. cum in eis conuiuijs symphonia caneret, maximisque poculis ministraretur, retinere solitum esse aratores: atq;

104

105

Ab

ab his non modo per iniuriam, sed etiam per cõtumeliam tantum exprimi frumenti, quantum Apronius imperasset.* Audistis hac, Iudices, quæ nũc ego omnia prætereo ac relinquo. nihil de luxuria 106
Apronij loquor, nihil de insolentia, nihil de singulari nequitia, ac turpitudine: tantũ de quæstu, ac lucro dicam vnius agri, & vnius anni, quo facilius vos coniecturam de triennio de tota Sicilia facere possitis. Sed mihi Aetnensium breuis est oratio. ipsi enim venerũt, ipsi publicas literas deportarunt, docuerũt vos quid lucelli fecerit homo non malus, familiaris Prætoris, Apronius. id quæso ex ipsorum testimonio cognoscite. Recita testimoniũ Aetnensium. TESTIMONIVM AETNENSIVM. Quid ais? dic, dic quæso clarè, vt Pop. Ro. de suis vectigalibus, de suis aratoribꝰ, de suis socijs atq; amicis audiat. L. MEDIMNA. Per Deos immortales, vnus ager vno anno CCC. millia mod. tritici, & præterea HS. L. mil. lucri dat Apronio? tantóne minoris decumæ venierũt, quàm fuerunt? an cũ satis magno venissent, hic tantus tamen frumenti, pecuniæq; numerus ab aratoribus per vim ablatus est? vtrũ enim horum dixeris, in eo culpa & crimen hærebit.* Nã illud quidẽ nõ dices, quod 107
vtinam dicas, ad Apronium non peruenisse tantum. ita te nõ modo publicis tenebo, sed etiam priuatis aratorũ pactionibus ac literis, vt intelligas nõ te diligentiorẽ in faciendis furtis fuisse, quam me in deprehẽdẽdis. Hoc tu feres? hoc quisquã defendet? hoc hi, si aliter statuere voluerint, sustinebunt? vno aduentu, ex vno agro, Q. Apronium, præter eam, quam

dixi, pecuniam numeratam, CCC. millia mod. tri-
108 tici lucri nomine sustulisse? *Quid? hoc Aetnen-
ses solt dicunt? imò etiam Centuripini, qui agri Aetnensis multo maximam partem possident. quorum Legatis hominibus nobilissimis Androni & Arthemoni Senatus eam mandata dedit, quæ publicè ad ciuitatem ipsorum pertinebant: de his iniurijs, quas ciues Centuripini non in suis, sed in aliorum finibus acceperunt, Senatus & Populus Centuripinus Legatos noluit mittere: ipsi aratores Centuripini, qui numerus in Sicilia maximus, hominum honestissimorum & locupletissimorum, tres Legatos ciues suos delegerunt: vt eorum testimonio non vnius agri, sed propè totius Siciliæ calamitates cognoscere-
tis. arant enim tota Sicilia ferè Centuripini: & hoc in te grauiores certioresq; testes sunt, quod cæteræ ciuitates suis solum incommodis cõmouentur: Centuripini, qui in omnibus ferè finibus habent possessiones, etiam cæterarum ciuitatum dãna ac de-
trimenta senserunt. *Verum, vt dixi, ratio certa est
109 Aetnensium, & publicis, & priuatis literis consignata mea diligentia pensum magis in Leontino agro est exigendum, propter hanc causam, quod ipsi Leontini publicè non sanè me multum adiuuerunt. neq; enim eos isto Prætore ii e decumanorum iniurias læserunt: potius eam adiuuerunt. Mirum fortasse hoc vobis, aut incredibile videatur, in tantis aratorum incommodis, Leontinos, qui principes rei frumentariæ fuerunt, expertes incommodorum atque iniuriarum fuisse. hoc caussa est, Iudices, quod

in

in agro Leontino, praeter vnam Mnasistrati familiam, glebam Leontinorum possidet nemo. itaque Mnasistrati hominis honestissimi atq; optimi viri testimonium, Iudices, audietis: cæteros Leontinos, quibus non modo Apronius in agris, sed ne tempestas quidem vlla nocere potuit, expectare nolite. etenim non modo incõmodi nihil cœperunt: sed etiam in Apronianis illis rapinis, in quæstu sunt cõpendioq; versati. *Quapropter quoniam me Leõtina ciuitas atq; 110
legatio, propter eam, quam dixi, causam defecit, mihimet ineunda ratio, & via reperienda est, qua ad Apronij quæstum, siue adeo qua ad istius ingentem immanemque prædam possim peruenire. Agri Leontini decumæ anno tertio venierũt tritici medimnis XXXVI. hoc est tritici mod. CCXVI. magno, Iudices, magno. nec enim hoc possum negare. itaque necesse est aut damnum, aut certè non magnum lucrum feciße decumanum. hoc enim solet vsu venire eïs, qui magno redemerũt. Quid si ostendo in hac 111
vna emptione lucri fieri tritici modios C. quid si CC. quid si CCCC. dubitabitis etiam, cui ista tanta præda quæsita sit? Iniquum me esse quispiam dicet, qui ex lucri magnitudine coniecturam faciam furti, atq; prædæ. Quid si docebo, Iudices, eos qui CCCC. millia mod. lucri faciunt, damnum facturos fuisse, si tua iniquitas sit, vt ex cohorte Recuperatores non intercederent? num quis poterit in tãto lucro, tantaq; iniquitate dubitare, quin propter improbitatẽ tam magnos quæstus fecerus? propter magnitudinem quæstus, improbus esse voluerus?

112 *Quomodo hoc igitur assequar, Iudices, vt sciã lucri quantum factum sit? non ex Apronij tabulis, quas ego cum conquirerem, non inueni: & cum in ius ipsum eduxi, expressi vt conficere tabulas se negaret. si mentiebatur, quamobrem remouebat, si hæ tabulæ nihil tibi erant obfuturæ? si omnino nullas confecerat literas: ne id quidem satis significabat; illum non sinum negotium gessisse? ea est enim ratio decumarum, vt sine plurimis literis confici non possit. singula enim nomina aratorum, & cum singulis pactiones decumarum, literis persequi & conficere necesse est. Iugera professi sunt aratores omnes imperio atque instituto tuo: non opinor quenquam minus esse professum, quam quantum arasset, cum tot cruces, tot iudicia, tot ex cohorte Recuperatores proponerẽtur, in iugere Leontini agri medimnum ferè tritici seritur, perpetua atq; æquabili satione ager efficit, cum octauo bene vt agatur: verum vt omnes dẽ adiuuẽt, cum decimo quod si quãdo accidit, tum sit, vt tantum decumæ sit, quantum seueris: hoc est, vt quod iugera sunt sata, totidem medimna decumæ debeantur. *Hoc cùm ita esset:

113 primum illud dico, pluribus millibus medimnum venisse decumas agri Leontini, quam quod millia iugerum sata erant in agro Leontino. Quod si fieri non poterat, vt plus quam decem medimna ex iugere ararent, medimnum autem ex iugere decumano dari poterat, cum ager, id quod perrarò euenit, cũ decumo exaratus esset: quæ erat ratio decumanæ? si quidem decumæ ac non bona veniebant aratorum, vt pluribus

bus aliquanto medimnis decumas emeret, quam iugera erant sata? In Leontino iugerum subscriptio ac professio non est plus XXX. decumæ. XXXVI. medimnis venierunt. Errauit? an potius insanuit Apronius? imò tum insaniisset, si aratoribus quod deberēt, licitū esset: & non quod Apronius imperasset necesse fuisset dare. *si oštēdo, minus tribus medimnis in iugerū neminē dedisse decumæ: concedes opinor, vt cū decumano fructus arationis perceptus sit, neminem minus tribus decumis dedisse: atq; hoc in beneficij loco petitum est ab Apronio, vt iugera singula ternis medimnis decidere liceret. Nam cum à multis quaterna, etiā quina exigerētur: multis autem non solum granum vllum, sed ne paleæ quidem ex omni fructu, atque ex annuo labore relinquerentur: tum aratores Centuripini, qui numerus in agro Leontino maximus est, vnum in locum conuenerunt: hominem suæ ciuitatis in primis honestum, ac nobilem Andronem Centuripinum legarunt ad Apronium, eundem, quem hoc tempore ad hoc iudicium Legatum, & testem Centuripina ciuitas misit: vt is apud eum caussā aratorum ageret, ab eoq; peteret, vt ab aratoribus Centuripinis ne amplius in iugera singula, quam terna medimna exigeret. *hoc vix ab Apronio in summo beneficio pro ijs, qui etiam tum incolumes erant, impetratum est: id cū impetrabatur, hoc videlicet impetrabatur, vt pro singulis decumis, ternas decumas dare liceret. quod si tua res non ageretur, à te potius postularēt, ne amplius quam singulas: quam ab Apronio, vt ne plus,

114

115

quam ternas decumas darent. Nunc vt hoc tempore ea quæ regiè, seu potius tyrannicè statuit in aratores Apronius, prætermittam: neq; eos appellem, à quibus omne fumentum eripuit, & quibus nihil non modo de fructu, sed ne de bonis quidē suis reliqui fecit: ex his ternis medimnis (quod beneficij, gratiæq;
116 causſa conceſſit) quid lucri fiat cognoſcite. *Profeſſio eſt agri Leontini ad ingerum XXX. mil. Hæc ſunt ad tritici medimna CX. ideſt tritici mod. DXL. millia. deductis tritici mod. CCXVI. quanti decumæ venierunt, reliqua tritici CCCXXIII. adde totius ſummæ DXL. millia mod. tres quinquageſimas, id eſt, tritici mod. XXXII. CCCC. ab omnibus enim ternæ prætereà quinquageſimæ exigebantur: Sunt hæc iam ad HS. CCCXL. mod. tritici. At ego CCCC. lucri facta eſſe dixeram, non enim duco in hac ratione eos, quibus ternis medimnis non eſt lucrum decidere. Verùm vt hac ipſa ratione ſummam mei promiſi cōpleam, ad ſingula medimna multi HS. duo, multi HS. quinque acceſſionis cogebantur dare: qui minimum, ſingulos nummos. hoc minimum vt æquamur, quoniam XC. medimna duximus, accedant nouo peſſimoque exemplo ad
117 HS. XC. millia. *Hic mihi etiam dicere audebis magnè ſe decumas vendidiſſe? cū ex eodem agro, dimidio plus ipſe abſtulerit, quam populo Ro. miſerit. CCXVI. decumas agri Leontini vendidiſti. ſi ex lege, magno: ſi vt lex eſſet libido tua, paruo: ſi vt quæ dimidiæ eſſent, decumæ vocarentur, paruo vendidiſti. multo enim pluris fructus annui Siciliæ venire potue-

tuerunt, si id te Senatus, aut populus Ro. facere voluisset. & enim sæpe decumæ tanti vænierunt cum lege Hieronica vænirent, quanti nunc lege Verrea vænierunt. Cedo mihi C. Norbani decumas venditas. C. NORBANI DECVMAE VENDITAE AGRI LEONTINI. Atque tum neque indicium de modo iugerum dabatur, neque enim erat Artemidorus Cornelius Recuperator: neque ab aratore magistratus Siculus tantum exigebant quantum Decumanus ediderat: nec beneficium petebatur à Decumano, vt in iugera singula ternis medimnis decidere liceret: nec nummorum accessionem cogebatur arator dare, nec ternas quinquagesimas frumenti addere: & tamen populo R. magnus frumenti numerus mittebatur. * Quid verò iste sibi 118
quinquagesimæ? quid porrò nummorum accessiones volunt? quo id iure, atque adeo quo id potius ore feci-sti? nummos dabat arator. quomodo? aut vnde? qui si largissimus esse vellet, cumulatiore mensura vteretur: vt antea solebant facere in decumis, cum æqua lege & conditione vænie-bant. is nummum dabat vnde? de frumento? quasi habuisset te Prætore quod venderet. de viuo igitur erat aliquid resecandum: vt esset, vnde Apronio ad illos fructus arationem hoc corollarium nummorum adderetur. Iam id porrò vtrum libentes, an inuiti dabant? libentes? amabant credo Apronium. inuiti? quare, nisi vi, & malo cogebantur? Iam iste homo amentissimus in vendundis decumis nummorum faciebat accessiones ad singulas decumas? neque multum

bina aut terna millia addebat. fiunt per triennium HS. fortasse D. millia. hoc neq; exemplo cuiusquam, neq; vllo iure fecit: neque eam pecuniam retulit: neq; hoc paruum crimen quemadmodū defen-
119 surus sit, homo quisquam vnquā excogitauit.* quod cum ita sit, audes dicere te magno decumas vendidisse: cum sit perspicuum, te bona fortunasq; aratorū non populi Rom. sed tui quæstus caussa vendidisse? Vt si quis villicus ex eo fundo qui HS. dena meritasset, excisis arboribus ac venditis, demptis regulis, instrumento, pecore abalienato, domino XX. millia nummum pro X. miserit: sibi alia præterea centum confecerit: primo dominus ignarus incommodi sui gaudeat, villicoq; delectetur, quod tanto sibi plus mercedis ex fundo refectum sit: deinde cum audierit, eas res quibus fundi & fructus & cultura continentur, amotas & venditas, summo supplicio villicum afficiat, & secum malè actum putet. Item populus Rom. cum audit pluris decumas vendidisse, C. Verrem, quam innocentissimum hominem, cui isse successit C. Sacerdotem, putat se bonum in arationibus fructibusque suis habuisse custodem ac villicū, cum senserit istum omne instrumentum aratorum, omnia subsidia vectigalium vendidisse, omnem spem posteritatis auaritia sua sustulisse, arationes & agros vectigales vastasse atque eximanisse: ipsum maximos quæstus prædasque fecisse: intelliget, secum actum esse pessime, istum autem summo supplicio
120 dignum existimabit.* vnde ergo hoc intelligi potest?

test? ex hoc maximè, quod ager decumanus prouinciæ Siciliæ propter istius auaritiam desertus est, neq; id solum actum est, vt hi multis minus iugis arent, si qui in agris remanserunt: sed etiam, vt permulti locupletes homines, magni & naui aratores, agros latos ac fertiles desererent, totasq; arationes derelinquerent. Id adeò sciri facilimè potest ex literis publicis ciuitatum, propterea quod lege Hieronica numerus aratorum quotānis apud magistratus publicè subscribitur. Recita tandem, quot acceperit aratores agri Leontini Verres. OCTOGINTA TRES. quot anno tertio profiteantur. TRIGINTA DVO. vnum & quinquaginta aratores ita video deiectos, vt his ne vicarij quidem succesſerint. Quot aratores aduenientē te fuerunt agri Muticensis, videamus ex literis publicis. CENTVM OCTOGINTA OCTO. Quid? anno tertio? CENTVM ET VNVS. Octoginta septem aratores vnus ager istius iniuria desiderat: atque adeo nostra Resp. quoniam illa populi Romani vectigalia sunt, hunc tot patrum familiarum numerum desiderat, & reposcit. Ager Herbitensis primo anno habuit aratores ducentos quinquaginta septem, tertio centum viginti. hinc centum triginta septem patres familias extorres profugerunt. Agyrinensis ager quorum hominum? quàm honestorum, quàm locupletum? ducentos quinquaginta aratores habuit primo anno Praturæ tuæ. Quid tertio anno? octoginta: quemadmodum Legatos Agyrinēses recitare ex publicis literis audistis. * Prē

dij

dij immortales, si ex prouincia tota centum septuaginta eiecisses, posses ne seueris iudicibus saluus esse? vnus ager Agyrinensis centum septuaginta aratoribus inanior cum sit, vos coniecturam totius prouinciæ non facietis? Atque hoc peræquè in omni agro Decumano reperietis. quibus aliquid tamen reliqui fuerit ex magno patrimonio, eos in agris minore instrumento, minus multis iugis, minores remansisse: quod metuebant, si recessissent ne reliquas fortunas omnes amitterent. quibus autem iste nihil reliqui, quod perderent, fecerat: eos planè non solum ex agris, verum ex ciuitatibus suis profugisse: illi ipsi, qui remanserant, vix decuma pars aratorum, relicturi agros omnes erant: nisi ad eos Metellus Roma literas misisset, decumas lege Hieronica venditurum, & nisi ab ijs hoc petuisset, vt sererent quàm plurimum: quod illi semper sua causa fecerant, cum eos nemo rogaret, quàmdiu intelligebant sese sibi, & Po. Ro. non Verri & Apronio sererе, impendere, laborare.* Iam verò si Siculorum 122
fortunas negligitis: si quemadmodum socij Po. Ro. à magistratibus nostris tractentur, non laboratis: at vos communem populi Rom. causam suscipite atq; defendite. Erectos aratores esse dico, agros vectigales vexatos atq; exanimatos à Verre, populatam vexatamq; prouinciam, hæc omnia doceo litteris ciuitatum, & primariis primariorum virorum testimonijs. Quid vultis amplius? num expectatis, dum L. Metellus is, qui multos in istum testes imperio & potestate deterruit, idem absens de istius scelere, improbi-

probitate, audacia testimonium dicat? non opinor. At is optime, qui successit isti, potuit cognoscere. ita est, verum amicitia impeditur. At debet nos certiores facere, quo pacto se habeat prouincia? debet, verum tamen non cogitur.* Num quis in Verrem L. Me- 123
telli testimonium requirit? nemo. num quis postulat? non opinor. Quid si testimonio L. Metelli ac literis haec omnia vera esse docebo, quid dicetis? vtrum Metellum falsum scribere? an amicum laedendi esse cupidum? an Praetorem quemadmodum prouincia affecta sit nescire? Recita literas L Metelli, quas ad Cn. Pompeium, & M. Crassum COSS. quas ad M. Mummium Praetorem: quas ad Quaestores vrbis misit. EPISTOLA L. METELLI. DECVMAS FRVMENTI LEGE HIERONICA VENDIDI. Cum scribit se lege Hieronica vendidisse, quid scribit? ita se vendidisse, vt omnes praeter Verrem. cum scribit lege Hieronica vendidisse, quid scribit? se per istum erepta Siculis maiorum nostrorum beneficia, ius ipsorum, conditionem societatis, amicitiae, foederum reddidisse. dicit quanti cuiusque agri decumas vendiderit. deinde quid scribit?* Re 124
cita de Epistola reliqua. SVMMA DATA EST OPERA à ME, VT QVAMPLVRIMO DECVMAS VENDEREM. Cur igitur, Metelle, non ita magno vendidisti? quia desertas arationes, inanes agros, prouinciam miseram perditamque offendi. quid? id ipsum quod fatum est, qua ratione quisquam, qui sereret, inuentus est? Recita literas. LITTERAE. ait se misisse, & cōfirmasse, suam interposuisse

posuisse auctoritatem tantū quod aratoribus, Metellus obsides non dedit, se in nulla re Verri similem futurum. At quid est tandem, in quo se laborasse dicat? Recita. VT ARATORES QVI RELIQVI ERANT, QVAM PLVRIMVM SERERENT. Qui reliqui? quid hoc est? reliqui, quo ex bello? quæ ex vastitate? quænam in Sicilia tanta clades, aut quod bellum tam diuturnum, tam calamitosum te Prætore versatum est, vt iis, qui tibi successerit, reliquos aratores collegisse, & recreasse videatur?

125 * Cum bellis Carthaginensibus Sicilia vexata est, & post nostram patrumq; memoriam cum bis in ea prouincia magna fugitiuorum copiæ versatæ sint: tamen aratorum internecio facta nulla est. tum semente prohibita, aut messe amissa fructus annuus interibat: tamen incolumis numerus manebat dominorum atque aratorum. tum qui M. Leuinio, aut P. Rupilio, aut M. Aquilio Prætoribus in eam prouinciam successerant, aratores reliquos non colligebant, tamen e plus Verres cum Apronio prouinciæ Siciliæ calamitatis importauit, quam aut Hasdrubal cum Pœnorum exercitu, aut Athenio cum fugitiuorum maximis copijs: vt temporibus illis, simulatq; hostis superatus esset, ager araretur omnis, neque aratori Prator per literas supplicaret, neq; eum præsens oraret, vt quam plurimum sereret: nunc autem ne post abitum quidem huius importunissimæ pestis, quisquam repesiretur, qui sua voluntate araret: pauci essent reliqui qui L. Metelli authoritate in agros atq; ad suum larem familiarem redirent?

* His

*His te literis, homo audaciſsime atq; amentiſsime, 126
ingulatum esse non sentis? non vides, cum is qui tibi
succesſit, aratores reliquos appellat, hoc eum diserte
scribere, reliquos hos esse, non ex bello, neque ex ali-
qua huiusmodi calamitate, sed ex tuo scelere, im-
portunitate, auaritia, crudelitate? Recita cætera.
TAMEN PRO EO VT TEMPORIS DIFFI-
CVLTAS ARATORVMQVE PENVRIA TV-
LIT. Aratorum, inquit, penuria, si ego accusa-
tor toties de re eadem dicerem, vererer ne ani-
mos vestros offenderem, Iudices. clamat Me-
tellus: nisi literas misissem, non est satis, nisi præ-
sens confirmassem, ne id quidem satis est. reliquos
inquit aratores: reliquos? prope lugubri verbo ca-
lamitatem prouinciæ Siciliæ significat. addit: ara-
torum penuria. *Expectate etiam, Iudices, si po 127
testis, autoritatem accusationis meæ. dico aratores
istius auaritia eiectos: scribit Metellus reliquos ab
se esse confirmatos. dico agros relictos, arationesque
desertas esse: scribit Metellus aratorum esse penu-
riam. hoc cum scribit, illud ostendit, deiectos, eiectos,
fortunis omnibus expulsos esse populi Ro socios, at-
que amicos. quibus si qua calamitas propter istum
saltus vectigalibus nostris accidisset, animaduertere
in eum vos oportebat: præsertim cum ea lege iudi-
caretis, quæ sociorum caussa esset constituta. cum
vero perditis profligatisque sociis vectigalia populi
Rom. sint diminuta, res frumentaria, commeatus,
copiæ, salus vrbis atque exercituum nostrorum, in
posteritatem, istius auaritia intercierit, saltem po-

puli

populi Rom. cõmoda respicite, si socijs fidelissimis pro-
128 spicere non laboratis. * Atque vt intelligatis ab isto
præ lucro prædaq; præsẽti, nec vectigalium, nec poste-
ritatis habitam esse rationem: cognoscite, quid ad
extremum scribat Metellus. In reliquum tẽpus, ait,
se vectigalibus prospexisse. non scriberet se vectiga-
libus prospexisse, nisi hoc vellet ostendere, te vectiga-
lia perdidisse. Quid enim erat, quod vectigalibus
prospiceret. Metellus in decumis, & in tota re frumẽ-
taria, si iste non vectigalia Populi Rom. suo quæstu
peruertisset? Atque ipse Metellus, qui vectigalibus
prospicit, qui reliquos aratores colligit, quid assequi-
tur, nisi hoc? vt arent, si qui possunt, quibus aratrum
saltem aliquod satelles istius Apronius reliquum fe-
cit: qui tamen in agris spe atq; expectatione Metelli
remanserunt. Quid cæteri Siculi? quid illa maximus
numerus aratorum? qui non modo ex agris electi
sunt, sed etiam ex ciuitatibus suis, ex prouincia, de-
niq; bonis fortunisq; omnibus ereptis profugerunt:
qua ratione ij reuocabuntur? quot Prætorum inno-
centia sapientiaque opus est, vt illa aratorum mul-
titudo aliquando in suis agris ac sedibus collocetur?
129 * Ac ne miremini tantam multitudinem profugisse,
quantam ex literis publicis, aratorumq; professio-
nibus cognouistis: scitote tantam acerbitatem istius,
tantum scelus in aratores fuisse (incredibile dictu
est, Iudices, sed & factum, & tota Sicilia peruul-
gatum) vt homines propter iniurias licentiamque
decumanorum mortem sibi ipsi consciuerint. Cen-
turipinum Dioclem hominem locupletem suspen-
disse

dísse se constat, quo die sit ei nunciatum Apronium decumas, redemisse. Dyrrachinum primum ciuitatis eadem ratione mortem oppetisse dixit apud vos homo nobilissimus Archonidas Florinus, cum audisset tantum Decumanum, professum esse ex edicto istius sibi deberi, quantum ille bonis suis omnibus efficere non posset. Hæc tu tametsi omnium hominum dissolutissimus crudelissimusque semper fuisti, tamen nunquam perpeterêre, quòd illi gemitus luctusque prouinciæ ad tui capitis periculum pertinebant: non, inquam, perpeterere, vt homines iniuriæ tuæ remedium morte ac suspendio quærerent, nisi ea res ad quæstum, & ad prædam tuam pertineret.* Quid? illud perpeterere? attendite, Iudices. omnibus enim neruis mihi contendendum est, atque in hoc laborandum, vt omnes intelligant, quàm improbam, quàm manifestam, quam cõfessam rem pecunia redimere conentur. Graue crimen est hoc, & vehemens, & post hominum memoriam iudiciaque de pecunijs repetundis constituta grauissimum, Prætorem Po. Rom. socios habuisse decumanos. Non hoc nunc primum audit priuatus de inimico, reus ab accusatore: iam antea in sella sedens Prætor, cum prouinciam Siciliam obtineret, cum ab omnibus non solum, id quod commune est, propter imperium, sed etiam id, quod istius præcipuum est, propter crudelitatem metueretur, millies audiuit, cum eius animum ad persequendum non negligentia tardaret, sed conscientia sceleris auaritiæq; suæ frenaret. loquebantur enim decumani palam, & præter cæteros is, qui apud istum plurimum poterat, maximosque agros populabatur. 130

Apronius: per parum ex illis magnis lucris ad sese per-
131 uenire, Prætorem esse socium. * hoc cum palam Decumani tota prouincia loquerentur, tuumque nomen in re tam turpi nefariaque interponerent, nihilne tibi venit in mentem existimationi tuæ consulere: nihil denique capiti ac fortunis tuis prouidere? cum tui nominis terror in auribus animisque aratorum versaretur: cum Decumani aratoribus ad pactiones faciendas non suam vim, sed tuum scelus ac nomen opponerent: ecquod iudicium Romæ tam dissolutum, tam perditum, tam nummarium fore putasti, quo ex iudicio te vlla salus seruare posset? cum planum fieret, decumis contra institutæ legis, consuetudinemque omnium venditis, in aratorum bonis fortunisque diripiendis decumanos dictitasse tuas esse partes, tuam rem, tuam prædam: idque te tacuisse, & cum dissimulare non posses, potuisse tamen perpeti, & perferre, quòd magnitudo lucri obscuraret periculi magnitudinem, plusque aliquando apud te pecuniæ cupiditas, quam iudi-
132 cij metus posset. * Esto, cætera negare non potes. ne illud quidem tibi reliquum fecisti, vt hoc posses dicere, nihil eorum te audisse, nihil ad tuas aures de infamia tua peruenisse: querebantur cum luctu & gemitu aratores: tu id nesciebas? fremebat tota prouincia: nemo id tibi renunciabat? Romæ querimoniæ de tuis iniurijs, conuentusque habebantur: ignorabas hæc, ignorabas hæc omnia? quid cum palam Syracusis te audiente, maximo conuentu P. Rubrius Q. Apronium sponsione lacessiuit, ni Apronius dictitaret, te sibi in decumis esse socium: hæc te vox non perculit? non per-

turba-

turbauit? non, vt capiti & fortunis tuis prospiceres, excitauit? tacuisti, sedasti etiam lites illorum, & sponsio illa ne fieret, laborasti. Prò dij immortales, hoc aut innocens homo perpeti potuisset, aut quamuis nocens, qui modo iudicia Romæ fore putaret, non aliqua re simulatione Populi Rom. existimationi se hominum vendicasset? * quid est hoc? sponsio fit de capite, ac fortunis tuis: tu sedes, & quiescis? non persequeris? non persequeras? non perquiris cui dixerit Apronius? quis audierit? vnde hoc natum? quemadmodum prolatum sit? si quis tibi ad aurem accessisset, & dixisset Apronium dictitare, te sibi esse socium, commoueri te oportuit, vocare Apronium, nec illum ante tibi satisfacere, quam tu omnium existimationi satisfeciisses: cum verò in foro celeberrimo, tanta frequentia, hoc verbo & simulatione Apronio, reuera tibi obiectum esset, tu vnquam tantam plagam tacitus accipere potuisses: nisi hoc ita statuisses, in re tam manifesta quicquid dixisses, te deterius esse facturum? * Quæstores, Legatos, Præfectos suos, Tribunos multi missos fecerunt, & de prouincia decedere iusserunt, quod eorum culpa se minus commodè audire arbitrarentur, aut quod peccare illos aliqua in re iudicarent. tu Apronium hominem vix liberum, contaminatum, perditum, flagitiosum, qui non modo animum integrum, sed ne animam quidem puram conseruare potuisset, eum in tãto tuo dedecore profectò ne verbo quidem grauiore appellasses: neq; apud te tam sancta religio societatis fuisset, vt tui capitis periculum negligeres: nisi rem tam notam esse omnibus & tam manifestam videres. * Cum eodem

133 134 135

eodem Apronio postea P. Scandilius Eques Rom. quem vos omnes nostis, eandem sponsionem de societate fecit, quam Rubrius facere voluerat: instituit, oppressit, non remisit. facta est sponsio H.S. V. mil. cœpit Scandilius recuperatores, aut iudicē postulare. satisne vobis Prætori improbo circumdati cancelli videntur in sua prouincia, imò vero in sella, ac tribunali, vt aut de suo capite iudicium fieri patiatur præsens, ac sedens: aut confiteatur se omnibus iudicijs conuinci necesse esse? sponsio est, ni te Apronius in decumis socium esse dicat. prouincia tua est, ades, abs te iudicium postulatur. quid facis? quid decernis. Recuperatores dicis te daturū. bene agis, tametsi qui erunt tantis cerutcibus Recuperatores, qui audiant in prouincia; cū Prætor adsit, non solū contra
136 voluntatē eius, sed etiā contra fortunas iudicare.* Verum esto, manifesta res est: cū nemo esset, quin hoc se audisse liquido diceret: locupletissimus quisq; certissimus testis esset: nemo erat Sicilia tota, qui nescīret decumas esse Prætoris, nemo qui non audisset ita Apronii dictitasse: præterea conuentus honestus Syracusis, multi Equites R. viri primarij, ex qua copia recuperatores reijci oporteret, qui aliter iudicare nullo modo possent. Instat Scandilius poscere Recuperatores. tum iste homo innocens, qui illam suspicionem leuare, atq; ab se remouere cuperet, Recuperatores dicit se de cohorte sua
137 daturū.* Pro Deum hominumq; fidem, quem ego accuso? in quo meam industriam ac diligētiam spectari volo? quid est, quod ego dicendo, aut cogitando, efficere, aut assequi debeam? teneo in medijs vectigalibus Po. Rom. in ipsis fructibus prouincia Siciliæ furem mani-

manifesto auertentem rem frumentariam omnem, pecuniam maximam: teneo, inquam, ita, vt negare non possit. nam quid hic dicet? sponsio facta est cum cognitore tuo Apronio de fortunis tuis omnibus, nisi socium te sibi in decumis esse diceret. Expectant omnes quantæ tibi eares curæ sit, quemadmodum hominum existimationi te, atque innocentiam tuam probari velis, * hic tu Medicum, & Aruspicem, & præconem tuum Recuperatores dabis? aut etiam illum ipsum: quem tu in cohorte tua Cassianum iudicem habebas, si qua res maior esset, Papyrium Potamonem? hominem seuerum ex vetere illa equestri disciplina? Scandilius postulare de conuentu Recuperatores. Tum iste negat se de existimatione sua cuiquam, nisi suis, commissurum. Negotiatores putant esse turpe, id forum sibi iniquum eiurare, vbi negocientur. Prætor prouinciam suam totam sibi iniquam eiurat. O impudentiam singularem, hic postulat se Romæ absolui, qui in sua prouincia iudicauit se absolui, nullo modo posse, qui plus existimet apud lectissimos Senatores pecuniam, quam apud tres negotiatores metum valere. Scandilius verò negat sese apud Artemidorum Recuperatorem verbum esse facturum: & tamen vrget, atque onerat te bonis conditionibus, si tu vti velis, si ex prouincia Sicilia tota statuas idoneum iudicem aut Recuperatorem nullum posse reperiri, postulat à te, vt Romam reijcias. * hic enimuerò tu exclamas, hominem improbum, qui postulet ibi de tua existimatione iudicium fieri, vbi te inuidiosum esse intelligebat. negas te Romam reie- 138 139

cturum, negas de cõuentu Recuperatores daturum, cohortem tuam proponis. Scandilius rem se totam relicturum dicit, & suo tempore esse rediturum. Quid tu ibi tum? quid facis? Scandilium cogis. quid? sponsionem acceptam facere? impudenter tollis expectatum existimationis tuæ iudicium. non facis. quid ergo? Apronio permittis, vt quos velit, de cohorte sumat Recuperatores? indignum, vni potius ex iniquis sumendi, quam vtrisque ex æquis reiçiendi fieri potestatem,
140 neutrum facis eorum. * Quid ergo, est aliquid quod improbius fieri potest? cogit enim Scandilium quinque illa millia nummum dare atque adnumerare Apronio. Quid potuit elegantius facere Prætor cupidus existimationis bonæ, qui ab sese omnem suspitionem propulsare, qui se eripere ex infamia cuperet? Adductus erat in sermonem, inuidiam, vituperationem: dictitarat homo improbus, atque impurus Apronius, socium esse Prætorem: venerat res in iudicium, atq; discrimen: potestas erat isti homini integro, atque innocenti data, vt in Apronium cum animaduertisset, sese grauissima leuaret infamia. Quid excogitat pœnæ? quid animaduersionis in Apronium? Cogit Scandilium Apronio ob singularẽ improbitatẽ, atq; audaciã, prædicationemq; nefariæ societatis, H.S. V. millia mercedi nomine ac præmij dare.*
141 Quid interfuit, homo audaciſsimè, vtrum hoc decerneres? an id quod Apronius dictitabat, tu de te positerere, ac dictitares? quem hominem, si quis pudor in te, atq; adeo si quis metus fuisset, sine supplicio dimittere non debuisti, hũc abs te sine præmio discedere noluisti. Omnia simul intelligere potuistis, Iudices, ex hoc vno crimine

mine Scandiliano: primùm, hoc non esse Romæ natum de societate decumarum, non ab accusatore fictum, non, vt solemus interdum in defensionibus dicere, crimen domesticum ac vernaculum, non ex tempore periculi tui constitutum, sed vetus excogitatum iam, & te Prætore iactatum, & non ab inimicis Romæ compositum, sed Romam de prouincia exportatum. * simul intelligi potest illud istius in Apronium studium: Apronij de isto non modo confessio, verum etiam commemoratio. eodem accedit, quod hoc quoque intelligere potestis, istum statuisse in prouincia sua, existimationis suæ iudicium extra cohortem suam committendum fuisse nemini. Ecquis est iudex, cui non ab initio decumani criminis persuasum sit, istum in oratorum bona, fortunasque impetum fecisse? quis hoc non ex eo statim iudicauit, quod ostendi istum decumas noua lege, atque adeo nulla lege, contra omnium consuetudinem, atque instituta vendidisse? * Verùm vt istos ego Iudices tam seueros, tam diligentes, tam religiosos non haberem. ecquis est, ex iniuriarum magnitudine, improbitate decretorum, iudiciorum iniquitate, qui hoc non iamdudum statuerit, & iudicarit? Etiam sane, sit aliquis dissolutior in iudicando: legum, officij, reipublicæ, sociorum, atque amicorum negligentior, quid is: possitne de istius improbitate dubitare, cum tanta lucra facta, tam iniquas pactiones vi & metu expressas cognouerit: cum tantæ præmia ciuitates vi atque imperio virgarum ac mortis metu non modo Apronio, atq; eius similibus, verũ etiam Venerijs seruis dare coactas: * Quod si quis sociorum incommodis minus mouetur: si

142 143 144

quem aratorum fugæ, calamitates, exilia, suspendiæ denique non permouent: non possum dubitare, quin is tamen cum vastatam Siciliam, relictos agros, ex ciuitatum literis, & epistola L. Metelli cognouerit: statuat fieri non posse, vt de isto non seuerissimè iudicetur. Erit etiam aliquis qui hæc omnia dissimulare ac negligere possit, attuli sponsiones ipso præsente factas de decumarum societate, ab ipso prohibitas iudicari: Quid est, quod posset quisquam manifestius hoc desiderare? non dubito quin vobis satisfecerim, Iudices: veruntamen progrediar longius: non me hercle quo magis hoc vobis persuadeatur, quam iam persuasum esse confido: sed vt ille aliquando impudentiæ suæ finem faciat: aliquando desinat, ea se putare posse emere; quæ ipse semper habuit vænalia; fidem, iusiurandum, veritatem, officium, religionem: desinant amici eius ea dictitare, quæ detrimento, maculæ, inuidiæ, infamiæ
145 nobis omnibus esse possint * at qui amici? Omiserum atque inuidiosum offensumque paucorum culpa, atque indignitate ordinem Senatorium. Albam Aemilium sedentem in faucibus macelli loqui palam, vicissè Verrem, emptos habere iudices: alium H S. CCCC. millibus, alium H S.D. quem minimo, CCC. atq; ei cum responsum esset, fieri non posse, multos testes esse dicturos, me præterea caussa non defuturum: Licet hercules, inquit, omnes omnia dicant, in illo nisi ita res manifesta erit allata, vt responderi nihil possit, vici-
146 mus. * Bene agis Alba: ad tuam veniam conditionẽ. nihil putas valere in iudicijs cõiecturã, nihil suspicionem, nihil anteactæ vitæ existimationem, nihil bonorũ

viro-

virorum testimonia, nihil ciuitatum authoritates ac testimonia: literas manifestas queris. non quæro Iudices Cassianos, veterem iudiciorum seueritatem non requiro: vestram in hoc fidem, dignitatem, religionem in iudicando non imploro: Albam habebo iudicem, eum hominem, qui se ipse scurram improbissimum existimari vult: qui à scurris potius semper gladiator, quam scurra appellatus sit. afferam re eiusmodi in decumis, vt Alba fateatur, istum, in re frumentaria, & in bonis aratorum apertè palam q3 esse prædatum. * Decumas agri Leontini magno dicit se ven- 147
didisse. ostendi iam illud initio non existimandum magno vendidisse eum, qui verbo decumas vendiderit: re, & conditione, & lege, & edicto & licentia Decumanorum. decumas oratoribus nullas reliquas fecerit. Etiam illud ostendi, vendidisse alios magno decumas agri Leontini, cæterorum q3 agrorum, & lege Hieronica vendidisse, & pluris etiam quam te vendidisse: nec aratorem quenquam esse quæstum: nec enim fuit, quod quisquam queri posset, cum lege æquissimè scripta venirent: neque illud vnquam aratoris interfuit, quanti decumæ venirent. non enim ita est, vt si magno vænierint, plus arator debeat: si paruo, minus. vt frumēta nata sunt, ita decumæ væneunt. aratoris autē interest, ita se frumenta habere, vt decumæ quam plurimo venire possint: dū arator ne plus decuma det, expedit ei decumam esse quam maximam. * Verum hoc, 148
vt opinor, esse vis caput defensionis tuæ, magno te decumas vendidisse: agri verò Leontini, qui plurimū efficit tritici mod. CCXVI. millibus. Si doceo pluris aliquāto

potuisse te vendere, neque his voluisse addicere, qui contra Apronium licerentur : & Apronio multo minoris, quàm alijs potueris, tradidisse : si hoc doceo, poteritne te Alba tuus antiquissimus amicus, absoluere? Dico Equitem Ro. hominem inprimis honestum: Q. Minutium cum suis similibus, ad decumas agri Leontini tritici mod. non M. non MM. non MMM. sed ad vnas vnius agri decumas tritici mod. XXX. millia voluisse addere : & ei potestatem emendi non esse fa-
149 ctam, ne res abiret ab Apronio. * negare hoc, nisi forte negare omnia constituisti, nullo modo potes. palàm res gesta est. maximo conuentu, Syracusis: testis est tota prouincia, propterea quod vndique ad emendas decumas solent eo conuenire. quod siue fateris, siue conuinceris quot & quàm manifestis in rebus, teneare non vides? primum tuam rem illam, & prædam fuisse. nam nisi ita esset, cur tu Apronium malebas, quem omnes tuum procurare in decumis negocium loquebantur, quam Minutium decumas agri Leontini sumere? deinde immensum, atque infinitum lucrum esse factum. nam si XXX. millibus mod. tritici tu commotus non esses : certè hoc idem lucri Minutius Apronio libenter dedisset. si ille accipere
150 voluisset. * quantam igitur illi spem prædæ propositam arbitramur fuisse, qui tantum præsens lucrum nulla opera insumpta contempserit, atque despexerit? deinde ipse Minutius nunquam tanti habere voluisset, si decumas tu lege Hieronica venderes. sed quod tuis nouis edictis, & iniquissimis institutis plus aliquantò se, quam decumas ablaturum videbat, idcirco

circo longius progressus est. At Apronio semper, plus etiam multo abs te permissum est, quàm quod edixeras. quantum igitur quæstum putamus factum esse per eum, cui quiduis licitum sit: cum tantum lucri voluerit addere is, cui si decumas emisset, idem non liceret? * Postremò illa quidem certè 151
tibi præcisa defensio est, in qua tu semper omnia tua furta, atque flagitia latere posse arbitratus es, magno te decumas vendidisse, plebi Ro. consaluisse, annonæ prospexisse, non potest hoc dicere is, qui negare non potest, se vnius agri decumas XXX. millibus mod. minoris, quam potuerit, vendidisse: vt etiam, si tibi hoc concedam, Minutio ideo te non tradidisse, quòd iam addixisses Apronio: aiunt enim te ita dictitare, quod ego expecto, cupioque te illud defendere. verum vt ita sit, tamen non potes hoc quasi præclarum aliquid prædicare, magno te decumas vendidisse, cum fuisse fateare, qui multo pluris voluerint emere. * Tenetur igitur iam iudices, & ma- 152
nifesto tenetur auaritia, cupiditas hominis, scelus, improbitas, audacia. Quid si hæc, quæ dico, ipsius amici, defensoresque iudicarunt? quid vultis amplius? Aduentu L. Metelli Prætoris cum omnes eius comites iste sibi suo illo panchresto medicamento amicos redemisset: aditum est ad Metellum, eductus Apronius, eduxit vir primarius C. Gallus Senator: postulauit: à L. Metello, vt ex edicto suo iudicium daret in Apronium, quòd per vim aut metum abstulisset: quam formulam Octauianam & Romæ Metellus habuerat: & habebat in prouincia: non impetrat: cū hoc dice-

diceret Metellus, præiudicium à se de capite C. Verris per hoc iudicium nolle fieri. tota Metelli cohors, ho-
153 minum non ingratorum, aderat Apronio. C. Gallius homo nostri ordinis, à suo familiarissimo L. Metello iudiciũ ex edicto non potest impetrare. * Non reprehendo Metellum, pepercit homini amico, & quemadmodũ ipsum dicere auduit, necessario. Non reprehẽdo, inquam, Metellũ: sed hoc miror, quomodo de quo homine præiudicium noluerit fieri per Recuperatores, de hoc ipso non modo præiudicarit, verum grauissimè ac vehementissimè iudicarit. Primum enim, si Apronium absolutum iri putaret: nihil erat, quod vllum præiudicium vereretur. deinde si condẽnato Apronio, coniunctam cum eo Verris causſam omnes erant existimaturi: Metellus quidem certè iam hoc iudicabat, eorum rem, causſamque esse coniunctam, qui statuerit Apronio cõdemnato, de isto præiudicium futurum, & simul vna res vtrique rei est argumento: & aratores vi & metu coactos Apronio multo plus, quam debuerint, dedisse: & Apronium istius rem suo nomine egisse, cum L. Metellus statuerit non posse Apronium condemnari, quin simul de istius scelere atque improbita-
154 te iudicaretur. * Venio nunc ad epistolam Timarchidis, liberti istius & Accen[sus], de qua cùm dixero, totum hoc crimen Decumanum perorabo. Hæc epistola est, iudices, quam nos Syracusis in ædibus Apronij, cum litteras conquireremus, inuenimus. missa est, vt ipsa significat, ex itinere, cum Verres iam de prouincia decessisset, Timarchidis manu scripta. Recita epistolam Timarchidis. TIMARCHIDES VERRIS ACCEN-

ACCENSVS APRONIO SALVTEM DICIT. *Iam hoc quidem non reprehendo quòd adscripsit Accensus: cur enim sibi hoc Scribæ soli sumant? L. Papyrius Scriba. volo ego hoc esse commune Accensorum, Lictorum, Viatorum.* FAC DILIGENTIAM ADHIBEAS, QVOD AD EXISTIMATIONEM PRÆTORIS ATTINET. *Commendat Apronio Verrem, & hortatur vt inimicis eius resistat. bono præsidio munitur existimatio tua, siquidem in Apronij constituitur diligentia, atque autoritate.* HABES VIRTVTEM ATQVE ELOQVENTIAM. * *Quàm copiosè laudatur Apronius à Timarchide? quàm magnificè? cui ego non putem illum placere oportere, qui tantoperè Timarchidi probatus sit?* HABES SVMPTVM VNDE FACIAS. *Necesse est, quod redundaret de vestro frumentario quæstu, ad illum potissimum, per quem agebatis, defluxisse,* SCRIBAS, APPARITORES, REGENTES, ARRIPE. CVM L. VVLTEIO, QVI PLVRIMVM POTEST, CÆDE, CONCIDE. *Videte quàm valde malitiæ suæ confidat Timarchides, qui etiam Apronio improbitatis præcepta det. Iam hoc, cæde, concide, non verba domo patroni depromere videtur ad omne genus nequitiæ accommodata?* VOLO MIHI FRATERCVLO TVO CREDAS. *Consorti quidem in lucris atque furtis: gemino, & similimo nequitia, improbitate, audacia.* IN COHORTE CHARVS HABEARE. *Quid est hoc in cohorte? quo pertinet? Apronium doces? quid? in vestram cohortem te monitore, an sua sponte*

1551

sponte pervenerat? QVOD CVIQVE OPVS SIT, OPPONE. *Qua impudentia putatis eum in dominatione fuisse, qui in fuga tam improbus fuerit, omnia pecunia efficere posse: dare, profundere, opponere, si velis vincere: non hoc mihi tam molestum est Apronio suadere Timarchidem, quàm quòd hoc idem patrono suo præcipit.* * TE POSTVLANTE OMNES
156 VINCERE SOLENT. *Verre quidem Prætore, non Sacerdote, non Peduceo, non hoc ipso Metello.* SCIS METELLVM SAPIENTEM ESSE. *Hoc verò ferri iam non potest, irrideri viri optimi, L. Metelli ingenium, & contemni ac despici à fugitivo Timarchide.* SI VVLTEIVM HABEBIS, OMNIA LVDIBVNDVS PERFICIES. *Hic vehementer errat Timarchides: qui aut Vulteium pecunia corrumpi putet posse, aut Metellum vnius arbitratu gerere Prætura m. sed errauit coniectura domestica: quia multos per se, & per alios multa ludibundos libidinosè apud Verrem effeciſſe vidit: ad omnes eosdem patere aditus arbitrabatur. facilius vos efficiebatis ludibundi, quæ volebatis à Verre, quòd multa eius ludorum genera noratis.* INCVLCATVM EST METELLO ET VVLTEIO TE ARATORES EVERTISSE. *Quis istuc Apronio attribuebat, cum aratorem aliquem euerterat? aut Timarchidi, cum ob iudicandum, aut decernendum, aut imperandum aliquid, aut remittendum, pecuniam acceperat? aut Sestio Lictori, cum aliquem innocentem securi percuſſerat? nemo. omnes ei Verri tunc attribuebant, quem nunc*

condemna-

condemnari volunt. *OBTVDERVNT EIVS 157
AVRES TE SOCIVM PRÆTORIS FVISSE. Videsne hoc quàm clarum sit, ac fuerit? cum etiam Timarchides hoc metuat: concedes non hoc crimen nos in te confingere, sed iampridem ad crimen aliquam defensionem libertum quærere? libertus & Accensus tuus, & tibi ac liberis tuis? omnibus in rebus coniunctus ac proximus, ad Apronium scribit, vulgò esse ab omnibus ita demonstratum Metello, tibi Apronium in decumis socium fuisse. FAC SCIAT IMPROBITATEM ARATORVM. IPSI SVDABVNT, SI DII VOLENT. Quod ipsum per deos immortales, aut qua de caussa excitatum esse dicamus in aratores tam infestum odium, atque tantum? quantam iniuriam fecerunt Verri aratores, vt eos etiam libertus & Accensus eius tam irato animo, his literis insequatur? Neque ego huius fugitiui, Iudices, epistolam vobis recitassem, nisi vt ex ea totius familiæ præcepta & instituta, & disciplinam cognosceretis. Videtis, vt moneat Apronium, quibus rebus ac muneribus se insinuet in familiaritatem Metelli? Vulteii corrumpat? Scribas, Accensumq; precio delineat? ea præcipit quæ vidit: ea monet alienum hominem, quæ domi didicit ipse. verum in hoc errat vno, quòd easdem existimat vias ad omnium familiaritates esse munitas: *quanquam merito sum iratus Metello, tamen hæc, 158
quæ vera sunt, dicam: Apronius ipsum Metellum non precio, vt Verrem, non conuiuio, non muliere, non sermone incauto atque improbo posset corrumpere: quibus

bus rebus non sensim, atque moderatè ad istius amicitiam arrepserat, sed breui tempore totum hominem, totamque eius Prætoram possederat. Cohortem autem Metelli quam vocat, quid erat, quod corrumperet? ex
159 qua recuperatores nulli dabantur. * Nam quod scribit Metelli filium puerum esse, vehementer errat. non enim ad omnes Prætorum filios ijdem aditus sunt. O Timarchide, Metelli est filius in prouincia: nō puer, sed adolescens bonus ac pudens, dignus illo loco ac nomine. vester ille puer prætextatus in prouincia quemadmodum fuisset, non dicerem, si pueri esse illam culpam ac non patris existimarem. tunè, cum te ac tuam vitam nosses, in Siciliam tecum grandem prætextatum filium ducebas? vt etiam si natura puerum à paternis vitiis, atque à generis similitudine abduceret, consuetudo tamen eum & disciplina degenerare non
160 sineret. * Fac enim fuisse in isto C. Lælii, M. Catonis materiem, atque indolem. Quid ex eo boni sperare atque effici potest, qui in patris luxurie sic vixerit, vt nullum vnquam pudicum, neque sobrium conuiuium viderit? qui in epulis quotidianis adulta ætate per triennium inter impudicas mulieres & intemperantes viros versatus sit? nihil vnquam à patre audiuit, quo pudentior, aut melior esset? nihil vnquam patrem agere vidit, quod cum imitatus esset, non id quod turpissimum est, similis patri, putaretur. * Quibus in
161 rebus non solum filio, verum etiam Reipubl. feciſti iniuriam. susceperas enim liberos non solum tibi, sed etiam patriæ: qui non modo tibi voluptati, sed etiam qui aliquando vsui Reipubl. esse possent, eos instituere,

atq;

atque erudire ad maiorum instituta, atque ciuitatis disciplinam, non ad tuas turpitudines debuisti, esset inerti atque impuro & improbo parente nauus, & pudens, & probus filius: haberet aliquid abs te Resp. muneris, nunc pro te Verrem substituisti alterum ciuitati: nisi hoc fortè deterior est, si fieri potest, quod tu eiusmodi euasisti, non in hominis luxurioſi, sed tantum in furis ac diuisoris disciplina educatus. * Quid isto festiuius fore arbitramur, qui est tuus natura filius, consuetudine discipulus, voluntate similis? Quem ego, Iudices, quamtumuis bonum fortemque facilè paterer euadere: non enim me inimicitiæ commouent, si quæ mihi cum isto futuræ sint, nam si in omnibus rebus innocens fuero, meique similis, quid mihi istius inimicitiæ nocebunt? sin aliqua in re Verri similis fuero, non magis mihi deerit inimicus, quam Verri defuit. Etenim, Iudices, eiusmodi Resp. debet esse, & erit, seueritate iudiciorum constituta, vt inimicus neque deesse nocenti possit, neque obesse innocenti, quapropter nulla res est: quamobrem ego istum nolim ex paternis probris, ac vitiis emergere: id quod tametsi isti difficile est, tamen haud scio an fieri possit: præsertim si (vt nunc fit) custodes amicorum eum sectabuntur: quoniam pater tam negligens ac dissolutus est. * Verùm huc longius, quam voluntas fuit, ab epistola Timarchidis digressa est oratio mea. quæ recitata, conclusurum me esse crimen decumarum dixeram: ex quo intellexistis innumerabilem frumenti numerum per triennium auersum à Rep. esse, abreptumque aratoribus. Sequitur, vt de frumento empto

162

165

vos, Iudices, doceam, maximo atque impudentissimo furto: de quo dum certa, & pauca & magna dicam breuiter, attendite. Frumentum emere in Sicilia debuit Verres ex Senatusconsulto, & ex lege Terentia & Cassia frumentaria. Emundi duo genera fuerunt: vnum certarum Decumarum, alterum quod praterea ciuitatibus æqualiter esset distributum. Illius decumani tantum, quantum ex primis decumis fuisset huius imperatu tritici mod. DCCC. millia: pecium autem constitutum decumano in mod. singulos HS ternos: imperato HS. IIII. ita in frumentum imperatum HS. duodetricies in annos singulos Verri decernebatur, quod aratoribus solueret: in alteras decumas fermè ad nonagies, sic per triennium ad hanc frumenti emptionem Siciliensem propè centies & tricies erogatum est. * Hanc
164 pecuniam tantam, datam tibi ex ærario inopi, atque exhausto: datam ad frumentum, hoc est ad necessitatem salutis & vitæ: datam vt Siculis aratoribus, quibus tanta onera Respubl. imponeret, solueretur, abs te sic laceratam esse dico, vt possim illud probare, si velim, omnem te hanc pecuniam domum tuam auertisse. etenim sic hanc rem totam administrasti, vt hoc, quod dico, probari æquissimo iudici possit, sed ego habebo rationem autoritatis meæ: memmero, quo animo, quo consilio ad caussam publicam accesserim: non agam tecum accusatoriè, nihil fingam, nihil probari velim me dicente, quod non ante mihimetipsi probatum sit. * In hac
165 pecunia publica, Iudices, hæc insunt tria genera furtorum.

torum.. Primum eam,cum posita esset apud eas societates,vnde erat attributa, binis centesimis fœneratus est. Deinde permultis ciuitatibus pro frumento nihil soluit omnino.Postremò si cui ciuitati soluit, tantum detraxit,quantum commodum fuit:nulli, quod debitum est, reddidit. Ac primum hoc ex te quæro. tu cui publicani ex Carpinati litteris gratias egerunt, pecunia publica ex ærario erogata, ex vectigalibus Populi Romani ad emendum frumentum attributa, fueritnè tibi quæstui ? pensitaritne tibi binas centesimas ? credo te negaturum. turpis enim est & periculosa confessio. * mihi autem hoc perarduum 166
est demonstrare : quibus enim testibus ? Publicani tractati honorificè sunt : tacebunt litteræ eorum decreto Decumanorum remotæ sunt. Quo me igitur vertam?rem tam improbam, crimen tantæ audaciæ, tantæque impudentiæ, propter inopiam testium ac litterarum prætermittam ? non faciam, Iudices, vtar teste.quo? P.Vectio Cilone homine Equestris ordinis honestissimo, atque ornatissimo : qui isti ita amicus & necessarius est,vt etiam si vir bonus non esset, tamen quod contra istum diceret,graue videretur : ita vir bonus est,vt etiam si inimicissimus isti esset, tamen eius testimonio credi oporteret. * admiratur & expectat, 167
quidnam Vectius dicturus sit.nihil dicet ex tempore:nihil ex sua voluntate : nihil vt ei vtrumuis licuisse videatur. misit in Siciliam literas ad Carpinatium, cum esset magister scripturæ & sex publicanorum: quas ego Syracusis apud Carpinatium in litterarum allatarum libris,Romæ in literarũ missarũ apud ma-

gistrum Tullium familiarem tuum inueni: quibus ex literis impudentiã fœnerationis, quæso cognoscite. LITERÆ MISSAE L. VECTII, L. SERVILII, C. ANTISTITIS MAGISTRORVM. Præsto se tibi ait futurum Vectius, & obseruaturum quemadmodum rationes ad ærarium referas: vt si hanc ex fœnere populo pecuniam non retu-
168 leris, reddas societati* Possumus hoc teste, possumus P. Seruilij, & C. Antistitis magistrorum, primorum hominum, atque honestissimorum, possumus autoritate societatis, cuius literis vtimur, quod dicimus obtinere? an aliqua firmiora, aut grauiora quærenda sunt? Vectius tuus familiarissimus, Vectius tuus affinis, cuius sororẽ habes in matrimonio, tua frater vxoris Vectius, frater tui Quæstoris, testatur impudẽtissimũ tuũ furtũ certissimumq; peculatũ: nam quo alio nomine pecunia publicæ fœneratio est appellãda?* Recita reliqua. Scribam tuum dicit Verres huius perscriptorem fœnerationis fuisse: ei quoque magistri minantur in literis: & casu Scriba tum duo magistri fuerunt cum Vectio, binas centesimas ab se ablatas ferundum non putant: & rectè non putant. Quis enim hoc fecit vnquam? quis denique conatus est facere? aut posse fieri cogitauit? vt cum Senatus publicanos vsura sæpe inuisset, magistratus à publicanis pecuniam pro vsuris auderet auferre? Certè huic homini spes nulla salutis esset, si Publicani, hoc est, si equi-
169 tes Romani iudicarent.* Minor esse cura nunc, Iudices, vobis disceptantibus debet: & tanto minor, quanto est honestius alienis iniurijs, quam re sua commoueri.

Quid

Quid ad hæc respondere cogitas? vtrum factum negabis? an tibi hoc licitum esse defendes? negare qui potes? an vt tanta autoritate literarum, tot testibus Publicanis conuincare? licuisse verò quis si mehercule te tuam pecuniam, non Populi Romani in prouincia fœneratum docerem, tamen effugere non posses, sed publicam, sed ob frumentum decretam, sed à Publicanis fœnore accepto, hoc licuisse cuiquam probabis? quo non modo cæteri, sed ipse nihil audacius improbiusque feceris, non mehercule hoc, quod omnibus singulare videtur, de quo mihi deinceps dicendum est, possum, Iudices, dicere audacius esse, aut impudentius, quod permultis ciuitatibus pro frumento nihil soluit omnino: maior hæc præda fortasse est, sed illa impudentia certè non minor. *Et quoniam de illa fœneratione satis dictum est, nunc de hac tota pecuniæ auersa: quæso, cognoscite. 170

Siciliæ ciuitates multæ sunt, Iudices, ornatæ, atq; honestæ: ex quibus in primis numeranda est ciuitas Halesina: nullam enim reperietis aut officijs fideliorem, aut copijs locupletiorem, aut autoritate grauiorem. Huic iste annos singulos cum sexaginta tritici millia modium imperauisset, pro tritico nummos abstulit, quanti erat in Sicilia triticum: quos de publico nummos acceperat, retinuit omnes. Obstupui, Iudices, cum hoc mihi primum Halesæ demonstrauit in Senatu Halesinorum homo summo ingenio, summa prudentia, summa autoritate præditus Halesinus Aenias: cui Senatus dederat publicè caussam, vt mihi, fratriq; meo gratias ageret. & simul, qui nos ea, quæ ad iudicium pertinerent,

171 tinerent, doceret.* demonstrat hanc istius consuetudinem ac rationem fuisse: cum omnis frumenti copia decumarum nomine penes istum esset redacta, solitum esse istum pecuniam cogere à ciuitatibus, frumentum improbare: quantum frumenti Romam esset mittendum, tantum de suo quæstu, ac de sua copia frumenti mittere. posco rationes, inspicio literas. video frumenti granum Halesinos, quibus LX. millia modium imperata erant, nullam dedisse pecuniam Volcatio, Timarchidi, Scribæ dedisse. reperio genus huiusce modi, Iudices prædæ, vt Prætor, qui frumentum emere debebat. non emat, sed vendat: pecunias, quas ciuitatibus distribuere debebat, eas omnes auertat, atque auferat. non mihi iam furtum, sed monstrum, ac prodigium videbatur: ciuitatum frumentum improbaret, suum probare, cum suum probasset, precium ei frumento constituere: quod constituisset, id ciuitatibus auferre: quod à
172 populo Rom. accepisset, tenere. * quod vultis esse in vno furto peccatorum gradus? vt si singulis insistere velim, progredi iste non possit. Improbas frumentum Siculum. Quid? ipse quod mittis? peculiarem habes aliquam Siciliam, quæ tibi ex alio genere frumentum suppeditare possit? Cum Senatus decernit, vt ematur in Sicilia frumentum, aut populus iubet: hoc, vt opinor, intelligit, ex Sicilia Siculum frumentum apportari oportere. tu cum ciuitatum Siciliæ vulgo omne frumentũ improbas, num ex Aegypto, aut ex Syria frumẽtum Romam mittis? improbas Halesinum, Cephaliditanum, Thermitanum, Amestratinum, Tindaritanum, Herbitense: multarum præterea ciuitatum. Quid

accidit

accidit tandem, vt horum populorum agri frumentum eiusmodi te Prætore ferrent, quod nunquam antea, quod neque tibi, neque populo Rom. posset probari? præsertim cum ex ijsdem agris, eiusdemque anni frumentum ex decumis Romam mancipes aduexissent. quid acciderat, vt ex eodem horreo decumanum probaretur, emptum non probaretur? dubiumne est quin ista, omnis improbatio cogendæ pecuniæ caussa nata sit?* Esto: improbas Halesinum, habes ab alio populo quod probes: eme illud, quod placet: missos fac eos, quorum frumentum improbasti, sed ab ijs quos repudias, exigis tantum pecuniæ, quantum ad eum numerum frumenti satis sit, quem ciuitati imperas. Dubium est quid egeris? in medimna singula video ex literis publicis tibi Halesinos H S. quinos denos dedisse. ostendam ex tabulis locupletissimorum aratorum, eodem tempore neminem in Sicilia plurisfrumentum vendidisse. Quæ ergò ista ratio? aut quæ potius amentia? frumentum improbare id, quod ex eo loco sit, ex quo Senatus & Pop. Rom. emi voluerit: ex eo aceruo, ex quo partem tu idem decumarum nomine probaris? deinde à ciuitatibus pecunias ad emendum frumentum cogere, cum ex ærario acceperis. vtrum te lex Terentia Siculorum pecunia frumentum emere à Siculis, an Populi Romani pecunia frumentum ab Siculis emere iussit? * Iam verò ab isto, omnem illam ex ærario pecuniam, quam his oportuit ciuitatibus pro frumento dari, lucri factam videtis, accipis enim H S. XV. pro medimno. tanti enim est illo tempore medimnum, vetines

173

174

H S.XII. tanti enim est frumentum Siciliense ex lege æstimatum. Quid interest vtrum hoc feceris, an frumentum non improbaris. sed frumento probato, & accepto, pecuniam publicam tenueris omnem, neq; quicquam vlli dissolueris ciuitati? cũ æstimatio legis eiusmodi sit, vt cæteris temporibus tolerabilis Siculis, te Prætore etiam grata esse debuerit. Est enim modius lege H S.III. æstimatus: fuit autem te Prætore, vt tu in multis epistolis ad amicos tuos gloriaris, H S.II. Sed fuerit H S.III. quoniam tu tantum à ciuitatibus in modios singulos exegisti: cùm si solueres Siculis tantum, quantum te populus Romanus iusserat, aratoribus fieri gratissimum posset: tu non modo eos accipere, quod oportebat noluisti, sed etiam dare, quod non
375 debebant, coegisti. * Atque hæc ita gesta esse, Iudices, cognoscite ex literis publicis ciuitatum, & ex testimonijs publicis: in quibus nihil fictum, nihil ad tempus accommodatum intelligetis. Omnia quæ dicimus rationibus populorum non interpositis, neq; perturbatis, neq; repentinis, sed certis institutis, ordine relata atq; confecta sunt. Recita rationes Halesinorũ. Cui pecuniã datam dicit? dic, dic etiam clarius VOLCATIO, TIMARCHIDI, MEVIO. Quid est Verres? ne illam quidem tibi defensionem reliquam feci sti, mancipes in istis rebus esse versatos, mancipes frumentum improbasse, precio cum ciuitatibus decidisse, & eosdem abs te illarum ciuitatum nomine pecunias abstulisse, deinde ipsos sibi frumentum coemisse, nihil hæc ad te pertinere? Mala mehercule ac misera defensio, Prætorem hoc dicere; Ego frumentum, neque attigi, neque

aspexi:

aspexi: mancipibus potestatem probandi improbandiq; permisi: mancipes à ciuitatibus pecunias extorserunt: ego autem quam pecuniam populis dare debui, mancipibus dedi: * mala est hæc quidem, vt dixi, defensio criminis: sed tamen hæc ipsa tibi, si vti cupias, non licet: vetat te Volcatius tuæ tuorumq; deliciæ, mentionem mancipis facere. Timarchides autem columem familiæ vestræ premit fauces defensionis tuæ: cui simul, & Volcatio pecunia à ciuitate numerata est. tam verò Scriba tuus annulo aureo suo, quem ex his rebus inuenit, ista te ratione vti non sinet. Quid igitur est reliquum? nisi vti fateare, te Romam frumentum emptum Siculorum pecunia misisse, publicam pecuniam domum tuam conuertisse? O consuetudo peccandi, quantam habes iucunditatem in improbis & audacibus, cum pœna abfuit, & licentia consecuta est. * Iste in hoc genere peculatus non nunc primum inuenitur, sed nunc demum tenetur. vidimus huic ab ærario pecuniam numerari Quæstori ad sumptum exercitus Consularis: vidimus paucis post mensibus & exercitum, & consulem spoliatum. illa omnis pecunia latuit in illa caligine ac tenebris, quæ totam Rempub. tum occupauerant. Iterum gessit hæreditariam Quæsturam cũ Dolabella: magnam pecuniam auertit: sed eius rationem cum damnatione Dolabellæ permiscuit. Commissa est pecunia tanta Prætori: non reperietis hominem timide, nec leuiter hæc improbissima lucra liguirientem: deuorare omnem pecuniam publicam non dubitauit. ita serpit illud insitum in natura malum consuetudine peccandi libera, finem vt audaciæ statue- 176 177

178 re ipse sibi non posit: * tenetur igitur aliquando, & in rebus tum maximis, tum manifestis tenetur. Atque in eam fraudem mihi videtur diuinitus incidisse, non solum vt eas pœnas, quas proximè meruisset solueret: sed vt illa etiam scelera eius in Carbonem & in Dolabellam vindicarentur. Etenim noua quoq; alia res extitit, Iudices, in hoc crimine: quæ tollat omnẽ dubitationem superioris illius Decumani criminis. Nam vt illud missum faciã, permultos aratores in alteras decumas, & in hæc DCCC. millia modium, quod emptũ populo Rom. darent, non habuisse: sed à tuo procuratore, hoc est ab Apronio, emisse. Ex quo intelligi potest, nihil te aratoribus reliqui fecisse, vt hoc præterea, quod in multis est testimonijs expositum: potest illo quicquã esse certius, in tua potestate atque in tuis horreis omne frumentum Siciliæ per triennium, atque omnes
179 fructus agri decumani fuisse? * cum enim à ciuitatibus pro frumento pecuniã exigebas, vnde erat frumentum quod Romam mitteres, si tu id non omne clausum & cõpressum posidebas? Itaq; in eo frumento primus tibi ille quæstus fuit ipsius frumenti, quod erat ereptum ab aratoribus: alter, quòd id frumentũ improbissimè partũ, non semel, sed bis, neq; vno, sed duobus precijs vnum & idem frumentum vendidisti: semel ciuitatibus H S. XV. in medimnum: iterũ populo Romano, à quo H S.
180 in medimna, pro eodem illo frumento abstulisti. * At enim frumentum Centuripinorum & Agrigentinorum, & nonnullorum fortasse præterea probasti, & his populis pecuniam dissoluisti. sint aliquæ ciuitates in eo numero, quarum frumentum improbari nolueris.

Quid

Quid tandem? his ciuitatibus omnisnè pecunia, quæ pro frumento debita est, dissoluta est? vnum mihi reperi, non populum, sed aratorem: vide, quære, circumspice. si quis fortè est ex ea prouincia, in qua tu triennium præfuisti, qui te nolit perisse: vnum, inquam, da mihi ex illis, aratoribus. qui tibi vel ad statuam pecuniam contulerunt, qui sibi dicat pro frumento omne esse, quod oportuerit, solutum, confirmo, Iudices, neminem esse dicturum. Ex omni pecunia quam aratoribus soluere debuisti, certis nominibus deductiones fieri solebant: primum prospectatione & collybo: deinde pro 181
nescio quo cerario. * Hæc omnia, Iudices, non rerum certarum, sed futurorum improbissimorum sunt vocabula. nam collybus esse qui potest, cum vtantur omnes vno genere nummorũ? cerarium verò quid vocas? quomodo hoc nomen ad rationes magistratus? quomodo ad pecuniam publicam allatũ est? Nã illud genus tertiũ deductionis erat eiusmodi, quasi non modo liceret, sed etiam oporteret: nec solum oporteret, sed planè necesse esset. Scribæ nomine de tota pecunia binæ quinquagesimæ detrahebantur. Quis tibi hoc concessit? quæ lex? quæ Senatus authoritas? quæ porrò æquitas, vt tantam pecuniam Scriba tuus auferret, siue de aratorum bonis, siue de populi Romani vectigalibus? Nam si potest ista pecunia sine aratorum iniuria detrahi, Populus Romanus habeat, præsertim in tantis ærarij angustijs: sin autẽ & populus id voluit, & æquũ ita est, solui aratoribus: tuus apparitor parua mercede populi cõductus de aratorũ bonis prædabitur? * & in 182
hac causa Scribarũ ordinem in me concitabit. Hortensius: &

ſius? & eorum commoda à me labefactari, atque oppugnari iniuria dicet? quaſi verò hoc Scribis vllo exẽplo ſit, aut vllo iure conceſſum. Quid ego vetera repetã? aut quid eorum Scribarum mentionem faciam, quos conſtat ſanctiſſimos homines, atq; innocentiſſimos fuiſſe? non me fugit, Iudices, vetera exempla pro fictis fabulis iam audiri atque haberi. in his temporibus verſabor miſeris, ac perditis. Nuper, Hortenſi, Quæſtor fuiſti. quid tui Scribæ fecerint, tu potes dicere: ego de meis hoc dico, cum in eadẽ iſta Sicilia pro frumento ciuitatibus pecuniam ſoluerem, & mecũ duos frugaliſſimos homines Scribas haberẽ, L. Manilium, & L. Sergium, non modò iſtas duas quinquageſimas, ſed omnino nũmum nullum cuiquàm eſſe deductũ. dicerem hoc mihi
183 eorum eſſe attribuendum, Iudices, ſi illi vnquam à me hoc poſtulaſſẽt, ſi vnquã omnino cogitaſſent.* Quãobrem enim Scribæ deducat, ac non potius mulcẽ, qui adduxerit, tabellarius? cuius aduentu certiores facti, petierunt? præco, qui adeſſe iuſſit? viator ac Venerius, qui fiſcum ſuſtulit? quæ pars operæ, aut opportunitatis in Scriba eſt? cur ei non modò merces tanta detur, ſed cur cum eo tantæ pecuniæ partitio fiat? ordo eſt honeſtus: quis negat? aut quid ea res ad hanc rem pertinet? eſt verò honeſtus, quòd eorum hominum fidei tabulæ publicæ, periculaque magiſtratum committuntur. itaque ex his Scribis, qui digni ſunt illo ordine, patribus familiãs, viris bonis atque honeſtis, percontamini, quid ſibi iſtæ quinquageſimæ velint: iam omnes
184 intelligetis nouam rem totam atq; indignam videri.* ad eos me Scribas reuoca, ſi placet; noli hos colligere, qui nũ-

qui numulis corrogatis de nepotum bonis, ac de scenicorum corollariis, cum decuriam emerunt, ex primo ordine explosorum in secundum ordinem ciuitatis se venisse dicunt. eos Scribas tecum disceptatores huius criminis habebo, qui istos Scribas esse molestè ferunt. tametsi, cum in eo ordine videamus esse multos non idoneos, qui ordo industriæ propositus est, & dignitati, mirabimur turpes aliquot in eo esse, quò cuiuis licet precio peruenire? Tu ex pecunia publica H.S. tredecies Scribam tuum permissu tuo cum abstuliſſe fateare, reliquam tibi vllam defensionem putas esse? hoc ferre quenquam posse? hoc quenquam denique nunc tuorum aduocatorum animo æquo audire arbitrare? qua in Ciuitate C. Catoni clarissimo viro, Consulari homini, H S. VIII. millibus lis æstimata sit: in eadem ciuitate apparitori tuo esse concessum, vt H S. vno nomine terdecies auferret? * hinc ille est annulus aureus, 185
quo tu istum in concione donasti: quæ tua donatio singulari impudentia prædita, noua Siculis omnibus, mihi verò incredibilis videbatur. Sæpe enim nostri Imperatores superatis hostibus, optimè Rep. gesta, Scribas suos annulis aureis in concione donarunt: tu verò quibus rebus gestis, quo hoste superato, concionem donandi causa aduocare ausus es? neque enim solum Scribam tuum annulo, sed etiam virum fortissimum, ac tui dissimilimum, Q. Rubrium, excellenti virtute, authoritate, copiis, corona & phaleris, & torque donasti: M. Cossutium sanctissimum virum atque honestissimum: M. Castritium summo splendore, ingenio, gratia præditum. * Quid hæc sibi horum trium 186
ciuium

ciuium Romanorum dona voluerunt? Siculos præterea potentissimos nobilissimosque donasti. qui non quemadmodum speraſti, traditores fuerunt, sed ornatiores tuo iudicio ad testimonia dicunda venerunt. quibus ex hostium spoliis? de qua victoria? qua ex præda, aut manubijs, hæc abs te donatio constituta est? an quod te Prætore, paucorum aduentu myoparonum, classis pulcherrima, Siciliæ propugnaculum, præsidiumque prouinciæ, piratarum manibus incensa est? an quòd ager Syracusanus prædonum incendijs, te Prætore, vastatus est? an quod forum Syracusanum nauarchorum sanguine redundauit? an quod in portu Syracusano piraticus myoparo nauigauit? nihil possum reperire, quamobrem te in istam amentiam incidisse arbitrer: nisi forte id egisti, vt hominibus ne obliuiſci quidem rerum tuarum malè gestarum liceret.* Annulo est aureo Scriba donatus, & ad
187 eam donationem concio est aduocata. quod erat os tuum, cum videbas in concione eos homines, quorum ex bonis iste annulus aureus donabatur? qui ipsi annulos aureos posuerant, liberisq; detraxerant, vt esset vnde Scriba tuus hoc tuum munus ac beneficium tueretur? quæ porrò præfatio tuæ donationis fuit? illa scilicet vetus atque Imperatoria: quando tu quidem in prælio, in bello, in re militari; cuius ne mentio quidē te Prætore vlla facta est. an illa? quando quidem tu nulla vnquam mihi in cupiditate ac turpitudine defuisti, omnibusque in ijsdem flagitijs mecum & in legatione, & in Prætura, & hic in Sicilia versatus es: ob hasce res, quoniam te locupletaui, hoc annulo au-

lo aureo dono. vera hæc fuisset oratio: non enim iste annulus aureus abs te datus, istum virum fortem, sed hominem locupletem esse declarat. ita eundem annulum ab alio datum testem virtutis duceremus: abs te donatum comitem pecuniæ iudicamus. * Dictum, 188
Iudices, est de decumano frumento: dictum de empto: extremum & reliquum est de æstimato. quod tum magnitudine pecuniæ, tum iniuriæ genere quemuis debet commouere: & verò, eo magis, quod ad hoc crimen non ingeniosa aliqua defensio, sed improbissima confessio comparatur. Nam cum ex S. C. & ex legibus frumentum ei in cellam sumere liceret: idque frumentum Senatus ita æstimasset, quaternis H S. tritici modium, binis, hordei: iste numero ad summam tritici adiecto, tritici modios singulos cum aratoribus denariis ternis æstimauit. Non est in hoc crimen, Hortensine forte ad hoc meditere: multos sæpe viros bonos, & fortes, & innocentes, cum aratoribus, & cum ciuitatibus frumentum in cellam quod sumi oporteret æstimasse, & pecuniam pro frumento abstulisse. Scio quid soleat fieri: scio quid liceat, nihil quod antea fuerat in consuetudine bonorum, nunc in istius facto reprehenditur. * hoc reprehendo, quod cum in Sicilia H S. II. 189
tritici modius esset. vt istius epistola ad te missa declarat, summum H S. ternis, id quod & testimoniis omnibus, & tabulis aratorum planum factum antea est: tum iste pro tritici modijs singulis ternos ab aratoribus denarios exegit. Hoc crimen est. vt intelligas non ex æstimatione, neque ex ternis denarijs pendere crimen, sed ex coactione annonæ atque æstimationis.

Etenim

Etenim hæc æstimatio nata est, Iudices, initio non ex Prætorum, aut Consulum, sed ex aratorum, atque ciuitatum commodo. Nemo enim fuit initio tam impudens, qui cum frumentum deberetur, pecuniam poscere: certè hoc ab aratore primum est profectum, aut ab ea ciuitate, cui imperabatur. cum aut frumentum vendidisset: aut seruare vellet: aut in eum locum, quo imperabatur, frumentum portare nollet: petiuit in beneficii loco, & gratiæ, vt sibi pro frumento, quanti frumentum esset, dare liceret. Ex huiusmodi principio, atque ex liberalitate, atque accommodatione magistratuum consuetudo æstimationis introducta est. * Secuti sunt auariores magistratus, qui tamen in auaritia sua non solum viam quæstus inuenerunt; verum etiam exitum, ac rationem defensionis instituerunt semper ad vltima, ac difficillima loca apportandum frumentum imperare, vt vecturæ difficultate ad quam vellent æstimationem peruenirent. In hoc genere facilior est existimatio, quam reprehensio. ideo quod eum, qui hoc facit, auarum possumus existimare: crimen in eo constituere non tam facilè possumus: quod videtur concedendum magistratibus nostris esse, vt ijs, quo loco velint, frumentum accipere liceat. Itaque hoc est, quod multi fortasse fecerunt: & ita multi, vt ij quos innocentissimos meminimus, aut audiuimus, non fecerint * Quæro nunc à te, Hortensi, cum vtris tandē istius factū collocaturus es? cū ijs credo, qui benignitate adducti per beneficium & gratiam ciuitatibus concesserunt; vt nummos pro frumento darent

190

191

darent. Ita credo: petijsse ab isto aratores, vt cum HS. ternis tritici modium vendere non possent, pro singulis modiis, ternos denarios dare liceret. An quoniam hoc non audes dicere, illuc confugies: vectura difficultate adductos, ternos denarios dare maluisse? cuius vecturae? quo ex loco in quem locum ne portarent? Philomelone Ephesii? video quid inter annonam intereſſe ſoleat: video quot dierū via ſit: video Philomelenſibus expedire, quanti Epheſi ſit frumētum, tantum dare potius in Phrygia, quā Epheſum portare: aut ad emēdum frumentū Epheſum pecuniam, & Legatos mittere.* In Sicilia ve- 192
rò quid eiuſmodi? Enna mediterranea eſt maximè, coge vt ad aquā tibi, id quod ſummi iuris eſt, frumentum Ennenſes metiantur, vel Plutiam, vel Haleſam, vel Catinā, loca inter ſe maximè diuerſa: eodem die, quo iuſſeris, deportabunt. tametſi ne vectura quidē opus eſt. Nā totus quæſtus hic, Iudices, æſtimationis, ex annonæ natus eſt varietate. hoc enim magiſtratus in prouincia aſſequi poteſt, vt ibi accipiat, vbi eſt cariſsimū. ideo valet iſta ratio æſtimationis in Aſia, valet in Hiſpania, valet in his prouinciis, in quibus vnū precium frumento eſſe nō ſolet, in Sicilia verò quid cuiuſquā intererat, quo loco daret? neq; enim portandū erat: & quo quiſq; vehere iuſſus eſſet, ibi tantidem frumentū emeret, quāti domi vēdidiſſet.* Quāobrem ſi quid, Hortēſi, 193
docere vis aliquid ab iſto ſimile æſtimatione atq; à cæteris eſſe factū, doceas oportet: aliquo in loco Sicilia Prætore Verre ternis denariis tritici modiū fu-

isse. vide quam tibi defensionem patefecerim, quam iniquam in socios, quam remotam ab vtilitate Reip. quam seiunctam à voluntate, atq; sententia legis, tu, cum tibi frumentum in meis agris atque in mea ciuitate, denique cum ijs in locis, in quibus es, versaris. rem geris, prouinciam administras, paratus sim dare. angulum mihi aliquem eligas prouinciæ, reconditum ac derelictum? iubeas ibi me metiri, quo portare non ex-
194 pediat? vbi emere non possum? improbum facinus. Iudices, non ferendum, nemini lege concessum: sed fortasse adhuc in nullo etiam vindicatum. tamen ego hoc, quod ferre nego posse, Verri, Iudices, cõcedo, & largior: si vllo in loco eius prouinciæ frumentum tanti fuit, quanti iste æstimauit: hoc crimen in istum reum valere oportere non arbitror. Verum enimuerò cùm esset H S. binis, aut etiã ternis quibusuis in locis prouinciæ, duodenos sestertios exegisti. Si mihi tecum neque de annona, neque de æstimatione tua potest esse controuersia, quid sedes? quid expectas? quid defendes? vtrum tibi pecuniæ conciliatæ videntur aduersum leges, aduersum Remp. cum maxima sociorum iniuria? an verò id rectè, ordine è Rep. sine cuiusquam iniuria factũ esse defendes? * cum tibi Senatus ex ærario pecuniam
195 prompsisset, & singulos tibi denarios adnumerasset, quos tu pro singulis modijs aratoribus solueres: quid facere debuisti? si quod L. Piso ille frugi, qui legem de pecunijs repetundis primus tulit: cum emisses quanti esset quod superaret pecunia, retulisses: si vt ambitiosi homines aut benigni, cum pluris senatus æstimasset, quam quanti esset annona, ex Senatus æstimatione, nõ

ex anno-

ex amoena ratione soluisses. sin vt plerique faciunt, in quo enim erat aliquis quæstus, sed is honestus atque concessus, frumentum, quoniam vilius erat, ne emisses: sumpsisses id nummorum, quod tibi Senatus cellæ nomine concesserat. Hoc vero quid est? quam habet rationem, non quæro æquitatis, sed ipsius improbitatis atque impudentiæ; neque enim est ferè quisquam quod homines palam facere audeant in magistratu, quamuis improbi: quin eius facti, si non bonam, at aliquã rationem afferre soleant. * hoc quid est? venit Prætor: 196
frumentum, inquit, me abs te emere oportet. optime. modium denario. benignè ac liberaliter: nam ego tribus HS. non possum vendere. mihi frumento non opus est. nummos volo. non sperabam, inquit arator, me ad denarios peruenturum: sed si ita necesse est, quãti frumentum sit considera. Video esse binis HS. Quid ergo à me tibi nummorum dari potest, cum Senatus tibi quaternos nummos dederit? Quid postulat, attendite. & vos quæso simul, Iudices, æquitatem Prætoris attendite. * Quaternos HS. quos
mihi Senatus decreuit, & ex ærario dedit, ego habe- 197
bo, & in cistã transferam ex fisco. Quid postea? quid, p singulis modijs, quos tibi impero, tu mihi octonos HS. dato. qua ratione? quid quæris rationem? non tantam rationem res habet, quantã vtilitatem atq; prædam. dic, inquit ille, planius: Senatus te voluit mihi nummos dare, me tibi frumentũ metiri: tu eos nũmos quos mihi Senatus dare voluit, ipse habebis? à me, cui singulos denarios dari oportuit, binos aufers? & huic prædæ ac direptioni cellæ nomẽ imponis? hac decerat iniuria

& hæc calamitas aratoribus te Prætore, quare liquis fortunis omnibus euerterētur. Nā quid esse reliqui poterat ei, qui per hāc iniuriā non modo frumentū omne amittere, sed etiam omne instrumentū vēdere cogeretur? quo enim se verteret nō habebat: ex quo fructu nūmos quos tibi daret, inueniret Decumarum nomine tantum erat ablatū, quantū voluntas tulerat Apronij. pro alteris decumis, emptoq; frumento, aut nihil datum, aut tantum datum quantum reliqui Scriba fecerat: aut vltro etiā, id quod didicisti, ablatū. cogantur etiam nūmi ab aratore quomodo? quo iure? quo exemplo? Nam cum fructus diripiebātur aratorum atq; omni lacerabantur iniuria, videbatur id perdere arator, quod aratro ipse quæsisset, in quo elaborasset, quod
199 agri segetesq; extulisset. *Quibus iniurijs grauissimis tamē illud erat miserum solatiū, quod id perdere videbatur, quod alio prætore eodē ex agro reparare posset. nūmos vero vt daret arator quos non exarat boues & aratrum ipsum, & omne instrumentū vendat necesse est. Non enim debetis hoc cogitare: habet idē in nummis: habet idem in vrbanis prædijs. nā cum aratori onus aliquod imponitur, nō oēs, si quæ sunt præterea, facultates, sed arationis ipsius vis ac ratio cōsideranda est: quid ea sustineve, quid pati, quid efficere possit ac debeat. Quanquam illi quoq; sunt homines ab isto omni ratione exinaniti ac perditi: tamen hoc vobis est statuēdū, quid aratorem ipsum arationis nomine muneris in Rēp. fungi, ac sustinere velitis. Imponitis decumas,

patiun-

patiuntur. alteras, temporibus vestris, seruiendum putant. dent emptū præterea: dabunt si voletis. * 200
Hæc quā sint grauia, & quid his rebus detractis possit ad dominos puri ac reliqui peruenire, credo vos ex vestris rebus rusticis coniectura assequi posse. addite nunc eodē istius edicta, instituta, iniurias: addite Apronij, Veneriorumq; seruorū in agro Decumano regna ac rapinas. quāquā hæc omitto, de cella loquor. Placetne vobis in cellā magistratibus nostris frumentū Siculos gratis dare? Quid hoc indignius? quid iniquius? atq; hoc scitote aratoribus, hoc Prætore optandum ac petendū fuisse. Sositenus est Entellinus homo cum primis ciuitatis prudēs & domi nobilis, cuius verba audistis, qui adhoc iudiciū Legatus publicè cū Arthemone, & Menisco primarijs viris missus est. Is cum in Senatu Entellino multa mecū de istius iniurijs ageret, hoc dixit: si de cella atq; hac existimatione cōcederetur, velle Siculos Senatui pollicere frumentū in cellā gratis, ne posthac tantas pecunias magistratibus nostris decerneremus. * Perspicere vos certò scio Siculis, quantopere hoc expediat, nō ad æquitatis conditionē, sed ad minima malorū eligenda. Nā qui mille modium Verri suæ partis in cellā gratis dedisset: duo millia nummum aut ad summum tria dedisset: idem nūc pro eodem numero frumenti HS. VIII. millia dare coactus est. hoc arator assequi per triennium certo fructu suo non potuit, vendiderit instrumentū necesse est; quod si hoc munus & vectigal aratio tolerare, hoc est Sicilia ferre ac pati potest: Pop. Rō ferat potius, quam nostris magistratibus. magna est 201

pecunia, magnum præclarumq; vectigal. si modo id
salua prouincia, si sine iniuria sociorum percipere pos-
sitis, nihil detraho. Magistratibus tantulum detur in
cellam, quantum semper datum est. quod præterea
Verres imperat, id si facere non possunt, recusent: si
202 possunt, Populi Romani potius hoc sit vectigal, quam
Præda Prætoris.* Deinde cur in vno genere solo fru-
menti ista æstimatio constituitur? si est æqua & fe-
renda populo Romano, Sicilia decimas det, pro sin-
gulis tritici modijs ternos denarios: sibi habeat frumentũ.
Data tibi pecunia est, Verres, vna, qua frumentum
tibi emeres in cellã: altera, qua frumentum emeres à
ciuitatibus, quo Romam mitteres. tibi datam pecuniã
domi retines: & præterea pecuniam per ma-
gnam tuo nomine aufers. facidem in eo frumen-
to, quod ad Populum Romanum pertinet: exige eadem
æstimatione pecuniam à ciuitatibus, & refer quam
accepisti. tum refertius erit ærarium Populi Romani
203 quàm vnquam fuit.* At enim istam rem in publico
frumento Sicilia non ferret, hanc rem in meo fru-
mento tulit. proinde quasi aut æquior sit ista æstimatio
in tuo quam in Populi Romani commodo: aut ea res,
quam ego dico, & ea quam tu fecisti, inter se genere in-
uriæ non magnitudine pecuniæ differat. Verum istam
ipsam cellam ferre nullo modo possunt. vt omnia re-
mittantur, vt omnibus iniurijs & calamitatibus,
quas te Prætore retulerunt, in posterum libeantur: i-
stam se cellam atque istam æstimationem negant vllo
204 modo ferre posse.* Multa Sophocles Agrigentinus apud
Cn. Pompeium C O S. nuper homo disertissimus, &
omni

omni doctrina & virtute ornatissimus, pro tota Sicilia de aratorum miseriis grauiter ac copiosè dixisse, ac deplorasse dicitur. ex quibus hoc, iis qui aderant (nam magno conuentu acta res est) indignissimum videbatur: qua in re Senatus optimè ac benignissimè cum aratoribus egisset, largè liberaliterq; æstimasset, in ea re prædari Prætorem, bonis euerti aratores: & id non modo fieri, sed ita fieri, quasi liceat, concessumq; sit. * Quid ad hæc Hortensius? falsum esse crimen? hoc nunquam dicet non 205
magnam hac ratione pecuniam captam? nec id quidem dicet. non iniuriam factam Siculis atq; aratoribus? qui poterit dicere? quid igitur dicet? fecisse alios? quid est hoc? vtrum crimini defensio, an comitatus exilio quæritur? tu in hac Rep. atq; in hac hominum libidine, & vt adhuc habuit se status iudiciorum; etiam licentia, non ex iure, non ex æquitate, non ex lege, non ex eo q; licuerit: sed ex eo q; aliquis fecerit, id quod reprehenditur, rectè factum esse defendes? * fecerũt aliqui alia quàm mul- 206
ta. cur in hoc vno crimine isto genere defensionis vteris? Sunt quædam omnino in te singularia, quæ in nullum alium hominẽ dici, neq; cõuenire possint: quædam tibi cum multis communia. ergò vt omittam tuos peculatus, vt ob ius dicendũ pecunias acceptas, vt eiusmodi cætera, quæ forsitan alij quoque etiam fecerint: illud, in quo te grauissimè accusaui, quòd ob iudicandam rem pecuniam accepisses, eadem ista ratione defendes, fecisse alios? vt ego assẽtiar orationi, defensionẽ tamen nõ probabo, potius

enim te dãnato, cæteris angustior locus improbitatis defendendæ relinquetur, quàm te absoluto alij, quod audacissimè fecerunt, rectè fecisse existimentur.* Lugent oës prouinciæ: querũtur oës liberi populi: regna deniq; iam omnia de nostris cupiditatibus, & iniurijs expostulãt: locus intra oceanum iã nullus est, neq; tam longinquus, neq; tam recõditus, quò non per hæc tempora nostrorum hominũ libido, iniquitasq; perũaserit: sustinere iã Populus Rõ. omnium nationum, non vim, non arma, non bellũ, sed luctum, lachrymas, querimonias non potest. in eiusmodi re ac moribus, si is qui erit adductus in iudicium, cum manifestus in flagitijs tenebitur, alios eadem fecisse dicet: illi exempla non deerunt: Resp. salus deerit, si improborum exemplis improbi iudicio ac periculo liberabuntur.* Placent vobis hominum mores? placet ita geri magistratus, vt geruntur? placet socios sic tractari, quod restat, vt per hæc tẽpora tractatos videtis? cur hæc à me opera cõsumitur? quid sedetis? cur non in media oratione mea consurgitis atq; disceditis? Vultis aũt istorum audacias ac libidines aliqua ex parte resecare? desinite dubitare, vt ũ sit vtilius, ꝓpter multos improbos vni parcere: an vnius improbi supplicio multorum improbitatem coercere.* Tametsi quæ ista sunt exempla multorũ? nam cum in causſa tanta, cum in crimine maximo dicit à defensore cœptũ est, factitatum esse aliquid: expectant ij qui audiunt, exempla ex vetere memoria & monimentis, ac literis, plena dignitatis, plena antiquitatis: hæc plurimum

mum solent & autoritatis habere ad probandum, & iucunditatis ad audiendum. Africanos mihi, & Catones, & Lælios commemorabis? & eos feciſſe idē dices? quamuis res non placeat: tamen contra hominum autoritatē pugnare non potero. an cū eos non poteris proferre, hos recentes, Q. Catulū Patrem, C. Marium, Q. Scæuolam, M. Scaurū, Q. Metellū, qui oēs prouincias habuerunt, & frumentum cellæ nomine imperauerunt? magna eſt hominū autoritas, & tanta, vt etiam delicti ſuſpitionem tegere poſſit. * Non habes ne ex his quidem homimb⁹ 210
qui nuper fuerunt, vllū autorē iſtius æſtimationis. Quo me igitur, aut ad quæ exempla reuocas? ab illis hominibus, qui tū verſari ſunt in Rep. cū & optimi mores erāt, & hominū exiſtimatio gratiā habebatur, & iudicia ſeuera fiebant, ad hāc hominum licentiam & libidinem me abduces? & in quos aliquid exempli Pop. Rom. ſtatui putat oportere, ab ijs tu defenſionis exempla quæris? Non fugio ne hos quidem mores, dummodo ex his ea quæ probat Pop. Rom. exempla, non ea quæ condemnat, ſequamur. non circumſpiciam, non quæram foris, cū habeas iudices principes ciuitatis, P. Seruilium, Q. Catulū: qui tanta autoritate ſunt, tantis rebus geſtis, vt in illo antiquorum & clariſſimorum hominū, de quibus antea dixi, numero, reponantur. * exēpla quæ- 211
rimus, & ea non antiqua: modo verē horū exercitum habuit. Quare Hortenſi, quoniam te recentia exēpla delectant, quid fecerint. Itane verò? Q. Catulus frumēto eſt vſus pecuniam nō coegit. P. Ser-

uilius quinquennium exercitui cum praeßet, & ista ratione innumerabilẽ pecuniam facere poßet, non statuit sibi quicquã licere, quod non patrẽ suũ, non auum Q. Metellum facere vidißet: C. Verres reperietur, qui non expediat, id licere dicat? quod nemo nisi improbus fecerit, id aliorũ exẽplo se fecisse defendat? At in Sicilia factitatum est. Qua est ista conditio Siciliae? cur, quae optimo iure propter vetustatẽ, fidelitatẽ, propinquitatẽ, esse debet: huius
212 praecipua lex iniuriae definitur? Sed in ista ipsa Sicilia, non quaeram exemplum foris, hoc ipso ex consilio vtar exemplis. C. Marcelle, te appello. Sicilia prouincia, cum esses proCõsule, praefuisti. Num qua in tuo imperio pecuniae cellae nomine coactae sum? neq; ego hoc in tua laude pono. alia sunt tua facta, atq; consilia summa laude digna: quibus illam tu prouinciam afflictã & perditã erexisti, atq; recreaßti. nam hoc de cella ne Lepidus quidẽ fecerat, cui tu succeßisti. Quae sunt tibi igitur exẽpla in Sicilia cellae, si hoc crimẽ non modo Marcelli facto, sed ne
213 Lepidi quidẽ potes defendere? an me ad M. Antonij aestimationẽ frumẽti exactionẽq; pecuniae reuocaturus es? Ita, inquit, ad M. Antonij. hoc enim mihi significasse, & annuisse visus est. Ex omnibusne igitur Pop. Ro. Praetoribus Consulibus, Imperatoribus M. Antonium delegisti? & eius vnum improbissimum factum, quod imitarere? & hic vtrum mihi difficile est dicere, an his existimare, ita se in illo infinito imperio M. Antonium gessisse, vt multo isti pernitiosius sit dicere, se in re improbissima voluisse

Anto-

Antonium imitari: quàm si posſit defendere, nihil inuita se M. Antonio simile feciſſe? Homines in iudicijs ad crimen defendendum, non quid fecerit quiſpiam proferre ſolent, ſed quid probarint: Antonium, cum multa contra ſociorum ſalutem, multa contra voluntatem prouinciarum & faceret, & cogitaret, in medijs eius iniurijs, & cupiditatibus mors oppreſſit. tu mihi quaſi eius omnia facta, atque cõſilia S.P.Q.R. Iudices comprobarint, ita Antonij exemplo iſtius audaciam defendis.* At idem fecit Sacerdos. hominem innocẽtem, & ſumma prudentia præditum nomina: ſed tum idem feciſſe erit exiſtimandus, ſi eodem conſilio fecerit. Nam genus æſtimationis ipſum à me nunquam eſt reprehenſum: ſed eius æquitas aratorũ commodo, & voluntate perpenditur. non poteſt reprehendi vlla æſtimatio, quæ aratori nõ modo incommoda non eſt, ſed etiã grata eſt. Sacerdos, vt in prouinciam venit, frumentũ in cellã imperauit. cum eſſet ante nouũ tritici mod. HS. XV. petiuerunt ab eo ciuitates vt æſtimaret, remiſſior aliquanto eius fuit æſtimatio, quàm annona. nam æſtimauit denarijs III. Vides eandem æſtimationẽ propter temporis diſſimilitudinem, in illo laudis tauſſã habere, in te criminis? in illo beneficij, in te iniuriæ?* Eodẽ tempore Antonius III. denarijs æſtimauit poſt meſſẽ, ſumma inuilitate cũ aratores frumẽtũ dare gratis malebãt: & aiebat ſe tãtidẽ æſtimaſſe, quãti Sacerdotẽ, neq; mẽtiebatur: ſed eadẽ iſta æſtimatione alter ſubleuarat aratores, alter euerterat. Quòd niſi omnis frumẽti ratio ex temporibus eſſet & annona, nõ ex nu-

21 4

215

ex numero, neq; ex summa considerandā, nunquā tam grati hi sesquimodij, Q. Hortēsis fuissent: quos tu cum ad mensuræ tam exiguam rationem Pop. Ro. in capita descripsisses, gratissimum omnibus feciſti. caritas enim annonæ faciebat, vt istuc, quod reparuum videbatur, tempore magnū videretur. Idem istuc si in vilitate Pop. Ro. largiri voluisset, derisum tuum beneficium esset atque contemptū.

216 Noli igitur dicere istum idem feciſſe. quod Sacerdotem: quoniam non eo tempore, neq; simili fecit anno. dicito potius, quoniam habes autorē idoneum, quod Antonius vno aduentu, & vix menſtruis cibarijs fecerit, id istum per triennium feciſſe: & istius innocentiam M. Antonij facto, atq; autoritate defendito. Nam de Sex. quidem Peduceo fortissimo viro quid dicitis? de quo quis vnquam arator queſtus eſt? aut quis non ad hoc tempus innocentiſſimam omnium diligentiſſimamq; Præturam illius hominis existimauit? Biennio prouinciam obtinuit. cum alter annus in vilitate, alter in summa caritate fuerit. num aut in vilitate nummū arator quisquam dedit? aut in caritate de æstimatione frumēti quæſtus eſt? At vberiora cibaria facta sunt caritate. credo: neq; id eſt nouum neq; reprehendendū

*modo C. Sērium vidimus hominem vetere illa ac

217 ſingulari innocentia præditum, propter caritatem frumenti quæ fuerat in Macedonia, per magnam ex cibarijs pecuniam deportare. Quamobrem non ego inuideo tuis cōmodis, ſi qua ad te lege venerūt: iniuriā queror, improbitatem arguo, auaritiam in

crimen

crimen, & in iudicium voco. Quod si suspiciones
iniicere voletis, ad plures homines, & ad plures pro-
uincias crimen hoc pertinere? non ego istam defen-
sionem vestram pertimescam, sed me ommum pro-
uinciarum defensorem esse profitebor. Etenim hoc
dico, & magna voce dico, Vbicunq; hoc factum est,
improbè factum est: quicunque hoc fecit, supplicio
dignus est. * Nam per deos immortales videte, Iu- 318
dices, & prospicite animis quid futurum sit. multi
magnas pecunias ab inuitis ciuitatibus atque ab
inuitis aratoribus ista ratione cellæ nomine coege-
runt (omnino ego neminem video, prater istum) sed
do hoc vobis, & concedo, esse multos, in hoc homine
rem adductam in iudicium videtis. Quid facere po-
testis? vtrum cum Iudices sitis de pecunia capta,
consiliata, tantam pecuniam captam negligere? an
cum lex sociorum caussa rogata sit, sociorum que- 219
rimonias nō audire? * Verum hoc quoque vobis re-
mitto? negligite præterita, si vultis: sed ne reliquas
spes turbetis, atque omnes prouincias euertatis, id
prouidete: ne anaritia, quæ ante hac occultis itine- + allegoria
ribus, atq; angustijs vti solebat, autoritate vestra
viam patefaciatis illustrē, atq; latam. Nam si hoc
probatis, & si hoc licere, pecunias isto nomine ca-
pi, iudicatis, certè hoc quod adhuc nemo nisi im-
probissimus fecit, post hac nemo nisi stultissimus nō fa-
ciet. improbi sunt, qui pecunias contra leges cogūt:
stulti qui quod licere iudicatum est, prætermittūt.
* Deinde, Iudices videte, quam infinitam sitis ho- 220
minibus licētiam pecuniarum eripiendarū daturi.

Si tet-

si ternos denarios qui coegit, erit absolutus: quia ternos, denos denique aut vicenos coget alius, quæ erit reprehensio? in quo primum iniuriæ gradu resistere incipiet seueritas iudicis, quotus erit iste denarius, qui non sit deferendus, & in quo primum æstimationis iniquitas atq; improbitas reprehendatur: non enim à vobis summa, sed genus æstimationis est cõprobatũ: neq; hoc potestis iudicare, ternis denarijs æstimare licere. vbi enim semel ab annonæ ratione, & ab aratorũ voluntate res ad Prætoris libidinẽ, translata est: nõ est iam in lege, atq; in officio, sed in voluntate hominum, atq; audacia positus modus æstimandi. Quapropter si vos semel in iudicando finẽ æquitatis & legis transieritis: scitote vos nullum cæteris in æstimando finẽ improbi-
221 tatis & auaritiæ reliquisse. Videte igitur quã multa simul à vobis postulentur. absoluite eum, qui se fateatur maximas pecunias cum summa sociorum iniuria cepisse. nõ satis. sunt alij quoq; cõplures, qui idẽ fecerint, absoluite etiã illos, si qui sunt: vt in vno iudicio quamplurimos improbos liberetis. ne id quidẽ satis est facite, vt cæteris posthac idẽ liceat, licebit. at hoc parum est: pmittite, vt liceat, quãti quisq; velit tanti æstimet, æstimabit. Videtis iam pfecto, iudices, hac æstimatione à vobis cõprobata, neq; modum posthac agis, auaritiæ cuiusquam,
222 neq; pœnam improbitatis futuram. * Quas ob res quid, Hortensi? Consules designatus, prouinciam sortitus es: de æstimatione cum dices frumenti, sic te audiemus, quasi id quod ab isto rectè factum esse defen-

defendes, te facturum profiteare: & quasi qui istiusmodi dictum esse dices, vehemēter cupias tibi licere? atq; si id licebit: nihil est, quod putetis quēquam post has cōmissurum, vt de pecuniis repetundis cōdemnari possit: quantam enim quisque concupierit pecuniā, tantam licebit per cellae nomen aestimationis magnitudine consequatur. *At enim est quiddam, quod etiamsi palam in defendendo non dicit Hortensius, tamen ita dicit, vt vos id suspicari & cogitare possitis: pertinere hoc ad cōmodum Senatorium, pertinere ad vtilitatē eorum, qui iudicent, qui in prouincijs cum potestate, aut cum legatione se futuros aliquando arbitrentur. Praeclaros viros existimas, Iudices nos habere, quos alienis peccatis concessuros putes, quo facilius ipsos peccare liceat. Ergo id volumus Pop. Rom. id prouincias, id socios nationesq; exteras existimare? si Senatores iudicent, hoc certè vnum genus infinitae pecuniae per summā iniuriam cogendae nullo modo posse reprehendi? quod si ita est, quid possumus contra illum Praetorem dicere, qui quotidie templum tenet, qui Remp. subsistere negat posse, ni ad Equestrem ordinē iudicia referantur? *Quod si ille hoc vnum agitare coeperit, esse aliquod genus cogendae pecuniae Senatorum cōmune, & iam propè concessum ordini, quo genere ab socijs maxima pecunia per summam iniuriā auferatur: neque illud modo Senatorijs iudicijs reprehendi posse. idq; dum Equester ordo iudicaret, nunquam esse commissum: quis obstet: quis erit tam cupidus vestri, tam fautor ordinis, qui de transferendis iudicijs possit recusare? Atque vtinam posset

223

224

aliqua

aliqua ratione hoc crimen quamuis falsa, modo humana, atq; vsitata defendere. minore periculo vestro, minore periculo prouinciarum omnium, iudicaretis. Negaret hic æstimatione se vsum: vos id credidisse homini, non factum comprobasse videremini. nullo modo negare potest. vrgetur à tota Sicilia: nemo est ex tanto numero aratorũ, à quo pecunia cellæ nomine nõ sit exacta. 225 *Vellẽ etiam hoc posset dicere, nihil ad se istã rationẽ pertinere: per quæstores rẽ frumentariã esse administratam: ne id quidẽ ei licet dicere: propterea quod ipsius literæ recitantur ad ciuitates de ternis denarijs missæ. Quæ est igitur defensio? feci quod arguis, coegi pecunias maximas cellæ nomine, sed mihi hoc licuit: vobis, si prospicitis, licebit. Periculosum prouinciis, genus iniuriæ confirmari iudicio, perniciosũ nostro ordini, P. R. existimare, nõ posse eos homines qui ipsi legibus teneantur, leges in iudicando religiosè defendere. Atq; isto Prætore, Iudices, non solum æstimandi frumẽti modus nõ fuit, sed ne imperandi quidẽ. neque enim id quod debebatur, sed quantũ commodum fuit, imperauit. Summam faciam vobis ex publicis literis, & testimonijs ciuitatum frumenti in cellam imperati, reperietis quinquies tanto, Iudices, amplius istũ, quam quantum ei in cellam sumere licitum sit, ciuitatibus imperasse. Quid ad hanc impudentiã addi potest? sic & æstimauit tãti, vt homines ferre nõ posset, & tanto plus, 226 quã erat ei cõcessũ legib. imperauit? *Quapropter cognita tota re frumẽtaria, Iudices, iam facillimè perspicere

ſpicere poteſtis, amiſſam eſſe Po. Rom. Siciliam fructuoſiſſimam, atq; opportuniſſimam prouinciam, niſi eam vos iſtius damnatione recuperatis. Quid eſt enim Sicilia ſi ei agri cultionem ſuſtuleris? & ſi aratorum numerum ac nomen extinxeris? quid enim poteſt eſſe in calamitate reſidui, quod non ad miſeros aratores iſto Prætore per ſummam iniuriam ignominiamq; peruenerit? quibus, cum decumas dare deberent, vix ipſis decumæ relictæ ſunt: cum pecunia deberetur, ſoluta non eſt: cum optima æſtimatione Senatus frumentum eos in cellam dare voluiſſet, etiam inſtrumenta agrorum vendere coacti ſunt. *Dixi iam antea, Iudices, vt has omnes iniurias tollatis, tamen ipſam rationem arandi ſpe magis, & iucunditate quadam, quam fructu, atque emolumento teneri. etenim ad incertum caſum, & euentum, certus quotannis labor, & certus ſumptus impenditur. annona porrò, pretium, niſi in calamitate fructum, non habet. ſi autem vbertas in percipiendis fructibus fuit, conſequitur vilitas in vendendis: vt aut malè vendendum intelligas, ſi proceſſit: aut malè perceptos fructus, ſi rectè licet vendere. Totæ autem res ruſticæ eiuſmodi ſunt, vt, eas non ratio, neq; labor, ſed res incertiſſimæ, venti, tempeſtatesque moderentur. Hinc cum vnæ decumæ lege, & conditione trahantur: alteræ nouis inſtitutis propter annonæ rationem imperentur: ematur præterea frumentum quotannis publicè: poſtremò etiam in cellam magiſtratibus & Legatis imperetur: quid, aut quantum præterea eſt quod aut liberum poſſit 227

habere ille arator ac dominus in potestate, suorum
228 fructuum, aut in ipsis fructibus solutum? * Quod si
hæc feruntur omnia: si vobis potius ac Pop. Rom. quã
sibi, & suis commodis, opera, sumptu, labore deser-
uiunt: etiamne hæc noua debent edicta, & imperia
Prætorum, & Apronij dominationem, & Veneriorũ
seruorum furta, rapinasq; perferre? etiamne fru-
mentum pro empto gratis dare? etiamne in cellam,
cum cupiant gratis dare vltro, pecuniam grandem
dare? etiamne hæc tot detrimenta atque damna
cum maximis iniurijs contumelijsq; perferre? Itaq;
hæc, Iudices, quæ pati nullo modo potuerunt, non
pertulerunt. arationes tota Sicilia desertas, atq; a
dominis relictas esse cognoscitis: neq; quicquam a-
liud agitur hoc iudicio, nisi vt antiquissimi socij
fidelissimiq; Siculi, coloni Populi Romani,
atque aratores, vestra seueritate, &
diligentia me duce, atque autore,
in agros, atque in sedes suas
reuertantur.

ACCV-

ACCVSATIONIS
IN C. VERREM
LIBER VI.
ORATIO IX.

VEnio nunc ad istius, quemadmodum ipse appellat, studium: vt amici eius, morbum, & insaniam: vt Siculi latrocinium: ego quo nomine appellem, nescio. rem vobis proponam, vos eam suo nomini pondere pendito. genus ipsum prius cognoscite, Iudices, deinde fortasse non magnopere quaretis, quo id nomine appellandum putetis. Nego in Sicilia tota, tam locuplete, tam vetere prouincia, tot oppidis, tot familijs, tam copiosis, vllum argenteum vas, vllum Corinthium, aut Deliacum fuisse. nego vllam gemmam, aut margaritam fuisse, aut quicquam ex auro, aut ebore factum, lignum vllum aneum, marmoreum, eburneum: nego vllam picturam, neque in tabulis, neque textilem fuisse. quin quæsierit, inspexerit: quod placitum sit, abstulerit. * magnum videor dicere, attendite etiam quemadmodum dicam. non enim verbi, neque criminis augendi caussa complector omnia: cum dico nihil istum eiusmodi rerum in tota prouincia reliquisse, latinè

me scitote, non accusatoriè loqui. etiam planius nihil in ædibus cuiusquam, ne in oppidis quidem: nihil in locis communibus, ne in fanis quidem: nihil apud Siculum, nihil apud ciuem Romanum: denique nihil istum, quod ad oculos animumque acciderit, neque priuati, neque publici, neq; profani, neque sacri tota in Sicilia reliquisse.* Vnde igitur potius incipiam, quam ab ea ciuitate, quæ tibi vna in amore atq; in deliciis fuit? aut ex quo potius numero, quã ex ipsis laudatoribus tuis? facilius enim perspicietur, qualis apud eos fueris, qui te oderunt, qui accusant, qui persequuntur: cum apud tuos Mamertinos mueniare improbissima ratione esse prædatus. C. Heius est Mamertinus (omnes hoc mihi, qui Messanam accesserunt, facilè concedent) omnibus rebus in illa ciuitate ornatissimus. huius domus est vel optima Messanâ, notissima quidem certè, & nostris hominibus apertissima, maximeque perhospitalis. Ea domus ante aduentum istius sic ornata fuit, vt vrbi quoque esset ornamento. namipsa Messana, quæ situ, mœnibus, portuque ornata sit ab his rebus, quibus iste delectatur, sanè vacua atque nuda est.* Erat apud Heium sacrarium magnacum dignitate in ædibus, à maioribus traditum, perantiquum, in quo signa pulcherrima quatuor, summo artificio, summa nobilitate: quæ non modo istũ hominem ingeniosum, atq; intelligentem, verumetiam quemus nostrum, quos iste idiotas appellat, delectare possent: vnum Cupidinis marmoreum, Praxitelu (mirum didici etiam, dum in istum inquiro, artificum nomi-

nomina (idem opinor artifex eiusdem modi Cupidinem fecit illum, qui est Thespiis, propter quem Thespiæ visuntur. Nam alia visendi caussa nulla est. Itaque ille L. Mummius cum Thespiis ea quæ ad eadem Felicitatis sunt, cæteraque profana ex illo oppido signa tolleret, hunc marmoreum Cupidinem, quod erat consecratus, non attigit. *Verum vt ad illud sacrarium redeam: signum erat hoc, quod dico, Cupidinis è marmore, ex altera parte Hercules egregiè factus ex ære. is dicebatur esse Myronis, vt opinor: & certè ita est. ante hosce deos erant tabulæ quæ huius sacrarij religionem significare possent. erant æneæ præterea duo signa non maxima, verum eximia venustate, virginali habitu, atque vestitu, quæ manibus sublatis sacra quædam more Atheniensium virginum repositæ in capitibus sustinebant. Canephoræ ipsæ vocabantur. sed earum artificem quemnam? rectè admones. Polycletum esse dicebant. Messanam vt quisq; nostrum venerat. hæc visere solebat: omnibus hæc ad visendum patebant: quotidie domus erat non domino magis ornamento, quã ciuitati. *C. Claudius, cuius Aedilitatem magnificentissimam scimus fuisse, vsus est hoc Cupidine tandiu, dum forum dijs immortalibus populoq; Rom. habuit ornatum: & cum esset hospes Heiorum, Mamertini autem populi patronus, vt illis benignis vsus est ad commodandum, sic ipse diligens fuit ad reportandum. Nuper homines nobiles eiusmodi, Iudices: & quid dico nuper? imò verò modò ac plane paulo antè vidimus: qui forum, ac basilicas non

spolijs prouinciarum, sed ornamentis amicorum, cõmodis hospitum, non furtis nocentium, ornarent: quis tamen signa, atque ornamenta sua cuiq; reddebant: non ablata ex vrbibus sociorum quatridui caussa per simulationem Aedilitatis, domum deinde, atque
7 ad suas villas auferebant*. Haec omnia, quae dixi signa, Iudices, ab Heiode sacrario Verres abstulit: nullum, inquam, horum reliquit, neque aliud vllum tamen, praeter vnum peruetus ligneum, bonam Fortunam, vt opinor, eam iste domi suae habere noluit. Pro deum hominumque fidem, quid hoc est? quae haec caussa? quae haec impudentia est? quae dico signa, antequam abs te sublatae sunt, Messanam cum imperio nemo venit, quin viderit: tot Praetores, tot Consules in Sicilia, tum in pace, tum etiam in bello fuerunt, tot homines cuiusque modi: non loquor de integris, innocentibus, religiosis: tot cupidi, tot improbi, tot audaces: quorum nemo sibi tam vehemens, tam potens, tam nobilis visus est, qui ex illo sacrario quicquam poscere, aut tollere, aut attingere auderet. Verres quod vbiq; erit pulcherrimum, auferet? nihil habere praterea cuiquam licebit? tot domus locupletissimas domus istius vna capiet? idcirco nemo superiorum attigit, vt iste tolleret? ideo C. Claudius Pulcher retulit, vt C. Verres posset auferre? At non requirebat ille Cupido lenonis domum, ac meretriciam disciplinam: facilè ille sacrario patrio continebatur: Heio se à maioribus relictum esse sciebat. At hereditatem sacrorum non quaerebat, meretricis haeredem quaerebat? * Sed quid ego
8 tam

tam vehementer inuehor? verbo iam vno repellar. emi inquit. O dij immortales, præclaram defensionem. mercatorem cū imperio ac securibus in prouinciam misimus: qui omnia signa, tabulas pictas, omne argentum, aurum, ebur, gemmas coemeret: nihil cuiquam relinqueret. hæc enim mihi ad omnia defensio patefieri videtur: emisse. Primum, si id, quod vis, tibi ego concedam. vt emeris: quoniam in toto hoc genere hac vna defensione vsurus es: quæro, cuiusmodi tu iudicia Romæ putaris esse, si tibi hoc quenquam concessurum putasti, te in Prætura ac imperio, tot res tam pretiosas, omnes denique res quæ alicuius precij fuerint, tota ex prouincia coemisse. *videte maiorū diligentiam, qui nihil dum 9
etiam istiusmodi suspicabantur: veruntamen ea, quæ paruis in rebus accidere poterant, prouidebant. Neminem qui cum potestate, aut legatione in prouinciā esset profectus: tam amentem fore putarunt: vt emeret argentum: dabatur enim de publico. vt vestem: præbebatur enim legibus. mancipiū putauerunt, quo & omnes vtimur, & non præbetur à populo. sanxerunt ne quis emeret mancipium, nisi in demortui locum. si quis Romæ esset demortuus? imò si quis ibidem. non enim te instruere domum tuam voluerunt in prouincia: sed illum vsum prouinciæ supplere.* quæ fuit causa, cur tā diligenter vos 10
in prouincijs ab emptionibus remouerent? hæc, Iudices: quòd putabant ereptionem, non emptionem, cum venditori suo arbitratu vendere non liceret. in prouincijs intelligebant, si is, qui esset cum imperio ac

potestate, quod apud quemque esset, emere vellet, idq; ei liceret: fore vti quod quisque vellet, siue esset venale, siue non esset, quanti vellet, auferret. Dicet aliquis, noli isto modo agere cũ Verre, noli eius facta ad antiquæ religionis rationem exquirere: concede vt impune emerit, modo vt bona ratione emerit, nihil pro potestate, nihil ab inuito, nihil per iniuriam. sic agam. si quid venale habuit Heius, si id quanti æstimabat, tanti vendidit: desino quærere cur emeris. * Quid igitur nobis faciendũ est? nũ argumentis vtendum in re eiusmodi? quærendum credo est, Heius iste num æs alienum habuerit? num auctionem fecerit? si fecit: num tanta difficultas eum rei numeriæ tenuerit, tanta egestas, tanta vis oppresserit, vt sacrarium suum spoliaret? vt deos patrios venderet? At hominem video auctionem fecisse nullam, vendidisse præter fructus suos nihil vnquam: non modo in ære alieno nullo, sed in suis nummis multis esse, ac semper fuisse. si hæc contrà, ac dico essent omnia, tamen illũ hæc, quæ tot annos in familia, sacrariog; maiorum fuissent, venditurum non fuisse. Quid si magnitudine pecuniæ persuasum est ei? verisimile non est, vt ille homo tam locuples, tam honestus, religioni suæ, monumentis- 12 qúe maiorum pecuniam anteponeret * Sũt ista: verum tamẽ abducuntur homines nonnunquam etiam ab institutis suis magnitudine pecuniæ. Videamus quãta ista pecunia fuit, quæ potuerit Heium hominem maximè locupletem, minimè auarum, ab humanitate, à pietate, ab religione deducere. Ita

11

ius.

iussisti opinor ipsum in tabulas referre: Hæc omnia signa Praxitelis, Myronis, Polycleti HS. VI. mil. Verri vendita sunt Recita ex tabulis. TABVLAE HEII. Iuuat me, hæc præclara nomina artificũ, quæ isti ad cœlũ ferunt, Verris æstimatione sic concidisse. Cupidinem Praxitelis HS. MDC. profectò hinc natum est, malo emere, quam rogare. * Dicet aliquis, quid? tu ista permagno æstimas? ego verò ad meam rationem vsumque non æstimo. veruntamen à vobis ita arbitror spectari oportere, quanti hæc eorum iudicio, qui studiosi sunt harum rerum, æstimentur: quanti venire soleant: quanti hæc ipsa sipalam, libereque venirent, venire possent: denique ipse Verres quanti æstimet. nunquam enim si denarijs quadringentis Cupidinem illum pitasset, commisisset, vt propter eum in sermonem hominum, atque in tantam vituperationem veniret. * Quis vestrum igitur nescit, quanti hæc æstimentur? in auctione signum æneum non magnum HS CXX. millibus venire non vidimus? quid si velim nominare homines, qui aut non minoris, aut etiam pluris emerent? nonne possum? etenim qui modus est in his rebus cupiditatis, idem est æstimationis. difficile est enim finem facere precio, nisi libidini feceris. Video igitur Heium, neque voluntate, neq; difficultate aliqua temporis, neque magnitudine pecuniæ adductum esse, vt hæc signa vaderet: teque ista simulatione emptionis vi, meu, imperio, fascibus, ab homine eo, quem vna cum ceteris socijs non solum potestati tuæ, sed etiam

13

14

iã fidei populus Romanus commiserat, eripuisse, atq;
15 abstulisse. *Quid mihi tam optandũ, Iudices, potest
esse in hoc crimine, quam vt hæc eadem dicat ipse
Heius? nihil profecto, sed ne difficilia optemus. Hei-
us est Mamertinus, Mamertina ciuitas istum pu-
blicè communi consilio laudat, omnibus ipse cæ-
teris Siculis odio est, ab his solis amatur. Eius au-
tem legationis, quæ ad istum laudandum missa est,
princeps est Heius. Etenim est primus ciuitatis. ne
fortè, dum publicis mandatis seruiat, de priuatis
16 iniurijs reticeat. *hæc cũ scirem & cogitarem, com-
misit tamen me, Iudices, Heio, produxi eum prima
actione: neque id tamen vllo periculo feci. Quid e-
nim poterat Heius respondere, si esset improbus? si
sui dissimilia? signa illa domi suæ esse, nõ apud Ver-
rem? qui poterat quicquam eiusmodi dicere? vt ho-
mo turpissimus esset, impudentissimeq; mentie-
tur hoc diceret, illa se habuisse venalia, eaq; se-
se quanti voluerit, vendidisse. Homo domi suæ no-
bilissimus, qui vos de religione suæ ac dignitatis
verè existimare maximè vellet, primo dixit signum
publicè laudare, quod sibi ita mandatum esset: de-
inde neque se illa habuisse venalia, neque vlla con-
ditione, si vtrum vellet, liceret, adduci vnquam
potuisse, vt venderet illa, quæ in sacrario fuis-
17 sent à maioribus suis relicta & tradita. *Quid se-
des Verres? vt quid expectas? quid te à Centuripi-
na ciuitate, à Catinensi, ab Halesina, Tindarita-
na, Aetnensi, Agyrinensi, cæteris q; Siciliæ ciuitati-
bus circumueniri, atque opprimi dicis? tuæ alte-
ra

ra patria, quemadmodum dicere solebas, Messana circumenit: tua inquam, tua Messana, tuorum adiutrix scelerorum, libidinum testis, prædarū ac furtorū receptrix. adest enim vir amplissimus eius ciuitatis, Legatus huius iudicij caussa domo missus, princeps laudationis tuæ, qui te publice laudat: ita enim mandatum, atque imperatum est: tametsi rogatus de Cybea tenetis memoria quid responderit, ædificatam publicis operis publicè coactis, eique ædificandæ publicè Mamertinum Senatorem præfuisse. Idē ad vos priuatim, Iudices, confugit: vtitur hac lege, qua iudicium est communis & priuatæ rei sociorū, tametsi lex est de pecunijs repetundis, ille se negat pecuniam repetere, quam ereptam nō tantopere desiderat: sacra se maiorum suorum repetere abs te dicit, deos penates à te patrios reposcit. *Ecquis pudor est? ecqua religio Verres? ecquis metus? habita sit apud Heium Messanæ; res illum diuinas apud eos deos in suo sacrario prope quotidie facere vidisti. non mouetur pecunia: denique quæ ornamenti caussa fuerunt, non requirit: tibi habe Canephoras, deorum simulacra restituue. quæ quia dixit, quia tempore dato modestè apud vos socius amicusq; Pop. Rom. quæstus est, quia religioni suæ non modo in dijs patrijs repetundis, sed etiam ipso iureiurando, ac testimonio proximus fuit, hominem missum ab isto scitote esse Messanam de Legatis vnum illum ipsum, qui naui istius ædificandæ publicè præfuit: quia à Senatu peteret, vt Heius ignominia afficeretur. *Homo amentissime, quid pu-

18

19

putasti te impetraturum: quanti is à ciuibus suis fieret, quanti autoritas eius haberetur, ignorabas? verum fac te impetrauisse, fac aliquid grauius in Heium statuisse Mamertinos: quantam putas autoritatem laudationis eorum futuram, si in eum quē constet verum pro testimonio dixisse, pœnam constituerēt? tametsi quæ est ista laudatio, cum laudator interrogatus lædat necesse est? Quid isti laudatores tui, nonné testes mei sunt? Heius est laudator, læsit grauissimè producam cæteros: reticebunt, quæ poterunt, libenter: dicent quæ necesse erit ingratis. Negent isti onerariam nauem maximam ædificatam esse Messanæ? negent si possint. negent ei naui faciundæ Senatorem Mamertinum publicè præfuisse? vtinam negent. Sunt etiam cætera, quæ malo integra reseruare, vt quàm minimum sit illis temporis ad meditandum confirmandumq; periuri-
20um.* hæc tibi laudatio procedat in numerum. hi te homines autoritate sua subleuent, qui te neq; debent adiuuare, si possint: neq; possunt, si velint: quibus tu priuatim iniurias plurimas contumeliasque imposuisti: quo in oppido multas familias totas in perpetuum infames tuis stupris flagitijsq; fecisti. At publicè commodasti. non sine magno quidem Reip. prouinciæq; Siciliæ detrimento. Tritici modium LX. millia empta Po. Ro. dare debebant & solebant. abs te solo remissum est. Resp. detrimentum fecit, quòd per te imperij ius vnam in ciuitatem imminutum est. Siculi, quòd hoc non de summa frumenti detractum est, sed translatum in Centuripinos, & Halesinos

finos immunes populos: & hoc plus impositum, quam ferre possent. *Nauē imperare ex fœdere debuisti, remisisti in triennium. militem nullum vnquam poposcisti per tot annos. fecisti item vti prædones solent: qui cum communes hostes sunt omnium, tamē aliquos sibi instituunt amicos, quibus non modo parcant, verum etiam præda quos augeant: & eos maximè, qui habent oppidum opportuno loco, quo sæpe adeundum sit nauibus, nonnūquam etiam necessario Phaselis, illa quam cepit P. Seruilius, non fuerat vrbs ante Cilicum atque prædonum: Lycij illam Græci homines incolebāt, sed quod erat eiusmodi loco atque ita proiecta in altum, vt & exeuntes è Cilicia prædones sæpè ad eam necessariò deuenirent: & cum ex hisce se locis reciperent, eodem deferrentur: asciuerunt illud sibi oppidum piratæ, primo commercio, deinde etiam societate. *Mamertina ciuitas improba antea non erat: etiam erat inimica improborū, quæ C. Catonis illius, qui Consul fuit, impedimenta retinuit. at cuius hominis? clarissimi, potentissimiq;. qui tamen cum Consul fuisset, condemnatus est. Ita C. Cato duorum hominum clarissimorum nepos, L. Pauli, & M. Catonis. & P. Africani sororis filius: quo damnato, tū cum seuera iudicia fiebant, HS. XVIII. millibus lis æstimata est. Huic Mamertini irati non fuerunt, qui maiorem sumptū, quam quanti Catonis lis æstimata est, in Timarchidis prandium sæpè fecerūt. *Verum hæc ciuitas isti prædoni ac piratæ Siculiensi Phaselis fuit. huic omnia vndique deportaban-

21

22

23

tabantur: apud istos relinquebantur: quod celari opus erat, habebant sepositū ac reconditum: per istos, quæ volebat, in nauem clam imponenda, occultè exportanda curabat. nauem deniq; maximam, quam onustam furtis in Italiam mitteret, apud istos faciendam ædificandamque curauit. pro hisce rebus vacatio data est ab isto sumptus, laboris, militiæ, rerum denique omnium. per triennium soli non modo in Sicilia, verum, vt opinio mea fert, his quidem tēporib⁹ in omni orbe terrarum, vacui, expertes, soluti ac liberi fuerūt ab omni sumptu, molestia, munere. *Hinc illa Verrea nata sunt. hinc in conuiuium Sext. Cominium protrahi iussit, in quem scyphum de manu iacere conatus est: quem obtorta gula de cōuiuio in vincula atq; tenebras abripi iussit. hinc illa crux, in quam ciuem Rom. iste multis inspectantibus sustulit: quam non ausus est vsquam defigere, nisi apud eos, quibuscū omnia scelera sua ac latrocinia communicasset. Laudatum etiam vos quemquam venire audetis? qua autoritate? vtrū quam apud Senatorium ordinem? an quam apud populū Ro. habere debetis? *Ecqua ciuitas est, non modo in prouincijs nostris, verum in vltimis nationibus, aut tā potens, aut tam libera, aut etiam tam immanis, ac barbara? rex denique ecquis est, qui Senatorem populi Romani tecto ac domo non inuitet? qui honos non homini solum habetur, sed primum pop. Rom. cuius beneficio nos in hunc ordinem venimus: deinde ordinis autoritati, quæ nisi grauis erit apud socios, & exteras nationes, vbi erit imperij nomen

&

& dignitas? Mamertini me publicè non inuitauerunt. me cum dico, leue esi. Senatorem populi Ro. si non inuitauerunt, honorem debitum detraxerunt, non homini, sed ordini. Nam ipsi Tullio patebat domus locupletissima Cn. Pompeÿ Basilisci: quo, etiamsi esset inuitatus à vobis, tamen diuertisset. erat etiam Percennionum, qui nunc item Pompeÿ sunt, domus honestissima, quo L. frater meus summa illorum voluntate diuertit. Senator populi Romani, quod in vobis fuit, in vestro oppido iacuit, & pernoctauit in publico: nullo hoc ciuitas vnquam alia commisit. *amicum enim nostrum in 26
iudicium vocabas, tu quid ego priuatim negotÿ geram, interpretabere, in minuendo honore Senatorio? verum hæc tum queremur, si quid de vobis per eum ordinem agetur, qui ordo à vobis adhuc contemptus est. in populi Romani quidem conspectum, quo ore vos commisistis? nec prius illam crucem, quæ etiam nunc ciuis Rom. sanguine redundat, quæ fixa est ad portum, vrbēque vestram, reuellistis, neq; in profundum abiecistis, locumq; illū omnē expiastis, quam Romam atque horum conuentum aditetis? In Mamertinorum solo fœderato atq; pacato monimentum istius crudelitatis constitutum est. vestrane vrbs electa est, ad quam cum adirent ex Italia, crucem ciuis Romani prius, quam quenquā amicum populi Romani viderent? quam vos Rhegynis, quorum ciuitatis inuidetis, item incolis vestris ciuibus Ro. ostēdere soletis. quo minus sibi arrogent, minusq; vos despiciant, cum videant ius ciuita-

tis,

27 tu, illo supplicio esse mactatum. *Verum hæc emisse te dicis. Quid illa Attalica, tota Sicilia nominata, ab eodem Hero peripetasmata emere oblitus es? licuit eodem modo, vt signa. Quid enim actum est? an literis pepercisti? Verum hominem amentem hoc fugit, minus clarum putauit fore, quod de armario, quàm quod de sacrario esset ablatum. At quomodo abstulit? non possum dicere planius, quàm ipse apud vos dixit Helius. cum quæsissem, nunquid aliud de bonis eius peruenisset ad Verrem, respondit istum ad se misisse, vt sibi mitteret Agrigentum peripetasmata: quæsiui an misisset: respondit id quod necesse erat, scilicet dicto audientem fuisse Prætori: misisse. rogaui peruenisset ne Agrigentum: dixit peruenisse. quemadmodum reuerti issent: negauit adhuc reuertisse: risus populi atque admurmuratio omnium facta est. *Hic tibi in mentem non venit iubere
28 vt hæc quoque referret HS. D. se tibi vendidisse. metuisti ne æs alienum tibi crescret, si HS. D. tibi cōstarent ea, quæ tu facile posses vendere HS. CC. millibus. fuit tanti mihi crede, haberes quod defenderes: nemo quæreret quanti illa res esset, si modo te posses docere emisse: facilè cui velles tuam caussam, & factum probares. nūc de peripetasmatis
29 quemadmodū te expedias, nō habes. *Quid? à Pilarcho Centuripino homine locuplete ac nobili phaleras pulcherrimè factas, quæ Regis Hieronis fuisse dicūtur, virtum tandē abstulisti? an emisti? In Sicilia quidem cum essem, sic à Centuripinis, sic à cæteris audiebā (non enim parū res erat clara) tam te

has

has phaleras à Philarcho Centuripino abstuliſſe dicebant, quã alias item nobiles ab Ariſto Panormitano: quã tertias à Cratippo Tyndaritano. Etenim ſi Philarchus vendidiſſet, non ei poſteaquã reus factus es redditurum te promiſiſſes. quod quia vidiſti plures ſcire, cogitaſti, ſi ei reddidiſſes te minus inuidiã habiturum: rem nihilo minus teſtatam futurã. non reddidiſti. dixit Philarchus pro teſtimonio: ſe, quod noſſet tuum iſtum morbum, vt amici tui appellant ſtudium, cupiſſe te celare de phaleris: cũ abs te appellatus eſſet, negaſſe habere ſeſe: apud aliũ quoque eas habuiſſe depoſitas, ne qua inuenirentur, tuã tantã fuiſſe ſagacitatẽ, vt eas per illum ipſum inſpiceres, vbi erant depoſitæ: tũ ſe deprehenſum negare nõ potuiſſe, ita ab ſe inuito ablatas phaleras gratis. *Iam vt hæc omnia reperire ac perſcrutari ſolitus ſit iudices, eſt operæ pretium cognoſcere, Cybiratæ ſunt fratres quidam Tleptolemus & Hieron quorũ alterum fingere opinor è cera ſolitum eſſe, alterum eſſe pictorem. hoſce opinor Cybira, cũ in ſuſpitionem veniſſent ſuis ciuibus fanũ expilaſſe Apollinis, veritos pœnã iudicij ac legis, domo profugiſſe, quod Verrem artificij ſui cupidum cognouerant, tũ cum iſte, id quod ex teſtibus didiciſtis, Cybiram cum inanibus ſyngraphis venerat: domo profugientes ad eum ſe exules, cum iſte eſſet in Aſia, contulerunt. habuit ſecum eos ab illo tempore, & in legationis prædis atque furtis multum illorum opera conſilioq; vſus eſt. *hi ſunt illi, quibus in tabulis retulit ſe Q. Tadius dediſſe iuſſu iſtius, Græcis pictoribus.

Eos iam bene cognitos, & reprobatos secum in Siciliam duxit. Quo poste aquam venerunt, mirandum in modum (canes venaticos diceres) ita odorabantur omnia & perueſtigabant, vt vbi quicquid eſſet, aliqua ratione inuenirent. alud minitando, aliud pollicendo: aliud per ſeruos, aliud per liberos, per amicum aliud, aliud per inimicũ inueniebãt, quicquid illis placuerat perdendum erat, nihil aliud optabant, quorum poſcebatur argentum, niſi vt Hieronici & Tlepolemo diſpliceret. *Verũ me hercules hoc,
32 Iudices, dicam. memini Pamphilum Lilybætanum hoſpitem meum, & amicum, nobilem hominem mihi narrare: cum iſte ab ſeſe Hydriam Boeti manu factam, præclaro opere, & grandi pondere, per poteſtatẽ abſtuliſſet, ſe ſanè triſtem, & conturbatum domum reuertiſſe, quod vas eiuſmodi, quod ſibi à patre, & à maioribus eſſet relictum, quo ſolitus eſſet vti ad feſtos dies, ad hoſpitum aduentum, à ſe eſſet ablatum. cum ſederem, inquit, domi triſtis, accurrit Venerius, iubet me ſcyphos ſigillatos ad Prætorem ſtatim afferre, permotus ſum, inquit: binos habebam, iubeo promi vtroſque, ne quid plus mali naſceretur, & mecum ad Prætoris domum ferri. eo cum venio, Prætor quieſcebat: fratres illi Cybiratæ inambulabant. qui ſimul vt me viderunt, vbi ſunt, Pamphile, inquiunt ſcyphi? oſtendo triſtis. laudant. incipio queri, me nihil habiturum, quod alicuius eſſet precij, ſi etiam ſcyphi eſſent ablati. tum illi, vbi me conturbatum vident: quid vis nobis dare, iſti abs te ne auferantur? ne multa HS. CC. me, in

quit

quit, poposcerant: dixi me daturum C. Vocat interea Prætor: scyphos poscit. tum illos cœpisse Prætori dicere, putasse se, id quod audissent, alicuius precij scyphos esse Pamphili: luteum negotium esse, non dignum quod in suo argento Verres haberet. at ille idem sibi videri. ita Pamphilus scyphos optimos aufert. *Et me hercule: ego antea, tametsi 33
hoc nescio quid nugatorium sciebam esse, ista intelligere, tamen mirari solebam, istum in his ipsis rebus aliquem sensum habere, quem scirem nulla in re quicquam simile hominis habere. tum primum intellexi ad eam rem istos fratres Cybiratas fuisse, vt iste in furando manibus suis, oculis illorum vteretur. At ita studiosus est huius præclaræ existimationis, vt putetur in hisce rebus intelligens esse: vt nuper (videte hominis amentiam) postea quam est comperendinatus, cum iam pro damnato, mortuoque esset, ludis Circensibus mane apud L. Sisennam virum primarium, cum essent triclinia strata, argentumq; expositum in ædibus, cum pro dignitate L. Sisennæ domus esset plena hominum honestorum, accesserit ad argentum, contemplari vnumquodq; otiose, & considerare cœperit. mirari stultitiam alij, quod in ipso iudicio, eius ipsius cupiditatis, cuius insimularetur, suspitionem augeret. alij amentiam cui comperendinato, cum tam multi testes dixissent, quicquam illorum veniret in mentem. pueri autem Sisennæ, credo qui audiuissent, quæ in istū testimonia essent dicta, oculos de isto nusquam deijcere, neque ab argento digitum discedere. *Est bo- 34

mi iudicis paruis exrebus coniecturam facere vniuscuiusq; & cupiditatis, & incontinentiæ. quireus lege, & reus comperendinatus, re & opinione hominum pene damnatus, temperare non potuerit maximo conuentu, quin L. Sisennæ argentum tractaret, & consideraret: hunc in prouincia Prætorem quisquam putabit à Siculorum argento cupiditatem, aut manus abstinere potuisse? *Verum vti Lily-
35 bæum, vnde digressa, est oratio, reuertatur. Diocles est Pamphili gener illius, à quo Hidria ablata est, Popilius cognomine. ab hoc abaci vasa omnia, vt exposita fuerant, abstulit. dicat se emisse. etenim hic propter magnitudinem furti sunt, vt opinor, literæ factæ. iussit Timarchidem æstimare argentum. quo modo? quo qui vnquam tenuissimè in donationem histrionum æstimauit. Tametsi iam dudum erro, qui tam multa de tuis emptionibus verba faciam, & quæram, vtrum emeris, & quomodo, & quanti emeris: quod verbo transigere possum. Ede mihi scriptum, quid argenti in prouincia Sicilia pararis, vn-
36 de quid q, aut quanti emeris. *quid fit? quanquã non debebam egò abs tè has literas poscere. me enim tabulas tuas habere, & proferre oportebat. verum negas te horum annorum aliquot confecisse, compone hoc postulo de argento: de reliquo videro. nec scriptum habeo, nec possum edere. Quid futurum igitur est? quid existimas hosce iudices facere posse? domus plena signorum pulcherrimorum iam etiam ante Præturam, multa ad villas tuas posita, apud amicos multa deposita, multa alijs data atq;

de-

donata. tabulæ nullam indicant emptum: omne argẽtum ablatum ex Sicilia est: nihil cuiquam, quod suum dici vellet relictum fingitur. improba defensio, Prætorem omne id argentum coëmisse: tamen idipsum tabulis demonstrari non potest: si quas tabulas profers, in his, quæ habes: quomodo habeas, scriptum non est. horum autem temporum, cum te plurimas res emisse dicas, tabulas omnino nullas profers: nonne te & prolatis & non prolatis tabulis condemnari necesse est? * Tu à M. Cælio Equite 37
Rom. lectissimo adolescente, quæ voluisti vasa argentea Lilybæi abstulisti: tu C. Cacurÿ promptissimi hominis, & experientis, & in primis gratiosi, suppellectilem omnem auferre non dubitasti: tu maximam & pulcherrimam mensam citreã à Q. Lutatio Diodoro, qui Q. Catuli beneficio L. Syllæ civis Romani factus est omnibus scientibus Lilybæi abstulisti. non tibi obÿcio, quod hominem dignissimum tuis moribus, Apollonium Niconis filium Drepanitanum, qui nunc A. Clodius vocatur, omni argento optimè facto spoliasti, ac depeculatus es. taceo. non enim putat ille sibi iniuriam factã: propterea quòd homini iamperdito, & collum in laqueum inserenti, subueneristi, cum pupillis Drepanitanis bona patria erepta cũ illo partitus es. gaudeo etiamsi quid ab illo abstulisti, & abs te nihil rectius factum esse dico. à Lisone verò Lilybætano primo homine, apud quem diuersatus es, Apollinis signum ablatum certè esse non oportuit: At dices te emisse. scio HS. M. ita opinor. scio inquam, proferam litteras.

& ramen id factum non oportuit. A pupillo Heio, cui Marcellus tutor est, à quo pecuniam grādem eripueras, Scaphia cū emblematis Lilybæi vtrū
38 empta esse dicū? an confiteris erepta? * Sed quid ego istius in eiusmodi rebus mediocres iniurias colligo: quæ tatummodo in furtis istius, & damnis eorum, à quibus auferebat, versata esse videantur? accipite si vultis, Iudices, rem eiusmodi: vt amentiam singularem, vt furorem iam, non cupiditatem eius perspicere possitis. Melitensis Diodorus est, qui apud vos antea testimonium dixit. is Lilybæi multos iam annos habitat, homo & domi nobilis, & apud eos quo se contulit, propter virtutem splendidus & gratiosus. de hoc Verri dicitur, habere eum perbona toreumata, in his pocula duo quædā, quæ, Heracleā nominātur, Mentoris manu summo artificio facta, quod iste vbi audiuit, sic cupiditate inflammatus est non solum inspiciundi, verum etiam auferendi, vt Diodorum ad se vocaret ac poscereret. ille, qui illa non inuitus haberet, respondit se Lilybæi nō habere;
39 Melitæ apud quendam propinquum suū reliquisse. * tum iste continuo mittit homines certos Melitam: scribit ad quosdam Melitenses, vt ea vasa perquirāt: rogat Diodorum, vt ad illum suum propinquum det litteras, nihil et longius videbatur, quam dum illud videret argentum. Diodorus homo frugi ac diligens, qui sua seruare vellet, propinquo suo scribit, vt ijs, qui a Verre venissent, responderet, illud argētum se paucis illis diebus misisse Lilybæum, ipse interea recedit. abesse ab domo pauliſper maluit, quàm

prę-

præsens illud optimè factum argentum amittere. Quod vbi audiuit iste, vsq; eò est commotus, vt sine vlla dubitatione insanire omnibus ac furere videretur, qui non potuerat argẽtum eripere, ipse à Diodoro erepta sibi vasa optimè facta dicebat: minitari absenti Diodoro, vociferari palã, lacrymas interdum vix tenere. Eriphylã accepimus in fabulis ea cupiditate, vt cum vidisset monile, vt opinor, ex auro & gemmis, pulchritudine eius incensa salutem viri proderet. similis istius cupiditas: hoc etiam acrior atq; insanior, quòd illa cupiebat id, quod viderat: huius libidines non solum oculis sed etiã auribus excitabantur. *conquiri Diodorũ tota prouin- 40
cia iubet. ille ex Sicilia castra iam mouerat, & vasa collegerat. Homo, vt aliquo modo illum in prouinciam reuocaret, hanc excogitauit rationem: si hæc ratio potius, quam amentia nominanda est. apponit de suis canibus quendam, qui dicat se Diodorũ Melitensem rei capitalis reum velle facere. primo mirũ omnibus videri, Diodorum reum, hominem quietissimum, ab omni non modò facinore, verum etiam minimi erroris suspitione remotissimum. deinde esse perspicuum, fieri omnia illa propter argentum. Iste non dubitat tubere nomen deferri. & tum primum opinor istum absentis nomẽ recepisse. *reclamat Si- 41
cilia tota, propter celati argenti cupiditatem reos fieri rerum capitalium: neq; solum præsentes reos fieri, sed etiam absentes. Diodorus Romæ sordidatus circũ patronos atq; hospites cursare, rem omnibus narrare. litteræ mittuntur isti à patre vehementes,

ab amicis itē, videret quid ageret, de Diodoro quò progrederetur: rem claram esse, & inuidiosam: insanire hominem, periturum hoc vno crimine, nisi cauisset. iste etiam tum patrem, si non in parentis, at in hominum numero putabat: ad iudicium nondum se satis instruxerat: primus annus erat prouinciæ: non, vt in Sthenio, iam refertus pecunia, itaq; furor eius paululum non pudore, sed metu, ac timore repressus est. condemnare Diodorum non audet, absentem de reis eximit. Diodorus interea Prætore isto prope triennium prouincia domoque
42 caruit. *cæteri nō solum Siculi, sed etiā ciues Rom. hoc statuerant: quoniam iste tantum cupiditate progrederetur, nihil esse quod quisquam putaret se, quod isti paulo magis placeret, conseruare, aut domi retinere posse. postea verò quam intellexerunt, isti virum fortem, quem summè prouincia expectabat, Q. Arrium non cedere: statuerunt se nihil tam clausum, neque tam reconditum posse habere, quod non istius cupiditati apertissimum, promptissimumq; esset. Tum iste ab Equite Rom. splendido, & gratioso Cn. Calidio, cuius filium sciebat Senatorem Po. Ro. & Iudicem esse, equuleos argenteos nobiles, qui Q. Maximi fuerant, aufert. *Im-
43 prudens huc incidi, Iudice, semit enim, non abstulit. nollem dixisse. iactabit se, & in his equitabit equuleis. emi, pecuniam solui. credo etiam tabulæ proferentur. est tanti. cedo tabulas. dilue sanè crimen hoc Calidianum, dum ego tabulas aspicere possim. Veruntamen quid erat, quod Calidius Ro-

ma

mea quereretur. se cum tot annos in Sicilia negociaretur, abs te solo ita esse contemptum, ita despectum, vt etiam cum cæteris Siculis dispoliaretur: si emeras, quid erat, quod confirmabat, se abs te argentum esse repetiturum, si tibi sua voluntate vendiderat? tu porro posses facere vt Cn. Calidio non redderes: præsertim cum is L. Sisenna defensore tuo, tam familiariter vteretur, cum & cæteris familiaribus Sisennæ reddidisses? * deinde non 44
opinor negaturum esse te, homini honesto, sed non gratiosiori, quam Cn. Calidius est, L. Cordio argentum per Potamonem amicum tuum reddidisse. qui quidem cæterorum caussam apud te difficiliorem fecit. Nam cum te complurib⁹ confirmasses redditurum: posteaquam Cordius protestimonio dixit te sibi reddidisse, finem reddendi fecisti: quod intellexisti te præda de manibus amissa testimonium tamẽ effugere non posse. Cn. Calidio Equiti Ro. per omnes Prætores licuit argentum habere benefactum: licuit posse domesticis copijs, cum magistratum, aut aliquem superiorem inuitasset ornare, & apparare conuiuium. multi domi Cn. Calidij cum imperio ac potestate fuerunt: nemo inuentus est tam amens, qui illud argentum tam præclarum, ac tam nobile eriperet: nemo tam audax, qui poscceret: nemo tã impudens, qui postularet vt venderet. * Superbũ est e- 45
nim, Iudices, & non ferendũ, dicere Prætorẽ in prouincia homini honesto, locupleti, splendido. Vende mihi vasa cælata. hoc est enim dicere: non es dignus tu, qui habeas quæ tam benefacta sint: meæ dignita-

tis ista sūt. Tu dignior Verres, quā Calidius? qui vt nō conferam vitam atq; existimationem tuam cū illius (neq; enim est conferenda) hoc ipsum conferam, quo tu te superiorem fingis. quòd HS. LXXX. millia diuisoribus, vt Prætor renunciarere, dedisti: trecēta accusatori, ne tibi odiosus esset: e are cōtemnis Equestrē ordinem ac despicis? eare indignum tibi visū est, quicquàm quod tibi placeret, Calidiū potius habere
46 quàm te? * Iactat se iamdudū de Calidio narrat omnibus se emisse. Num etiam de L. Papyrio viro primario, locuplete, bonesto; equite Ro. thuribulū emisti? qui pro testimonio dixit: te, cū inspiciendum popposcisses, aulso emblemate vemisisse: vt intelligatis, in homine intelligentiā esse, nā auaritiā: artificij cupidum, non argēti fuisse. Nec solum in Papyrio fuit hæc abstinentia: tenuit hoc institutum in thuribulis omnibus, quæcūq; in Sicilia fuerūt. incredibile est autē, quam multa & quam præclara fuerint. credo tum, cum Sicilia florebat opibus, et copijs, magna artificia fuisse in ea insula. Nam domus erat ante istum Prætorem nulla paulò locupletior, qua in domo hæc non essent, etiam si præterea nihil esset argenti, patella grandis, cum sigillis ac simulacris deorum, patera, qua mulieres ad ves diuinas vterentur, thuribulum. hæc autem omnia antiquo opere, & summo artificio facta: vt hoc liceret suspicari, fuisse aliquando apud Siculos per aqua proportione cætera: sed quibus multa fortuna ademisset. tamen apud eos remanfisse ea, quæ religio retinuisset. * Dixi, Iudices, multæ
47 fuisse ferè apud Siculos omnes: ego idem confirmo,

nunc

nunc ne vnum quidē esse. Quid hoc est? quod mon-
strum? quod prodigium? in prouinciam misimus? non
ne vobis id egisse videtur, vt non vnius libidinem,
non suos oculos, sed omnium auarissimorum insa-
nias, cum Romam reuertisset, expleret? qui simul
atq; in oppidum quodpiam veneràt, immittebantur
illi continuo Cybiratici canes, qui inuestigabant,
& perscrutabantur omnia. si quod erat grande
vas, & magis opus inuentum, læti auferebant, si
minus eiusmodi quippiam, venari poterant: illa
quidem certe prolepusculis capiebantur: patellæ,
pateræ, turibula. Hic quos putatis fletus mulierum?
quas lamentationes fieri solitas esse in hisce rebus?
quæ forsitan vobis paruæ esse videantur: sed magnum
& acerbum dolorem commouent, mulierculis præ-
sertim: cum eripiuntur è manibus ea, quibus ad res
diuinas vti cōsueuerunt: quæ à suis acceperunt, quæ
in familia semper fuerunt. * Hic nolite expectare 48
dum ego hoc crimen agam ostentum, ab Aesculapio Tin-
daritano istum pateram abstulisse, à Thrasone item
Tindaritano patellam, à Nymphodoro Agrigentino
turibulum. cum testes ex Sicilia dabo, quem volet
eligat, quam ego interrogem de patellis, paterris, thu-
ribulis: non modo oppidū nullum, sed ne domus qui-
dem paulò locupletior expers huius iniuriæ repe-
rietur. qui cum in conuiuium venisset, si quicquam
cælati aspexerat, manum abstinere, Iudices, non po-
terat. Cn. Pompeius est Philo, qui fuit Tindarita-
nus. is cœnam isti dabat apud villam in Tindarita-
no. fecit quod Siculi non audebant. ille ciuis Ro. quod

erat,

erat, impunius id se facturum putauit. apposuit patellam, in qua sigilla erant egregia. iste continuo vt vidit, non dubitauit illud insigne penatium, hospitaliumq; deorum ex hospitali mensa tollere, sed tamen, quod antea de istius abstinentia dixeram, sigillis auulsis reliquum argentum sine vlla auaritia
49 reddidit. * Quid? Eupolemo Calactino homini nobili, Lucullorum hospiti ac perfamiliari, qui nũc apud exercitum cum L. Lucullo est, non idem fecit? cœnabat apud eum. argentum illi, cæterum purum apposuerat, ne purus ipse relinqueretur: duo pocula non magna, veruntamen cum emblematis. hic quasi festiuum acroama, ne sine corollario de conuiuio discederet, ibidem cõuiuis inspectantibus emblemata auellenda curauit. Neq; ego nunc istius facta omnia enumerare conor. neq; opus est, nec fieri vllo modo potest. tantummodo vniuersuq; de varia improbitate generis indicia apud vos & exempla profero. neque enim ita se gessit in his rebus, tanquam rationem aliquando esset redditurus: sed prorsus ita, quasi aut reus nunquam esset futurus: aut quo plura abstulisset, eo minore periculo in iudicium esset venturus: qui hæc, quæ dico, iam non occulte, non per amicos, atq; interpretes, sed palam de loco
50 superiore ageret pro imperio & potestate. * Catinã cum venisset, oppidum locuples, honestum, copiosum: Dionysiarchum ad se Proagorum, hoc est summum magistratum vocari iubet. ei palam imperat, vt omne argentum, quod apud quenq; esset Catinæ conquerendum curaret, & ad se afferendum. Pilarchum

chum Centuripinum primarium hominem genere, virtute, pecunia, non hoc idem iuratum dicere audistis? sibi istum negocium dedisse atque imperauisse vt Centuripis, in ciuitate totius Siciliæ multo maxima & locupletissima, omne argētum conquireret, & ad se comportari iuberet. Agyrio similiter istius imperio vasa Corinthia per Appollodorum, quē teste audistis, Syracusas deportata sunt.* Illa verò optima, quod cum Halauntium venisset Prætor laboriosus & diligēs, ipse in opidum accedere noluit, quod erat difficili ascensu atq; arduo: Artagatum Halūtinum, hominem nō solum domi suæ, sed tota Sicilia in primis nobilem vocari iussit. ei negocium dedit, vt quicquid Halunti esset argenti cælati, aut si quid etiam Corinthiorum, vt omne statim ad mare ex oppido deportaretur. ascendit in oppidum Artagathus homo nobilis, qui à suis & amari & diligi vellet: ferebat grauiter, illam sibi ab isto prouinciam datā, nec quid faceret, habebat. pronunciat quid sibi imperatum esset: iubet omnes proferre, quæ haberent. metus erat summus. ipse enim tyrannus non discedebat longius: Artagathum & argentum in lectica cubans ad mare infra oppidum expectabat.* quæ concursum factum in oppido putatis? quem clamorem? quem porrò fletum mulierum? qui videret, equum Troianum introductum, vrbem captam esse diceret, efferri sine thecis vasa, extorqueri alia de manibus mulierum, effringi multorum fores, reuelli claustra. Quid enim putatis? scuta siquando conquiruntur à priuatis in bello ac tumultu, tamen homines

51

52

mines inuiti dant, etsi ad salutē communē dari sentiunt: ne quem putetis sine maximo dolore argentū celatum domo quod alteri eriperet, protulisse? omnia deferuntur. Cybiratæ fratres vocantur, pauca improbant: quæ probant, ijs crustæ aut emblemata detrahuntur. Sic Haluntini excusis delitijs, cum
53 argento puro domum reuerterunt.* Quod vnquam, Iudices, huiusce modi euerriculum vlla in prouincia fuit? auertere aliquid de publico quam obscurissime per magistratum solebant: etiam aliquid de priuato nonnunquam occulte auferebant: & illi tamen condemnabantur, & si quæritis vtegomtmihi detraham, illos ego accusatores puto fuisse, qui huiusmodi hominum furta odore, aut aliquo leuiter presso vestigio persequebantur. Nam nos quidem quid facimus in Verre, quem in luto volutatum totius corporis vestigijs inuenimus? per magnum est in eum dicere aliquid? qui prætiens, lectica pauli sper depositā, non per præstigias, sed palam per potestatem, vno imperio ostiatim totum oppidum compilarit. Attamen vt possit se dicere emisse, Artagatho imperat, vt aliquid illis, quorum argentum fuerat, nummorum dicis caussa daret. inuenit Artagathus paucos qui vellent accipere. his dedit. eos nummos tamen iste Artagatho non reddidit. voluit Romæ repetere Artagathus. Cn. Lentulus Marcellinus dissuasit, sicut ipsum dicere audistis. atque hæc tota dere audistis Artagathi & Lentuli testimonium.* Et ne forte hominem existimetis
54 hanc tantam vim emblematum sine caussa coacer-

seruare voluisse, videte quanti vos, quanti existimationem populi Romani, quanti leges & iudicia, quanti testes Siculos, negociatores q̃, fecerit. postea quam tantam multitudinem collegerat emblematum, vt ne vnum quidem cuiquam reliquisset, instituit officinam Syracusis. in regiam maximam, palam artifices omnes, celatores, ac vascularios cõuocari iubet, & ipse suos complures habebat. eo conducit magnam hominũ multitudinẽ. mẽses octo cõtinuos opus his non defuit, cum vas nullum fieret nisi aureum. tum illa ex patellis, & thuribulis quæ vellerat, ita scite in aureis poculis illigabat, ita apte in scyphis aureis includebat, vt ea ad illam rem nata esse diceres: ipse tamen Prætor, qui sua vigilãria pacem in Sicilia dicit fuisse, in hac officina maiorem partem diei cum tunica pulla sedere solebat & pallio. * Hæc ego, Iudices, non auderem proferre, ni vererer ne fortè plura de isto ab alijs in sermone, quã à me in iudicio audisse vos diceretis. Quis enim est, qui de hac officina, qui de vasis aureis, qui de istius pallio, tunica pulla non audierit? quem voles de conuentu Syracusanorum virum bonum nominato. producam. nemo erit qui hoc se aut vidisse, aut audisse dicat. * O tempora, O mores. nihil nimium vetus proferam. Sunt vestrum, iudices, quam multi, qui L. Pisonem cognouerunt, huius L. Pisonis, qui Prætor fuit, patrem. is cum esset in Hispania Prætor, qua in prouincia occisus est, nescio quo pactodum armis exercetur, annulus aureus, quem habebat, fractus est & comminutus. cum vellet sibi annulum

55

56

facere

facere, aurificem iussit vocari in foro. ad sellam Corduba, & ei palam appendit aurum. hominem in foro sellam iubet ponere, & facere annulum omnibus præsentibus. Nimium fortasse dicet aliquis hunc diligentem. hactenus reprehendat, si quis volet: nihil amplius. verum fuit ei concedendum. filius enim L. Pisonis erat eius, qui primus de pecuniis
57 repetundis legem tulit. * Ridiculum est nunc de Verre me dicere, cum de Pisone frugi dixerim. veruntamen quantum interfit, videte. iste cum aliquot abacorum faceret vasa aurea, non laboravit, qui non modo in Sicilia, verum etiam Romæ in iudicio audiret: ille in auri semuncia totam Hispaniam scire voluit, vnde Prætori annulus fieret. nimirum vt hic nomen suum comprobavit: sic ille cognomen. Nullo modo possum omnia istius facta aut memoria consequi, aut oratione complecti. genera ipsa cupio breuiter attingere: vt hic modo me commonuit Pisonis annulus, quod totum effluxerat. Quam multis istum putatis hominibus honestis, de digitis annulos aureos abstulisse? nunquam dubitauit, quotiescunque alicuius aut gemma, aut annulo delectatus est. incredibilem rem dicam, sed tam claram, vt ipsum negaturum non arbitrer. * Cum Valentio eius in-
58 terpreti epistola Agrigento allata esset, casu signum iste animaduertit in cretula: placuit ei, exquisiuit vnde esset epistola: respondit Agrigento. iste literas ad quos solebat, misit: vt is annulus ad se primo quoque tempore afferretur. ita literis istius patrisfamilias L. Titio cuidam, ciui Rom. annulus de

digito

digito detractus est. Illa vero eius cupiditas incredibilis est. nam vt in singula conclauia, quæ iste non modo Romæ, sed omnibus in villis habet, tricenos lectos optime stratos, cum cæteris ornamentis coniuuij quæreret, nimium multa comparare videretur, nulla domus in Sicilia locuples fuit, vbi iste non extrinsecus instituerit. *Mulier est Segestana perdiues, et 59
nobilis, Lamia nomine: per triennium isti plena domo telarum: stragulam vestem confecit: nihil nisi conchylio tinctum. Attalus homo pecuniosus, nec vulgo Lilybæi, Critolaus Ennæ, Syracusis, Aeschrio, Cleomenes, Theominastus, Pelori Archonides, Megistus. vox me citius defecerit quam nomina. Ipse dabat purpuram, tantum amici operas. credo: iam enim non libet omnia criminari: quasi verò hoc mihi nō satis sit ad crimen, habuisse tam multum quod daret, voluisse deportare tam multa: hoc denique quod concedit, amicorum operis esse in huiusmodi rebus vsum. *Iam vero lectos æratos, & candelabra 60
ænea: num cui præter istum Syracusis per triennium facta esse existimatis? emebat credo. sed tantum vos certiores, Iudices, facio, quid iste in prouincia Prætor egerit, ne cui forte nimium negligens fuisse videatur, neque se satis, cum potestatem habuerit, instruxisse & ornasse. Venio nunc non iam ad furtum, non ad auaritiam, non ad cupiditatem, sed ad eiusmodi facinus, in quo omnia nefaria contineri mihi atq; inesse videantur: in quo dij immortales violati: existimatio atq; autoritas nominis Po. Ro. imminuta, hospitium spoliatū ac proditum:

tum: abalienati scelere istius à nobis omnes Reges amicissimi, nationesq;, quæ in eorum regno ac ditione sunt.* Nã Reges Syriæ Regis Antiochi filios pueros scitis Romæ nuper fuisse: qui venerant non propter Syriæ regnum (nam id sine controuersia obtinebant, vt à patre, & à maioribus acceperant) sed regnum Aegypti ad se, & ad Selenem matrem suam pertinere arbitrabantur. hi postquam temporibus Populi Rom. exclusi, per Senatum agere quæ voluerant, non potuerunt, in Syriam in regnũ patriũ profecti. eorum alter, qui Antiochus vocatur, iter per Siciliam facere voluit. itaque isto Prætore venit Syracusas.* hic Verres hæreditatem sibi venisse arbitratus est, quod in eius regnum ac manus venerat is, quem iste & audierat multa secum præclara habere, et suspicabatur. mittit homini munera satis largè hæc ad vsum domesticum, vini, olei, quod visum erat: etiam tritici, quod satis esset, de his decumis. deinde ipsum Regem ad cœnam vocauit, exornat amplè, magnificeque triclinium: exponit ea, quibus abundabat, plurima ac pulcerrima vasa argentea, namque hæc aurea nondum fecerat. omnibus curat rebus instructum & paratum vt sit conuiuium. Quid multa? Rex ita discessit, vt & istum copiosè ornatum, & se honorifice acceptum arbitraretur. vocat adcœnam deinde ipse Prætorem. exponit suas copias omnes, multum argentum, non pauca etiam pocula ex auro, quæ vt mos est regius, maximè in Syria, gemmis erant distincta clarissimis. Erat etiam vas vinarium ex vna gemma

16

62

ma pergrandi, trulla excauata cum manubrio aureo, de qua, credo, satis idoneum, satis grauem testem Q. Minutum dicere audistis. * iste vnumquodq; 63
vas in manus sumere, laudare, mirari. Rex gaudere Prætori Po. Rom. satis iucundum, & gratum illud esse conuiuium. post eaquam inde discessum est, cogitare iste nihil aliud, quã id quod ipsa res declarauit, nisi quemadmodum Regẽ ex prouincia spoliatũ expilatumq; dimitteret. mittit rogatum vasa ea quæ pulcherrima apud illum viderat: ait se suis calatoribus velle ostendere. Rex qui istum non nosset, sine vlla suspicione libentissimè dedit. mittit etiam trullam gemmeam rogatum: velle eam se diligentius considerare. ea quoque ei mittitur. * Nunc 64
reliquum, Iudices, attendite. de quo & vos audistis, & Popul. Rom. non nunc primum audiet, & in exteris nationibus vsque ad vltimas terras peruagatum est. Candelabrum è gemmis clarissimis, opere mirabili perfectum, Reges hi, quos dico, Romam cum attulissent, vt in capitolio ponerent: quod nondum etiam perfectum templum offenderant, neque ponere, neque vulgo ostendere ac proferre voluerunt, & vt magnificentius videretur, cum suo tempore in cella Iouis Op. Max. poneretur: & clarius, cum pulchritudo eius recens ad oculos hominum atq; integra peruenireț. statuerunt id Iecũ in Syriam reportare: vt cum audissent simulacrum Iouis Opt Max. dedicatum, Legatos mitterent, qui cum cæteris rebus illud quoque eximium, atq; pulcherrimum donum in capitolium afferrent. per-

uenit res ad istius aures nescio quomodo: nam Rex id cælatum voluerat: non quò quicquam metueret, aut suspicaretur, sed vt ne multi illud antè perciperent oculis, quam Po. Ro. iste petit à Rege, & cum pluribus verbis rogat, vti ad se mittat: cupere se dicit inspicere, neq; se alijs videndi potestatem esse
65 facturum.* Antiochus qui animo erat puerili esset, & regio, nihil de istius improbitate suspicatus est: imperat suis vt id in Prætorium inuolutum quàm occultissimè deferrent. quò postea quam attulerunt, inuolucraq; reiectis constituerunt, iste clamare cœpit, dignam rem esse regno Syriæ, dignam regio munere, dignam Capitolio. Etenim erat eo splendore qui ex clarissimis & plurimis gemmis esse debebat: ea varietate operum, vt ars certare videretur cum copia: ea magnitudine, vt intelligi posset, non ad hominum apparatum, sed ad amplissimi templi ornamentum esse factum. quod cum satis iam perspexisse videretur, tollere incipiunt, vt referrent, iste ait, se velle illud etiam, atque etiam considerare, neque quam se esse satiatum. iubet illos discedere, &
66 candelabrum relinquere.* sic illi tum inanes ad Antiochum reuertuntur. Rex primo nihil metuere, nihil suspicari. dies vnus, alter, plures: non referri. tum mittit Rex ad istum, si sibi videatur, vt reddat. iubet iste posterius ad se reuerti. mirum illi videri. mittit iterum, non redditur. ipse hominem appellat, rogat vt reddat. Os hominis, insignemq; impudentiam cognoscite. quod sciret, quodq; ex ipso Rege audisset, in Capitolio esse ponendum, quod Iouis

ui Optimo maximo, quod Populo Romano seruari videret, id sibi vt donaret rogare, & vehementer petere cœpit. Cum ille se & religione Iouis Capitolini, & hominum existimatione impediri diceret, quod multæ nationes testes essent illius operis ac muneris, iste homini minari acerrimè cœpit. Vbi videt eum nihilo magis minis quam precibus permoueri, repente hominem de prouincia iubet ante noctem discedere. ait se comperisse ex eius regno piratas in Siciliam esse venturos. * Rex ma- 67
ximo conuentu Syracusis, in foro, ne quis forte me in crimine obscuro versari, atque affingere aliquid suspitione hominum arbitretur: in foro, in quâ, Syracusis stens deos hominesq; contestans clamare cœpit, Candelabrum factum è gemmis, quod in Capitolium missurus esset, quod in templo clarissimo, Po. Ro. monimentum suæ societatis amicitiæq; esse voluisset, id sibi C Verrem abstulisse. de cæteris operibus ex auro, & gemmis, quæ sua penes illum essent, sè non laborare: hoc sibi eripi miserum esse & indignum. id etsi antea animo & cogitatione suâ fratris q; sui consecratum esset, tamen tum se in illo conuentu ciuium Ro. dare, donare, dicare, consecrare Ioui Opt. Max. testemq; ipsum Iouem suæ voluntatis ac religionis adhibere. Quæ vox? quæ latera? quæ vires huius vnius criminis querimoniam possint sustinere? Rex Antiochus, qui Romæ ante oculos omnium nostrum biennium ferè comitatu regio, atque ornatu fuisset, is cum amicus & socius Popu Ro. esset, amicissimo patre, auo, maioribus, an-

tiquissimis & clarissimis Regibus, opulentissimo & maximo regno, præceps è prouincia Popu. Rom. exturbatus est.* quemadmodum hoc accepturas nationes exteras, quemadmodum huius tui facti famã
68 in regna aliorum, atque in vltimas terras peruenturam putasti? cum audirent à Prætore Pop. Ro. in prouincia violatum Regem, spoliatum hospitem, eiectum socium Populi Rom. atque amicum? Nomẽ vestrum Populiqúe Romani odio atque acerbitati scitote nationibus exteris, Iudices, futurum: si istius hac tanta iniuria impunita discesserit. sic omnes arbitrabuntur, præsertim cum hac omnino fama de nostrorum hominum auaritia & cupiditate percrebuerit: non istius solius hoc esse facinus, sed eorum etiam, qui approbarint. Multi Reges, multæ liberæ ciuitates, multi priuati, opulenti, ac potentes, habant profecto in animo Capitolium sic ornare, vt templi dignitas, imperiúque nostri nomen deflderat. qui si intellexerint, interuerso regali hoc dono, grauiter vos tulisse, gratafore vobis Populoqúe Ro. sua studia ac dona arbitrabuntur: sin hoc vos in Rege tam nobili, in re tã eximia, in iniuria. tã acerba neglexisse audierint, non erunt tam amentes, vt operam, curam, pecuniam impendant in eas res, quas vobis gratas fore non arbitrentur.* Hoc loco, Q. Catule, te appello. loquor enim de tuo clarissimo pulcherrimoque monimento. non Iudicis solum seueritatem in hoc crimine, sed propè inimici atq; accusatoris vim suscipere debes. tuus est enim honos in illo templo Senatus Populiqúe Rom. beneficio,

tui

tui nominis æterna memoria simul cum templo illo consecratur. tibi hæc cura suscipienda, tibi hæc opera sumenda est, vt Capitolium quomodo magnificentius est restitutum, sic copiosius ornatum sit, quam fuit: vt illa flamma diuinitus extitisse videatur, non quæ deleret Iouis Opt. Max. templum, sed quæ præclarius magnificentiusque deposceret. * Audisti. Q. 70
Minutium Rufum dicere, domi suæ diuersatum esse Antiochum Regem Syracusis: se illud scire ad istum esse delatum, se scire non redditum. audisti, & audies omnes è conuentu Syracusano, qui ita dicant, sese audientibus illud Ioui Opt. Max. dicatum esse ab Rege Antiocho, & consecratum. Si iudex non esses, & hæc ad te delata res esset, te potissimum hoc persequi, te petere, & agere oporteret. Quare non dubito, quo animo iudex huius criminis esse debeas, qui apud alium iudicem multo acrior, quàm ego sum, actor, accusatorque esse deberes. * Vobis autem Iudices, quid hoc indignius aut 71
quid minus ferendum videri potest? Verresne habebit domi suæ candelabrum Iouis Opt. Max. è gemmis auroque perfectum? cuius fulgore collucere, atq; illustrari Iouis Opt. Max. templum oportebat, id apud istum in eiusmodi conuiuijs constituetur, quæ domesticis stupris flagitijsque flagrabunt? in istius lenonis turpissimi domo simul cum cæteris Chelidonis hæreditarijs ornamentis, Capitolij ornamenta ponentur? Quid huic sacri vnquam fore, aut quid fuisse religiosi putatis, qui nunc tanto scelere se obstrictum esse non sentiat? qui in iudicium veniat,

vbi ne precari quidem Iouem Opt. Max. atque ab eo auxilium petere more omnium posſit? à quo etiam dij immortales sua repetunt in eo iudicio, quod hominibus ad suas res reprtundas est constitutum. miramur Athenis Minernam, Deli Apollinem, Iunonem Sami, Pergæ Dianam, multos præterea ab isto deos tota Asia, Græciaq; violatos, qui à Capitolio manus abstinere non potuerit? quod priuati homines de suis pecuniis ornant ornaturiq; sunt, id C. Verres ab Regibus ornari non est passus. itaq; hoc nefario scelere concepto, nihil postea tota in Sicilia neque sacri, neque religiosi esse duxit. ita sese in ea prouincia per triennium gessit, vt ab isto non solum hominibus, verum etiam dijs immortalibus bellum indictum putaretur. * Segesta est oppidum 72 vetus in Sicilia, iudices, quod ab Aenea fugiente à Troia, atq; in hæc loca veniente, conditum esse demonstrant. Itaque Segestani non solum perpetua societate, atque amicitia, verum etiam cognatione se cum Po. Ro. coniunctos esse arbitrantur. Hoc quondam oppidum, cum illa ciuitas cum Pœnis suo nomine ac sua sponte bellaret, à Carthaginensibus vi captum, atque deletum est: omniaque, quæ ornamento vrbi esse possent, Carthaginem sunt ex illo loco deportata. fuit apud Segestanos ex ære simulacrum Dianæ, tum summa atq; antiquissima præditum religione, tũ singulari opere artificioq; perfectum, hoc translatum Carthaginem locum tantum, homines q; mutarat: religionem quidem pristinam conseruabat. nam propter eximiam pulchritudi-

tudinem etiam hostibus digna, quam sanctissimè co-
lerent, videbatur. *aliquot seculis post, P. Scipio bel- 73
lo Punico tertio Carthaginem cepit. qua in victo-
ria (videte hominis virtutem & diligentiam, vt
& domesticis præclarissimæ virtutis exemplis gau-
deatis, & eo maiore odio dignam istius incredibi-
lem audaciam iudicetis) conuocatis Siculis omnibus
quòd diutissimè sæpissimeque Siciliam vexatam à
Carthaginensibus cognorat, iubet omnia conquiri:
pollicetur sibi magnæ curæ fore, vt omnia ciuitati-
bus, quæ cuiusq; fuissent, restituerentur. tum illa
quæ quondam tuerant Himera sublata, de quibus
antea dixi, Thermitanis sunt reddita. tũ alia Gelẽ-
sibus, alia Agrigentinis. in quibus etiam ille nobilis
taurus, quem crudelissimus omnium Tyrannorum
Phalaris habuisse dicitur, quo viuos supplicij causſa
demitteret homines, & subijcere flammam solebat.
quem taurum Scipio cum redderet Agrigẽtinis, di-
xisse dicitur, æquum esse illos cogitare, vtrum esset
Siculis vtilius, suisne seruire, an Po. Ro. obtempera-
re? cum idem monimentum & domesticæ crudeli- 74
tatis, & nostræ mansuetudinis haberẽt. *Illo tem-po-
re Segestanis maxima cũ cura hæc ipsa Diana, de
qua dicimus, redditur: reportatur Segestam, in su-
is antiquis sedibus summa cum gratulatione ciuiũ
& lætitia reponitur. hæc erat posita Segestæ, sa-
nè excelsa in basi: in qua grandibus literis P. Afri-
cani nomen erat incisum, eũque Carthagine cap-
tare stituisse, perscriptum colebatur à ciuibus, ab
omnibus aduenis visebatur. cum Quæstor essem, ni-

bil mihi ab illis est demonstratum prius. Erat admodum amplum & excelsum signum cū stola: verumtamen inerat in illa magnitudine ætas, atq; habitus virginalis, sagittæ pendebant ab humero, sinistra manu retinebat arcum, dextra ardentem facem præferebat. *Hanc cum iste sacrorum omnium
75 hostis, religionumq; prædo vidisset, quasi ipsa illa face percussus esset, ita flagrare cupiditate, atq; amentia cœpit. imperat magistratibus iste, vt eū demoliātur, & sibi dent: nihil sibi gratius ostendit futurum. illi verò dicere, id sibi nefas esse, seq; cum summa religione, tū summo metu legū, & iudiciorū tueri. iste tum petere ab illis, tum minari: tum spē, tum metū ostendere. opponebant ille interdum nomen Africani, donum Populi Romani illud esse dicebant: nihil se in eo potestatis habere, quod Imperator clarissimus vrbe hostium capta monimentum victoriæ Populi Romani esse voluisset. *cum iste
76 nihilo remissius, atq; etiam multo vehementius instaret quotidie: res agitur in Senatu, vehementer ab omnibus reclamatur. itaq; illo tempore ac primo istius aduentu pernegatur. postea quicquid erat oneris in nautis remigibusq; exigendis, in frumento imperando, Segestanis præter cæteros imponebat, aliquanto amplius, quam ferre possent. præterea magistratus eorum euocabat. optimum & nobilissimum quēq; ad se accersebat, circū omnia prouinciæ fora rapiebat, singillatim vnicuiq; calamitati fore se denuntiabat, vniuersam se funditus illā euersurū esse ciuitatem minabatur. itaq; aliquādo mul-

multis malis, magnoq; metu victi Segestani praetoris imperio parendum esse decreuerunt. magno cum luctu, & gemitu totius ciuitatis, multis cum lachrimis & lamentatione virorum, mulierumq; omnium simulacrū Dianæ tollendū locatur. * Videte quanta 77
religione fuerit. apud Segestanos repertū esse, Iudices, scitote neminem, neque liberū, neque seruū, neque ciuem, neque peregrinum, qui illud signum auderet attingere. Barbaros quosdam Lilybæo scitote aduocatos esse operarios. hi denique illud ignaritotius negotij ac religionis, mercede accepta sustulerunt. quod cum ex oppido exportaretur, quem conuentum mulierum factum esse arbitramini? quem fletum maiorum natu? quorum nonnulli etiam illum diem memoria tenebant, cum illa eadem Diana Segestam Carthagine reuecta, victoriam Populi Rom. reditu suo nunciasset. quam dissimilis hic dies illi tempori videbatur? tum Imperator Populi Rom. vir clarissimus deos patrios reportabat Segestanis, ex vrbe hostium recuperatos, nunc ex vrbe sociorum Prætor eiusdem populi turpissimus, atq; impurissimus eosdem illos deos nefario scelere auferebat. Quid hoc tota Sicilia est clarius? quam omnes Segestanas matronas & virgines conuenisse, cum Diana exportaretur ex oppida? vnxisse vnguentis, complesse coronis & floribus, thure, odoribusque incensis vsque ad agri fines posecutas esse? * Hanc tu tantam religionem si tum in 78
imperio propter cupiditatem, atque audaciam non pertimescebas: ne nunc quidem in tanto tuo libe-

ro-

rorũque tuorum periculo perhorrescis? Quem tibi aut hominem, inuitis dijs immortalibus, aut verò deum tantis eorum religionibus violatis auxilio futurum putas? Tibi illa Diana in pace, atque in otio religionem nullam attulit? quæ cum duas vrbes in quibus locata fuerat, captas, incẽsasque vidisset, bis ex duorum bellorum flamma ferroque seruata est: quæ Carthaginensium victoria loco mutato, religionem tamen non amisit: P. Africani virtute religionem simul cum loco recuperauit. Quo quidem scelere suscepto, cum inanis esset basis, & in ea P. Africani nomen inscisum, res indigna atq; intoleranda videbatur omnibus, non solum religiones esse violatas, verum etiam P. Africani viri fortissimi rerum gestarum gloriam, memoriam virtutis, monimenta victoriæ C. Verrem sustuliss̃e. * Quod cum isti renuntiaretur de basi ac literis, existimauit homines in obliuionem totius negocij esse venturos, si etiam basim tanquam iudicẽ sui sceleris sustuliss̃et. itaque tollendam istius imperio locauerunt. quæ vobis locatio ex publicis Segestanorum literis priore actione recitata est. Te nunc, P. Scipio, te inquam lectissimum, ornatissimumq; adolescentem appello, abs te officium tuum debitũ generi, & nomini requiro, & flagito. Cur pro isto, qui laudem, honoremque familiæ vestræ depeculatus est, pugnas? cur eum defensum esse vis? cur ego tuas partes suscipio? cur tuum onus sustineo? M. Tullius P. Africani monimenta requirit, P. Scipio eum, qui illa sustulit, defendit. cum mos à maioribus traditus sit, vt

79

mo-

monimenta maiorum, ita suorum quisque defendat, vt ea ne ornari quidem nomine alieno sinat, tu illi aderis? qui non obruit aliqua ex parte monimenta P. Scipionis, sed funditus sustulit ac deleuit.
*Quisnam igitur per deos immortales tuebitur P. 80
Scipionis memoriam mortui? quis monimenta atque indicia virtutis, si tu ea relinquis ac deseris? neque solū spoliata illa patiere, sed etiam eorum spoliatorem vexatoremq; defendes? adsunt Segestani clientes tui, socij Po. Ro. atque amici: certiorem te faciunt, P. Africanum Carthagine deleta simulacrū Dianæ maioribus suis restituisse: idq; apud Segestanos eius Imperatoris nomine positum ac dedicatum fuisse: hoc Verrem demoliendum, & asportandum, nomenq; omnino P. Scipionis delendum curasse. orant te atque obsecrant, vt sibi religionem, generi tuo laudem, gloriamq; restituas: vt quod ex vrbe hostium per P. Africanum recuperarint, id per te ex prædonis domo conseruare possint. Quid aut tu his respōdere honeste potes, aut illi facere, nisi vt te ac fidem tuam implorent? adsunt, & implorant. potes domesticæ laudis amplitudinem, Scipio, tueri, potes. omnia in te sunt, quæ aut fortuna hominibus, aut natura largitur. non præcerpo fructum officij tui: non alienam mihi laudem appeto: non est pudoris mei, P. Scipione florentissimo adolescente viuo & incolumi, me propugnatorem monimentorum P. Scipionis defensoremque profiteri: *quamobrē si suscipis domesticæ laudis patrocinium, me non solum silere de vestris monimentis 81
opor-

oportebit, sed etiam latari, P. Africani eiusmodi esse fortunas mortui, vt eius honos ab iis, qui ex eadem familia sint, defendatur, neque vllum aduentitium requiratur auxilium. Si istius amicitia te impediet: si hoc, quod abs te postulo, minus ad officium tuum pertinere arbitrabere: succedā ego vicarius tuo muneri: suscipiam partes, quas alienas esse arbitrabar. vt ista præclara nobilitas desinat queri pop. Ro. hominibus nouis atque industriis libenter honores mādare, semperque mandasse. non est querendum in ea ciuitate, quæ propter virtutem omnibus nationibus imperat, virtutem plurimum posse. Sit apud alios imago P. Africani, ornentur alij mortui virtute, ac nomine. talis ille vir fuit, ita de populo Ro. meritus est, vt non vni familiæ, sed vniuersæ ciuitati commendatus esse debeat. Est aliqua mea pars virilis, quod eius ciuitatis sum, quam ille amplam, illustrem, claramque reddidit: præcipue quod in his artibus pro mea parte versor, quarum ille princeps fuit, æquitate, industria, temperātia, defensione miserorum, odio improborum: quæ cognatio studiorum & artium propemodū non minus est coniuncta, quam ista, qua vos delectami-
82 ni, generis, & nominis. *Repeto abs te, Verres, monimentum P. Africani. caussam Siculorum, quam suscepi, relinquo: iudiciū de pecunijs repetundis ne sit hoc tempore: Segestanorum iniuriæ negligantur, basis P. Africani restituatur: nomen inuictissimi Imperatoris incidatur: signum pulcherrimum Carthagine captum reponatur. hoc abs te non Siculo-

culorum defensor, non tuus accusator, non Segestani postulant, sed is, qui laudem gloriamque P. Africani tuendam conseruandamque suscepit. Non vereor ne hoc officium meum P. Seruilio iudici non probem: qui cum res maximas gesserit, monimentaque suarum rerum maximè constituat, atque in his elaboret, profectò volet hæc non solum suis posteris, verum etiam omnibus viris fortibus, & bonis ciuibus defendenda, non spolianda improbis tradere. Non vereor ne tibi, Q. Catule, displiceat cuius amplissimum in orbe terrarum, clarissimumque monimentum est, quamplurimos esse custodes monimentorum. & putare omnes bonos alienæ gloriæ defensionem ad officium suum pertinere.

*Et quidem cæteris istius furtis, atque flagitijs ita 83
moueor, vt ea reprehendenda tantum putem: hic verò tantum dolore afficior, vt nihil mihi indignius ferendum videatur. Verres Africani monimentis domum suam plenam stupri, plenam flagitij, plenam dedecoris, ornabit? Verres temperatissimi sanctissimique viri monumentum, Dianæ simulacrum virginis, in ea domo collocabit, in qua semper meretricū lenonumq; flagitia versātur? *At hoc so- 84
lum Africani monimentum violasti? quid? à Tindaritanis non eiusdem Scipionis beneficio positum simulacrum Mercurij pulcherrimè factū sustulisti? at quemadmodum dij immortales? quā audacter? quam libidinosè? quā impudenter? audistis nuper dicere Legatos Tindaritanos, homines honestissimos ac principes ciuitatis: Mercurium, qui sacris

an-

anniuersarijs apud eos, ac summa religione colerẽ
retur: quem P. Africanus Carthagine capta Tyndaritanis non solum suæ victoriæ, sed etiam illorum
fidei, societatiq; monimentum, atque indicium dedisset: huius vi, scelere imperioq; esse sublatum, qui
vt primum in illud oppidum venit, statim tanquam
ita fieri non solum oporteret, sed etiam necesse es-
set: tanquam hoc Senatus mandasset, Populusque
Rom. iussisset: ita continuo signum vt demolirem-
85 tur, & Messanam deportarent, imperauit. *Quod
cum illic, qui aderant indignum: qui audiebant, incredibile videretur: non est ab isto primo illo aduen-
tu perseueratum. discedens mandat Proagoro So-
patro, cuius verba audistis, vt demoliatur. cum re-
cusaret, vehementer minatur. ita tum ex illo oppi-
do proficiscitur. Proagorus refert rem ad Senatum:
vehementer vndique reclamatur: ne multa. iterum
iste aliquanto post ad illos venit: quærit continuo
de signo, respondetur ei. Senatum non permittere. pæ-
nam capitis constitutam, si iniussu Senatus quis-
quam attigisset. simul religio commemoratur: tum
iste, Quam mihi religionem narras? quam panam?
quem Senatum? viuum te non relinquam, moriere
virgis, nisi signum traditur. Sopater iterum flens ad
Senatum defert istius cupiditatem, minasque de-
monstrat. Senatus Sopatro responsum nullum dat,
sed commotus perturbatusque discedit. Ille Prato-
ris accersitus nuncio, rem demõstrat: negat vllo mo-
do fieri posse. atque hæc (nihil enim prætermittendũ de istius impudenta videtur) agebantur in con-
uen-

uentu palam, de sella ac de loco superiore. *erat hyems summa, tempestas, vt ipsum Sopatrum dicere audistis, perfrigida, imber maximus, cum iste imperat lictoribus vt Sopatrum de porticu, in qua ipse sedebat, præcipitem in forum deijciant, nudumque constituant. vix erat hoc plane etiam imperatum, cum illum spoliatum, stipatumque lictoribus videres, omnes ideo putabant, vt miser atque innocens virgis caderetur. fefellit hæc homines opinio. virgis iste caderet sine caussa socium Pop. Ro. atque amicum? non vsque eo est improbus: non omnia sunt in eo vna vitia, nūquam fuit crudelis. leuiter hominem clementerque accepit. Equestres sunt medio in foro Marcellorum statuæ: sicuti fere cæteris in oppidis Siciliæ. ex quibus iste C. Marcelli statuam delegit: cuius officia in illa ciuitate, totaque prouincia recentissima erant & maxima. in ea Sopatrum hominem tum domi nobilem, tū summo magistratu præditū, diuaricari ac deligari iubet. *quo cruciatu sit affectus, venire in mentem ne- 87
cesse est omnibus, cū cum esset vinctus nudus in aere, in imbri, in frigore. neque tamen finis huic iniuriæ crudelitatique fiebat. donec populus atque vniuersa multitudo atrocitate rei misericordiaque commota, Senatum clamore coëgit ei simulacrum illud Mercurij polliceretur, clamabant fore vt ipsi sese dij immortales vlciscerentur, hominem interea perire innocentem non oportere. tum frequens Senatus ad istum venit, pollicetur signum. Ita Sopater de statua C. Marcelli, cum iam pene obriguisset, vix vi-

ius auferetur. Non possum dispositè istum accusare,
si cupiam, opus est non solum ingenio, verum etiam
88 artificio quodam singulari. *Vnum hoc crimen vide-
tur esse, & à me pro vno ponitur. de Mercurio Tin-
daritano plura sunt: sed ea quo pacto distinguere
ac separare possim nescio: est pecuniarum capta-
rum, quod signum à socijs pecuniæ magnæ sustulit:
est peculatus, quod publicè populi Rom. signum, de
præda hostium captum, positum Imperatoris no-
stri nomine, non dubitauit auferre: est maiestatis,
quod imperij nostri gloriæ, rerumque gestarum mo-
umenta euertere atque asportare ausus est. est sce-
leris, quod religiones maximas violauit: est crude-
litatis, quod in hominem innocentem, in socium atque a-
micum, nouum ac singulare supplicij genus excogita-
89 uit. illud verò quid sit, iam non queo dicere: quo no-
mine appellem, nescio: quod in C. Marcelli statua?
Quid est hoc? patronusne quod erat? quid tum? quò
ad spectat? vtrum eares ad opem, an ad calamita-
tem clientium atq; hospitum valere debebat? an vt
hoc ostenderes, contra vim tuam in patronis præsidij
nihil esse? quis hoc non intelligeret, in improbi præ-
sentis imperio maiorem esse vim, quàm in bonorum
absentium patrocinio? an verò ex hoc illa tua sin-
gularis significatur insolentia, superbia, contuma-
cia? detrahere videlicet aliquid te de amplitudi-
ne Marcellorum putasti. itaque nunc Siculorum
Marcelli non sunt patroni: Verres in eorum locum
subsitutus est. * quam in te tantam virtutem esse,
90 aut dignitatem arbitratus es, vt conarere clientelam

Iam tam illustrem, tam splendidæ prouinciæ, transducere ad te, auferre à certissimis antiquissimisque patronis? tui sta stultitia, nequitia, inertia, non modo totius Siciliæ, sed vnius tenuissimi Siculi clientelam tueri potes? tibi Marcelli statua pro patibulo in clientes Marcellorum fuit? tu ex illius honore in eos ipsos, qui honorem illi habuerant, supplicia quærebas? Quid postea? quid tandem tuis statuis fore arbitrabare? an vero id quod accidit? Nam Tindaritani statuã istius, quam sibi propter Marcellos, altiore etiam basi poni iusserat, deturbarũt, simulac successum isti audierunt. Dedit igitur tibi fortuna Siculorum C. Marcellum iudicem, vt cuius ad statuam Siculi te Prætore alligabantur, eius religioni te eundem vinctum astrictumque dedamus. *Ac primo, iudices, hoc signum Mercurij dicebat iste Tindaritanos C. Marcello huic Aesernino vendidisse, atque hoc sua caussa etiam Marcellum ipsum sperabat esse dicturum: quod mihi nunquam verisimile visum est, adolescentẽ illo loco natũ, patronum Siciliæ, nomen suum isti ad translationem criminis commodaturum. veruntamen ita res mihi tota prouisa, atq; præcauta est, vti si maxime esset inuentus, qui in se suscipere istius culpam crimenq; cuperet, tamen is proficere nihil posset, eos enim testes deduxi, & eas literas deportaui, vt de istius facto dubiũ nemini esse posset. *publicæ literæ sunt, deportatũ esse Mercuriũ Messanam sumptu publico. dicunt quãti præfuisse huic negocio publice Legatũ Poleam. Quid is? vbi est? præsto est, testis est. Proa-

gori Sopatri iussu quò est hic? qui ad statuam astrictus est. quid is? vbi est? testis est. vidistis hominem, & verba eius audistis. demoliendum curauit Democritus Gymnasiarchus, quod is ei loco præerat. quid? hoc nos dicimus? imò vero ipse præsens: Roma nuper ipsum esse pollicitum, sese id signum Legatis esse redditurum, si eius rei testificatio tolleretur, cautumq; esset eos testimonium non esse dicturos. dixit hoc apud vos Zosippus, & Hesmenias homi-
39 nes nobilissimi, & principes Tindaritanæ ciuitatis.
*Quid, Agrigento? nonne eiusdem P. Scipionis monimentum, signum Apollinis pulcherrimum, cuius in fœmine litterulis minutis argenteis nomẽ Myronis erat inscriptum, ex Aesculapij religiosissimo fano sustulisti? quod iste, Iudices, cum clam fecisset: cum ad suum scelus illud, furtumq;, nefarios quosdam homines improbos duces, atq; adiutores adhibuisset, vehementer commota ciuitas est, vno eodem tempore Agrigentini beneficium Africani, religionem domesticam, ornamentum vrbis, iudicium victoriæ, testimonium societatis, requirebant. itaque ab illis, qui principes in ea ciuitate erant, præcipitur, & negocium datur Quæstoribus & Aedilibus, vt noctu vigilias agerent ad ædes sacras. etenim iste Agrigenti, credo propter multitudinem illorum hominũ, atque virtutẽ, & quod ciues Ro. viri fortes ac strenui, & honesti permulti in illo oppido, cõiunctissimo animo cum ipsis Agrigentinis viuunt ac negotiantur, non audebat palàm tollere, aut posce-
94 re, quæ placebãt. *Herculis templum est apud Agri-
gen-

gentinos, non longè à foro, sane sanctum apud illos, & religiosum, ibi est exære simulacrum ipsius Herculis, quo non facile quicquam dixerim me vidisse pulchrius. tametsi non tam multum in istis rebus intelligo, quam multa vidi. vsq; eo, Iudices, vt rictus eius ac mentum paulo sit attritius, quod in precibus, & gratulationibus non solum id venerari, verum etiam osculari solent. Ad hoc templum, cum esset iste Agrigenti, duce Timarchide repente nocte intempesta seruorum armatorum fit concursus atq; impetus. clamor à vigilibus, famique custodibus tollitur. qui primo cum obsistere ac defendere conarentur, male mulctati clauis ac fustibus repelluntur: postea conuulsis repagulis, effractisq; valuis, demoliri signum ac vectibus labefactare conantur. Interea ex clamore fama tota vrbe percrebuit, expugnari deos patrios, non hostium aduentu, neq; repentino prædonum impetu. sed ex domo atque coborte Prætoria manum fugitiuorum instructam armatamque venisse. *nemo Agrigētini ætate tā affecta, 95 neq; viribus tā infirmus fuit, qui non illa nocte eo nūcio excitatus surrexerit, telumq;, quod cuique sors offerebat, arripuerit. itaque breui tempore ad fanum ex vrbe tota concurritur. Hora amplius iam in demoliendo signo permulti homines moliebantur: illud interea nulla lababat ex parte: cum alij vectibus subiectis conarentur commouere, alij deligatum omnibus membris rapere ad se funibus: repente Agrigentini concurrunt: fit magna lapidatio, dant sese in fugam istius præclari Imperatoris noctur-

ni milites, duo tamen sigilla perparuula tollunt, ne omnino inanes ad istum prædonem religionum reuerterentur. Nunquam tam malè est Siculis, quin aliquid facetè, & commodè dicant. velut in hac re aiebant in labores Herculis non minus hunc immanissimum Verrem, quam illum aprum Erymanthium referri oportere. *Hanc virtutem Agrigentinorum imitati sunt Assorini postea viri fortes, & fideles, sed nequaquam ex tam ampla, neque tam ex nobili ciuitate. Chrysas est amnis, qui per Assorinorum agros fluit. is apud illos habetur deus, & religione maxima colitur. fanum eius est in agro propter ipsam viam, qua Assoro itur Ennam: in eo Chryse est simulacrum præclare factum è marmore. id iste poscere Assorinos propter singularem eius fani religionem non ausus est. Tlepolemo dat, Hieronicq; negocium. illi noctu facta manu, armatiq; veniunt. fores adis effringunt: aditu custodesque mature sentiunt: signum, quod erat notum vicinitati, buccina datur: homines ex agris concurrunt. eijcitur fugaturq; Tlepolemus: neq; quicquam ex fano Chrysæ præter vnum perparuulum signum ex ære, desideratum est. *Matris magnæ fanum apud Enguinos est. iam enim mihi non modo breuiter de vnoquoque dicendum est, sed etiam prætereunda videntur esse permulta, vt ad maiora istius, & illustriora in hoc genere furta, & scelera veniamus. In hoc fano loricas, galeasq; aneas, cælatas opere Corinthio, hydriasq; grandes simili in genere atq; eadem arte perfectas, idē ille P. Scipio, vir omnibus

nibus rebus præcellentissimus posuerat, & suũ nomẽ inscripserat. Quid tam de isto plura dicã, aut quærar? omnia illa, Iudices, abstulit: nihil in religiosissimo fano præter vestigia violatæ religionis, nomẽq; P. Scipionis reliquit. hostium spolia, monimenta Imperatorum, decora atq; ornamenta fanorum, posthac his præclaris nominibus amissis, in instrumento, & suppellectili, C Verris numerabũtur. *Tu vide, 98
licet solus vasis Corinthijs delectaris? tu illius æris tẽperationem, tu operũ liniamenta solertissimè perspicis? hæc Scipio ille non intelligebat, homo doctissimus atque humanissimus? tu sine vlla bona arte, sine humanitate, sine ingenio, sine literis, intelligis, & iudicas? vide ne ille non solum temperantia, sed etiam intelligentia te atq; istos, qui se elegantes dici volũt, vicerit. nã quia quam pulchra essent intelligebat, idcirco existimabat ea, non ad hominum luxuriẽ, sed ad ornatum fanorum, atq; oppidorum esse facta, vt posteris nostris monimenta religiosa esse videãtur. *Audite etiam singularem eius, Iudices, 99
cupiditatem, audaciam, amentiam, in his præsertim sacris polluẽdis, quæ non modo manib⁹ attingi, sed ne cogitatione quidẽ violari fas fuit. Sacrariũ Cereris est apud Catinenses, eadem religione qua Romæ, qua in cæteris locis, qua propè in toto orbe terrarũ. In eo sacrario intimo fuit signum Cereris perantiquum: quod viri, non modo cuiusmodi esset, sed ne esse quidem sciebant. aditus enim in id sacrarium võ est viris, sacra per mulieres ac virgines cõfici solent. hoc signum noctu clam istius serui, ex illo re-

ligiosissimo atque antiquissimo fano sustulerunt. postridie sacerdotes Cereris, atq; illius fani antistes maiores natu, probatæ ac nobiles mulieres, rem ad magistratus suos deferunt. omnibus acerbum, indignum, luctuosum denique videbatur: * tu iste permotus illa atrocitate negotij vt ab se sceleris istius suspitio remoueretur, dat hospiti suo cuidam negocium. vt aliquem reperiret, quem ea fecisse insimularet: daretq; operam vt is eo crimine damnaretur, ne ipse esset in crimine: res non procrastinatur, nam cum iste Catinam profectus esset, serui cuiusdam nomen defertur, is accusatur, ficti testes in eū dantur, rem cunctis Senatus Catinensium legibus iudicat. Sacerdotes vocantur: ex his quæritur secreto in curia, quid esset factū: quemadmodū arbitrarentur signum esse ablatum. respondēt illæ Prætoris in illo loco seruos esse visos. res quæ esset antea nō obscura, Sacerdotum testimonio perspicua esse cœpit. itur in consilium: seruus ille innocens omnibus sententijs absoluitur, quo facilius vos hunc omnibus sententijs condemnare posset is. * Quid enim postulas Verres? quid speras? quid spectas? quem tibi aut deorum aut hominum auxilio putas futurum? eone tu seruos ad spoliandum fanum immittere ausus es quò liberos adire ne orandi quidem caussa fas erat? his ne rebus manus afferre nō dubitasti, à quibus etiam oculos cohibere te religionum iura cogebant? tametsi ne oculis quidem captus in hanc fraudem tam sceleratam ac tam nefariam decidisti. nam id concupisti, quod nunquam vide-

ras:

vas: id, inquã, adamasti, quod ante annon aspexeras, auribus tu tantam cupiditatem concepisti, vt eam non metus, non religio, non deorum vis, non hominum existimatio contineret? * At ex viro bono cre- 102
do audieras, & bono autore. qui id potest, qui ne ex viro quidem audire potueris? Audisti igitur ex muliere: quoniam id viri neque vidisse, neque nosse poterant. qualem porrò illam fœminam fuisse putatis, iudices? quàm pudicam, quæ cum Verre loqueretur? quam religiosam, quæ sacrariũ spoliandi ostẽderet rationẽ? at minime mirũ quæ sacra per summam castimoniam virorũ ac mulierum erãt, eadem per istius stuprum ac flagitium esse violata Quid ergo? hoc solum auditione expetere cœpit, cũ id ipse nõ vidisset? imò verò alia complura, ex quibus eligam spoliationem nobilissimi atque antiquissimi fani: de qua priore actione testes dicere audistis. nũc eadem illa, quæso, audite: & diligenter, sic vt adhuc fecistis, attendite. * Insula est Melita, Iudices, satis 103
lato ab Sicilia mari periculoso, dissuncta: in qua est eodem nomine oppidum, quò iste nunquàm accessit. quod tamen ist i extrinum per triennium ad muliebrem vestẽ conficiendam fuit. Ab eo oppido nõ longè, in promontorio fanum est Iunonis antiquum, quod tanta religione semper fuit, vt non modò illis Punicis bellis, quæ in his fere locis naual i copia gesta, atque versata sunt, sed etiam in hac prædonum multitudine semper inuiolatũ sanctũq; fuerit. Quin etiam hoc memoriæ proditum est, classe quondam Masiniſſæ Regis ad eum locum appulsa, præ-

fectum regiũ dentes eburneos incredibili magnitudine è fano sustulisse, & eos in Africam portasse Masinissaque donasse. Regem quidem primo delectatum esse munere: post, vbi audisset vnde essent, statim certos homines in quinqueremi misisse, qui eos dentes reportarẽt. itaque in his inscriptum literis Punicis fuit, Regem Masinissam imprudentem accepisse: reconquisita reponendos restituendosq; curasse. Erat praeterea magna vis eboris, multa ornamenta, in quibus eburneae victoriae antiquo opere ac summa
104 arte perfectae. *Haec iste omnia, ne multis morer, vno impetu atq; vno nuncio per seruos Venerios, quos eius rei caussa miserat, tollenda atque asportanda curauit. Pro dij immortales, quem ego hominem accuso? quem legibus iudicialibus persequor? de quo vos sententiam per tabellam feretis? dicunt Legati Melitenses publice spoliatum templum esse Iunonis: nihil istum in religiosissimo fano reliquisse: quem in locũ classes hostium saepe accesserint, vbi piratae fere quotannis hyemare soleant: quod neque praedo violarit antea, neque hostis attigerit, id ab vno isto sic spoliatum esse, vt nihil omnino sit relictum. hic nunc aut iste reus, aut ego accusator, aut hoc iudicium appellabitur? crimimibus enim coarguitur aut suspitionibus in iudicium vocatur? dij ablati, fana vexata, nudatae vrbes reperiuntur. earum autem rerum nullam sibi iste neque inficiendi rationem, neque defendendi facultatem reliquit: omnibus in rebus coarguitur à me, conuincitur à testibus, vrgetur confessione sua, manifestis in maleficijs tenetur,

&

& manet etiam, ac tacitus facta mecum sua recognoscit. * Nimium mihi diu videor in vno genere versari criminum. sentio, iudices, occurrendū esse satietati aurium animorumq; vestrorum. quamobrem multa prætermittam. ad ea autem, quæ dicturus sum, resicite vos, quæso, iudices, per deos immortales, per eos ipsos, de quorum religione tam diu dicimus, dum id ipsum facimus commemoro, & profero, quo prouincia tota commota est. de quo si paulo altius orsus, ac repetere memoriam religionis videbor, ignoscite. res magnitudo me breuiter perstringere atrocitatem criminis non sinit. Vetus est 106
hæc opinio, iudices, quæ constat ex antiquissimis Græcorū literis, atq; monimentis, insulam Siciliā totam esse Cereri & Liberæ consecratam, hoc cum cæteræ gentes sic arbitrantur, tum ipsis Siculis tam persuasum est, vt animis eorum insitum atq; innatū esse videatur. Nam & natas esse has in locis deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam esse Liberam, quam eandem Proserpinam vocant, ex Ennensium nemore: qui locus, quod in media est insula situs, vmbilicus Siciliæ nominatur, quam cum inuestigare, & conquirere Ceres vellet, dicitur inflammasse tædas ijs ignibus, qui ex Aetnæ vertice erumpunt: quas sibi cum ipsa præferret, orbem omnū peragrasse terrarum. * Enna autē, 107
vbi ea, quæ dico, gesta esse memorantur, est loco præcelso, atque edito: quo in summo est aquata agri planities, & aquæ perennes. tota vero ab omni aditu circumcisa atque direpta est. quam circa la-

cus,

cus, lucique sunt plurimi, & lectissimi flores omni tempore anni: locus vt ipse raptum illum virginis, quæ iam à pueris accepimus, declarare videatur. Etenim propter est spelunca quædam, conuersa ad aquilonem, infinita altitudine, qua Ditem patrem ferunt repente cum curru extitisse, abreptamq; ex eo loco virginem secum asportasse, & subito non longe à Syracusis penetrasse sub terras: lacumq; in eo loco repente exitisse: vbi vsque ad hoc tempus Syracusani festos dies anniuersarios agunt, celeberrimo virorum mulierumq; conuentu. Propter huius opinionis vetustatem, quod eorũ in loco vestigia ac prope incunabula reperiuntur deorum: mira quadã tota Sicilia priuatim ac publice religio est Cereris Ennensis. Etenim multa sæpe prodigia vim eius numenq; declarant: multis sæpe in difficillimis rebus præsens auxilium eius oblatum est: vt hæc insula ab ea non solum diligi, sed etiam incoli custodiriq; vi-
108 deatur. * Nec solum Siculi, verum etiã cæteræ gentes nationesq; Ennensem Cererem maximè colunt. etenim si Atheniẽsium sacra summa cupiditate expetuntur, ad quos Ceres in illo errore venisse dicitur fruges q; attulisse: quantam esse religionem cõuenit eorum, apud quos eam natam esse, & fruges inuenisse constat? Itaque apud patres nostros atroci ac difficili Reip tempore, cum Ti. Gracho occiso magnorum periculorum metus ex ostentis portenderetur, P. Mutio, L. Calphurnio COSS. aditum est ad libros Sibyllinos. in quibus inuentum est, Cererem antiquissimam placari oportere. tum

ex

ex amplissimo collegio Decemuirali Sacerdotes populi Rom. cum esset in vrbe nostra Cereris pulcherrimum & magnificentissimum templum, tamen vsque Ennam profecti sunt. tanta enim erat auctoritas, & vetustas illius religionis, vt cũ illuc irent, non ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cererem, proficisci viderentur. * Non obmundam diutius aures ve- 109
stras iam dudum vereor, ne oratio mea aliena ab iudiciorum ratione, & quotidiana dicendi consuetudine esse videatur. hoc dico, hãc ipsam Cererẽ, antiquissimam, religiosissimam, principem omnium sacrorum, quæ apud omnes gentes nationesq; fiunt, à C. Verre ex suis templis, ac sedibus esse sublatã. Qui accessistis Ennam, vidistis simulacrũ Cereris à marmore, & in altero templo Liberæ, sunt ea perampla atque præclara, sed non ita antiqua. ex ære fuit quoddam modica amplitudine ac singulari opere, cũ facibus, perantiquum, omnium illorum, quæ sunt eo fano, multo antiquissimum. id sustulit. ac tamen 110
eo contentus non fuit. * ante ædem Cereris in aperto ac propatulo loco signa duo sunt, Cereris vnum, alterum Triptolemi, & pulcherrima, & perampla. his pulchritudo periculo, amplitudo saluti fuit: quod eorum demolitio atque asportatio perdifficilis videbatur. insistebat in manu Cereris dextra simulacrum pulcherrime factum victoriæ. hoc iste è signo Cereris auellendum asportandumque curauit. Qui tandem istius animus est nunc in recognitione scelerum suorũ, cum ego ipse in cõmemoratione eorum non solum animo commoueor, verum

etiam

etiam corpore perhorrescam? venit enim mihi fani, loci, religionis illius in mentem: versantur ante oculos omnia, dies ille, quo ego Ennam cum venissem, praesto mihi sacerdotes Cereris cum infulis ac verbenis fuerunt: contio, conventusque ciuium. in quo ego cum loquerer, tanti fletus, gemitusque fiebant, vt acerbissimus tota vrbe luctus versari videretur.

111 *non illi decumarum imperia, non bonorum direptiones, non iniqua iudicia, non importunissimas istius libidines, non vim, non contumelias, quibus operti oppressique erant, conquerebantur: Cereris numen, sacrorum vetustatem, fani religionem, istius sceleratissimi atque audacissimi supplicio expiari volebam. omnia se cetera pati ac negligere dicebant. Hic dolor erat tantus, vt Verres alter Orcus venisse Ennam, & non Proserpinam asportasse, sed ipsam abripuisse Cererem videretur. Etenim vrbs illa non vrbs videtur, sed fanum Cereris esse, habitare apud sese Ceremem Ennenses arbitrantur, vt mihi non ciues illius ciuitatis, sed omnes sacerdotes, omnes

112 accolae, atq; antistites Cereris esse videantur. * Ennae tu simulacrum Cereris tollere audebas? Ennae tu de manu Cereris victoriam deripere, & deam deae detrahere conatus es? quorum nihil violare, nihil attingere ausi sunt, in quibus erant omnia quae scelerii propiora sunt, quam religioni. tenuerunt enim P. Popilio, P. Rupilio COSS. illum locum serui fugitiui, barbari hostes. sed neq; tam serui illi dominorum, quam tu libidinum: neque tam fugitiui illi à domino, quam tu à iure, & à legibus: neque tam barbari

lino

lingua & ratione illi, quam tu natura & moribus: neque illi tam hostes hominibus, quam tu dijs immortalibus. Quæ deprecatio est igitur ei reliqua qui indignitate seruos, temeritate fugitiuos, scelere barbaros, crudelitate hostes viceris? * Audistis 113
Theodorum & Numinium, & Nicasionem, Legatos Ennenses publicè dicere, sese à suis ciuib⁹ hæc habere mandata, vt ad Verrem adirent, & eũ simulacrũ Cereris, & victoriæ reposcerent. id si impetrasset, tũ vt morẽ veterũ Ennensium conseruarent: publicè in eũ, tametsi vexasset Siciliã, tamen quoniam hæc à maioribus cõstituta accepissent, testimoniũ ne quod dicerent: sin autẽ ea non reddidisset, tũ vt iudicio adessent, tũ vti de eius iniurijs iudices docerent: sed multo maximè de religione quererentur. quas illorũ queremonias nolite, per deos immortales, aspernari, nolite contemnere ac negligere, Iudices. Agũtur iniuriæ sociorum: agitur vis legum: agitur existimatio, veritasq; iudiciorum. quæ sũt omnia permagna: verum illud maximum. tanta religione obstricta tota prouincia est: tanta superstitio ex istius facto mentes omnium Siculorũ occupauit, vt quæcunq; accidant publice vel priuatim incommoda, propter eã caussam scelere istius euenire videantur. * Audistis 114
Centuripinos, Agyrinenses, Catinenses, Herbitenses, Ennẽses, complures alios publice dicere. quæ solitudo esset in agris, quæ vastitas, quæ fuga aratorum: quam deserta, quam inculta, quam relicta omnia. ea tametsi istius multis & varijs iniurijs acciderunt, tamen hæc vna caussa in opinione Siculorum

lorum plurimum valet quod Cererе violatá, omnes cultus fructusq; Cereris in his locis interisse arbitrā-
tur. medemini religioni sociorū, Iudices, cōseruate
vestram auctoritatem. Neque enim hæc externa no-
bis est religio, neq; aliena. quod si esset, si susciperе
eā nolleris, tamen in eo, qui violasset, sancire vos vel
115 le oporteret. * Nunc verò in cōmuni omnium gentiū
religione, ing, his sacris, quæ maiores nostri ab ex-
teris nationibus adscita coluerunt: quæ sacra, vt e-
rant reuera, sic appellari Græca voluerunt: negli-
gentes ac dissoluti, si cupiamus esse, qui possumus?
Vnius etiam vrbis omnium pulcherrimæ atque
ornatissimæ Syracusarum direptionem commē-
morabo, & in medium proferam, Iudices: vt ali-
quando totam huius generis orationem concludam
ac definiam. Nem- fere vestrum est, quin quem-
admodum captæ sint à M. Marcello Syracusæ, sæ-
pè audierit, nonnunquam etiam in annalibus lege-
rit. conferte hanc pacem, cum illo bello: huius Præ-
toris aduentum, cū illius Imperatoris victoria: huius
cohortem impuram, cum illius exercitu inuicto: hu-
ius libidines, cum illius continentia: ab illo, qui cepit,
conditas: ab hoc, qui constitutas accepit, captas dice-
tis Syracusas. * Ac tam illa omitto, quæ dispersè à me
116 multis locis dicemur, ac dicta sunt: forū Syracusa-
norum, quod introitu Marcelli à plurima cæde ser-
uatum est, id aduentu Verris Siculorum innocen-
tium sanguine redundasse. portum Syracusanorum,
qui tum & nostris classibus, & Carthaginensium
clausus fuisset, eum isto Prætore Cilicum myopa-
ro-

ni, prædonebus patuisset. mitto adhibitam vim ingenuis, matresfamilias violatas: quæ tum vrbe capta commissa non sunt: neque odio hostili, neque licentia militari, neque iure victoriæ. mitto, inquã, hæc omnia, quæ ab isto per triennium perfecta sunt. ea quæ coniuncta cum illis rebus sunt, de quibus antea dixi, cognoscite. * Vrbem Syracusas maximam esse Græcarum vrbium, pulcherrimamq; omnium sæpe audistis. est, Iudices, ita, vt dicitur. nã & situ est communito, tum ex omni aditu vel terra, vel mari præclaro ad aspectum: & portus habet propè in ædificatione aspectuque vrbis inclusos: qui cum diuersos inter se aditus habeant, in exitu coniungũtur, & confluunt. eorum coniunctione, pars oppidi, quæ appellatur Insula, mari disiuncto angusto, ponte rursum adiungitur & continetur. * Ea tanta est vrbs, vt ex quatuor vrbibus maximis constare dicatur: quarum vna est ea, quã dixi, Insula: quæ duobus portubus cincta, in vtrumq; portus ostium aditumq; proiecta est: in qua domus est quæ Regis Hieronis fuit, qua Prætores vti solent. in ea sunt ædes sacræ cõplures: sed duæ, quæ longe cæteris antecellunt. Dianæ vna, & altera, quæ fuit ante istius aduẽtum ornatissima, Minervæ. In hac insula extrema est fons aquæ dulcis, cui nomen Arethusa est, incredibili magnitudine, plenissimus piscium, qui fluctu totus operiretur, nisi munitione, ac mole lapidum à mari disiunctus esset. * Altera autẽ est vrbs Syracusis, cui nomen Acradina est: in qua forum maximum, pulcherrimæ porticus, ornatissimum Prytaneum, amplissi-

117

118

119

pliſſima eſt curia, templumq́, egregium Iouis Olympij: cæteraque vrbis partes vna lata via perpetua, multisq́, tranſuerſis diuiſa, priuatis ædificijs continentur. Tertia eſt vrbs, quæ quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuit, Tyche nominata eſt: in qua & gymnaſium ampliſſimum eſt, & complures ædes ſacræ: colituræ, ea pars, & habitatur frequentiſſimè. Quarta autem eſt vrbs, quæ quæ poſtremæ ædificata eſt, Neapolis nominatur: quam ad ſummam Theatrum eſt maximum: præterea duo templa ſunt egregia, Cereris vnum, alterum Liberæ: ſignumq́, Apollinis qui Temnites vocatur, pulcherrimum & maximum: quod iſte ſi portare potuiſ-
120 ſet, non dubitaſſet auferre. * Nunc ad Marcellum reuertar, ne hæc a me ſine cauſſa commemorata eſſe videantur, qui cum tam præclaram vrbem vi, copisq́, cepiſſet, non putauit ad laudem populi Romani hoc pertinere, hanc pulchritudinem, ex qua præſertim nihil periculi oſtenderetur, delere & extinguere. itaq́, ad ſicijs omnibus publicis, & priuatis, ſacris & profanis ſic pepercit, quaſi ad ea defendenda cum exercitu, non expugnanda veniſſet. in ornatu vrbis habuit victoriæ rationem, habuit humanitatis. victoriæ putabat eſſe, multa Romam deportare, quæ ornamento vrbi eſſe poſſent: humanitatis, non plane ſpoliare vrbem: præſertim quam
121 conſeruare voluiſſet. * in hac partitione ornatus, nō plus victoria Marcelli populo Romano appetiuit, quam humanitas Syracuſanis reſeruauit. Romam quæ aſportata ſunt, ad eadem Honoris atq́, Virtutis,

item-

itemq; alijs in locis videmus. nihil in ædibus, nihil in hortis posuit, nihil in suburbano. putauit si vrbis ornamenta domum suam non contulisset, domum suam vrbi ornamento futuram. Syracusis autem permulta atque egregia reliquit: deum vero nullum violauit, nullum attigit. Conferte Verrem, non vt hominem cum homine comparetis, ne quæ tali viro mortuo fiat iniuria: sed vt pacem cum bello, leges cum vi, forum & iurisdictionem cũ ferro & armis, aduentum & comitatum cum exercitu & victoria conferatis. * Aedes Minervæ est in insula, de qua antè dixi, quam Marcellus non attigit, quam plenam atque ornatam reliquit: quæ ab isto sic spoliata atque direpta est, non vt ab hoste aliquo, qui tamen in bello religionum & consuetudinis iura retineret, sed vt à barbaris prædonibus vexata esse videatur. Pugna erat equestris Agathoclis Regis in tabulis picta præclarè: his autem tabulis interiores templi parietes vestiebantur: nihil erat ea pictura nobilius: nihil Syracusis, quod magis visendum putaretur. has tabulas Marcellus, cum omnia illa victoria sua prophana fecisset, tamen religione impeditus non attigit, iste, cum illa iam propter diuturnam pacem fidelitatemq; populi Syracusani sacra religiosaq; accepisset, omnes eas tabulas abstulit: parietes, quorum ornatus tot seculæ manserat, tot bella effugerat, nudos ac deformatos reliquit. * Et Marcellus, qui, si Syracusas cepisset, duo templa se Romæ dedicaturum vouerat, id quod erat ædificaturus, his rebus ornare, quas ceperat, 122 123

rat, noluit. Verres, qui non Honori, neque Virtuti, vt ille, sed Veneri & Cupidini vota deberet, is Minervæ templum spoliare conatus est. Ille deos deorum spoliis ornare voluit: hic ornamenta Minervæ virginis in meretriciam domum transtulit. Viginti & septem præterea tabulas pulcherrimè pictas ex eadem æde sustulit, in quibus erant imagines Siciliæ Regum ac Tyrannorum: quæ non solum pictorum artificio delectabãt, sed etiam commemoratione hominum, & cognitione formarum. Ac videte, quanto tetrior hic tyrannus Syracusanis fuerit, quàm quisquam superiorum: cum illi tamen ornarint ea pla deorum immortalium: hic etiam deorum monimenta atque ornamenta sustulerit. * Iã
124 verò quid ego de valuis illius templi commemorem? vereor, ne hæc qui non viderũt, omnia me nimis augere atque ornare arbitrentur: quod tamen nemo suspicari debet, tam esse me cupidum, vt tot viros primarios velim, præsertim ex iudicum numero, qui Syracusis fuerint, qui hæc viderint, esse temeritati & mendacio meo conscios. Confirmare hoc liquido, Iudices, possum, valuas magnificentiores ex auro atque ebore, perfectiores nullas vnquàm vllo tempore fuisse. incredibile dictu est, quàm multi Græci de harum valuarum pulchritudine scriptum reliquerint. nimium forsitan hæc illi mirentur atq; efferant. esto. Veruntamen honestius est Reip. nostræ, Iudices, ea, quæ illis pulchra esse videantur, Imperatorem nostrum in bello reliquisse, quam Prætorem in pace abstulisse. Ex ebore diligentissimè perfecta

fecta argumenta erant in valuis: ea detrahenda curauit omnia. Gorgonis os pulcherrimum crinitum anguibus, reuellit atque abstulit. & tamen indicauit, se non solum artificio, sed etiam precio quæstuq; duci. nam bullas omnes aureas ex his valuis, quæ erant & multæ & graues, non dubitauit auferre: quarum iste non opere delectabatur, sed pondere. Itaque eiusmodi valuas reliquit, vt quæ olim ad ornandum templum erant maximè, nunc tãtum ad claudendum facta esse videantur. *Etiamne grami- 125
neas hastas? vidi enim vos in hoc non minime, cum testes dicerent, commoueri: quòd erant huiusmodi, vt semel vidisse satis esset: in quibus neq; manufactum quicquam, neq; pulchritudo erat vlla. sed tantum magnitudo incredibilis: de qua vel audire satis esset: nimium, videre plus quam semel: etiamnè id concupisti? Nam Sappho, quæ sublata de Prytaneo est, dat tibi iustam excusationem, propè vt concedendum atque ignoscendum esse videatur.* M. 126
Syl. anionis opus tam perfectum, tam elegans, tam elaboratum, quis quã non modo priuatus, sed populus potius haberet, quàm homo elegãtissimus atq; eruditissimus Verres? nimirum contradici nihil potest. nostrum enim vnus quisque, qui tã beati, quam iste est, non sumus, tam delicati esse non possumus, si quando aliquid istiusmodi videre volet, eat ad eadem Felicitatis ad monimentum Catuli, in porticum Metelli. det operam vt admittatur in alicuius istorum Tusculanum, spectet eorum ornatum, si quid iste suorum Aedilibus accommodauit: Verres

hæc habeat domi, Verres ornamentis fanorum atque oppidorum habeat plenam domum, villas refertas, Etiamne huius operarij studia ac delicias, Iudices, perferetis? qui ita natus est, ita educatus, ita factus & animo & corpore, vt multo appositior ad deferenda, quam ad auferenda signa esse videatur.

127 *Arq; hæc Sappho sublata quantum desiderium sui reliquerit, dici vix potest. nam tum ipsa fuit egregie facta, tum epigramma Græcum pernobile inciſum habuit in basi: quod iste eruditus homo & Græculus, qui hæc subtiliter iudicat, qui solus intelligit, si vnam litteram Græcam sciisset, certè non sustulisset, nunc enim quod inscripti est mani in basi declarat quid fuerit, & id ablatum indicat. Quid? signum Pæanis ex ade Aesculapij præclare factum sacrum & religiosum non sustulisti? quod omnes propter pulchritudinem visere, propter religionem colere

28 solebant.* Quid? ex ade Liberi simulacrum, Aristei non tuo imperio palam ablatum est? Quid? ex ade Iouis religiosissimum simulacrum Iouis Imperatoris, quem Græci Vrion nominant, pulcherrimè factum nonne abstulisti? Quid? ex æde Liberi parvum illud caput pulcherrimum, quod visere solebamus, num dubitasti tollere? atque ille Pæan sacrificijs anniuersarijs simul cum Aesculapio apud illos colebatur. Aristeus, qui, vt Græci ferunt, Liberi filius inuentor olei esse dicitur, vnà cum Libero patre apud illos eodem erat in templo consecra-

129 tus.* Iouem autem Imperatorem quanto honore in suo templo fuisse arbitramini? hinc colligere potestis

testis, si recordari volueritis quanta religione fuerit eadem specie atque forma signum illud, quod ex Macedonia captum in Capitolio posuerat Flaminius. Etenim tria ferebantur in orbe terrarum signa Iouis Imperatoris vno in genere pulcherrimè facta: vnum, illud Macedonicum, quod in Capitolio videmus: alterum, in Ponti ore & angustijs: tertium, quod Syracusijs ante Verrem Prætorem fuit. illud Flaminius ita exade jua ustuit, vt in Capitolio, hoc est in terrestri domicilio Iouis poneret. *Quod autem est ad introitum Ponti, 130
id cum tam multa ex illo mari bella emerserint, tam multa porrò in Pontum inuecta sint, vsque ad hanc diem integrum inuiolatumue seruatum est. hoc tertium, quod erat Syracusijs, quod M. Marcellus armatus & victor viderat, quod religioni conceserat, quod ciues atq; incolæ Syracusani colere, aduenæ non solum visere, verum etiam venerari solebant: id Verres ex templo Iouis sustulit. *Vt 131
sæpius ad M. Marcellum reuertar, Iudices, sic habetote: plures esse à Syracusanis istius aduentu deos, quàm victoria Marcelli homines desideratos. Etenim ille requisisse dicitur etiam Archimedem illum summo ingenio hominem ac disciplina, eumq; cum audisset interfectum, permoleste tulisse. Iste omnia quæ requisiuit, non vt seruaret, verum vt asportaret, requisiuit. Iam illa quia leuiora videbuntur, si hoc loco dicerentur, ideo prætereo, quod iste mensas Delphicas è marmore, crateras ex ære pulcherrimas, vim maximam vasorum Corinthiorum,

132 ex omnibus ædibus sacris Syracusis abstulit. * Itaque Iudices, hi qui hospites ad ea, quæ visenda sunt, ducere solent, & ynumquicque ostendere, quos illi Mystagogos vocant, conuersam iam habent demonstrationem suam. nam vt ante demonstrabant, quid vbique esset: ita nunc quid vndique ablatum sit, ostendunt. Quid tum? mediocriné tandem dolore eos affectos esse arbitramini? non ita est, Iudices: primum quod omnes religione mouentur, & deos patrios, quos à maioribus acceperunt, colendos sibi diligenter & retinendos esse arbitrantur. deinde hic ornatus, hæc opera atque artificia, signa, tabulæ pictæ, Græcos homines nimio opere delectant. Itaque ex illorum querimonijs intelligere possumus, hæc illis acerbissima videri, quæ forsitan nobis leuia, & contemnenda esse videantur. mihi credite, Iudices, tametsi vosmetipsos hæc eadem audire certo scio: cum multas acceperint per hosce annos socij atque exteræ nationes calamitates & iniurias, nullas Græci homines grauius tulerunt, nec ferunt, quam huiuscemodi spoliationes fanorum atque oppidorum. * Licet iste dicat,
133 emisse, se, sicuti solet dicere: credite hoc mihi, Iudices, nulla vnquam ciuitas tota Asia, & Græcia signum vllum, tabulam pictam, vllum denique ornamentum vrbis, sua voluntate cuiquam vendidit, nisi forte è existimatis post eam iudicia seuera Romæ fieri desierint, Græcos homines hæc vendere cœpisse, quæ tum non modo non vendebant, cum iudicia fiebant, verum etiam coemebant. nisi arbitramini

L. Crasso, Q. Scæuolæ, C. Claudio potentißimis hominibus, quorum Aedilitates ornatißimas vidimus commercium istarum rerum cum Græcis hominibus non fuisse: his qui post iudiciorum dissolutiones Aediles facti sunt, fuisse. * Acerbiorem etiam 135
scitote esse ciuitatibus falsam istam & simulatam emptionem, quam si quis clam surripiat, aut eripiat palam atque auferat. nam turpitudinem summam esse arbitrantur, referri in litteras publicas, precio adductam ciuitatem, & precio paruo ea, quæ accepissent à maioribus, vendidisse atque alienasse, etenim mirandum in modum Græci rebus istis, quas nos contemnimus, delectantur. itaque maiores nostri facile patiebantur, hæc esse quamplurima apud socios, vt imperio nostro quã ornatißimi florentißimiq; essent: apud eos autem quos vectigales aut stipendiarios fecerant, tamen hæc relinquebant, vt illi, quibus ea iucunda sunt, quæ nobis leuia videbantur, haberẽt hæc oblectamenta & solatia seruitutis. * Quid arbitramini Rheginos, qui 1
iam ciues Romani sunt, mereri velle, vt ab ijs marmorea Venus illa ne auferatur? quid Tarentinos, vt ne Europam in tauro sedentem amittant? vt Satyrum, qui apud illos in ade Vestæ est? vt cætera? quid Thespienses, vt Cupidinis signum, propter quod vnum visuntur Thespiæ? quid Gnidios, vt Venerem marmoream? quid vt pictam, Coos? quid Ephesios, vt Alexandrum? quid Cyzicenos, vt Aiacem, aut Medeam? quid Rhodios, vt Ialisium? quid Athenienses, vt ex marmore Iacchum, aut Paralum

pictum, aut ex ære Myronis buculam? Longum
est, & non necessarium commemorare: quæ a-
pud quosq; visenda sunt tota Asia & Græcia. verum
illud est quamobrem hæc commemorarim, quod ex-
istimare vos hoc volo, mirum quendam dolorem
136 accidere ijs, ex quorū vrbibus hæc auferātur. *Atq;
ut cæteros omittamus, de ipsis Syracusanis co-
gnoscite. Ad quos ego cum venissem, sic primo existi-
mabam, vt Romæ ex istius amicis acceperam ciui-
tatem Syracusanam propter Heraclij hereditā-
tem, non minus esse illi amicam, quam Mamertī-
nam propter prædarum ac furtorum omnium soci-
etatem. sin. vt & verebar, ne multorum nobilium &
formosarum gratia, quarum ille arbitrio Prætu-
ram per triennium gesserat, virorumq; quibuscum
illæ nuptæ erant, nimia in istum non lenitudine, sed
etiam liberalitate oppugnarer, si quid ex litteris Sy-
137 racusanorum conquirerē. *Itaque Syracusis cum ci-
uibus Romanis eram, eorum tabulas exquirebam,
iniurias cognoscebam, cum diutius in eo negocio cu-
raq; fueram, vt requiescerem, curamque animi
remitterem, ad Carpinatij præclaras tabulas re-
uertebar. vbi cum Equitibus Rom. ex illo conuentu
honestissimis, illos Verrutios, de quibus ante dixi, ex-
plicabā: à Syracusanis prorsus nihil adumenti neq;
publicè, neq; priuatim expectabam: nec erat in a-
nimo postulare. Cum hæc agerē, repente ad me venit
Heraclius is, qui tum magistratū Syracusis habebat
homo nobilis, qui sacerdos Iouis fuisset, qui honos
apud Syracusanos est amplissimus: agit mecum &

cum

cum fratre meo, vt si nobis videretur, adiremus ad eorum Senatum, frequentes esse in curia: se iussu Senatus à nobis petere, vt veniremus. *Primo 138
nobis fuit dubium, quod ageremus. deinde cito venit in mentem, non esse vitandum nobis illum conuentum & locum. itaque in curiam venimus: honorificè sanè consurgitur: nos rogatu magistratus assedimus. Incipit is loqui, qui, & autoritate, & ætate, & vt mihi visum est vsu rerum antecedebat Diodorus Timarchides: cuius omnis oratio hanc habuit primo sententiam, Senatum populumque Syracusanum moleste grauiterque ferre, quod ego cum in cæteris Siciliæ ciuitatibus Senatum populumque docuissem, quid eius vtilitatis, quid salutis afferrem: & cum ab omnibus mandata, Legatos, litteras, testimoniaque sumpsissem, in illa ciuitate nihil eiusmodi facerem: respondi, neque Romæ in conuentu Siculorum, cum à me auxilium communi omnium legationum consilio petebatur, caussaque totius ad me Siciliæ deferebatur, Legatos Syracusanorum affuisse: neque me postulare, vt quicquam cõtra C. Verrem decerneretur in ea Curia, in qua inauratã C. Verris statuã viderẽ. * Quod postea quam 139
dixi, tantus est gemitus factus aspectu statuæ & cõmemoratione, vt illud in curia positum monimẽtum scelerum non beneficiorũ videretur. Tũ pro se quisq, quãtum dicẽdo assequi poterat, docere me cœpit, ea quæ paulo ante commemoraui, spoliatam vrbem, fana direpta: ex Heraclij hæreditate, quã palæstritis concessisset, multo maximã partem ipsum abstulisse;

se: neque postulandum fuisse, vt ille palæstritas diligeret, qui etiam inuentorem olei deum sustulisset: neq; illam statuam esse ex pecunia publica, neque publice datam: sed eos qui hæreditatis diripiendæ participes fuissent, faciendam statuendāq; curasse, eosdē Romæ fuisse Legatos, illius aduitores improbitatis, socios furtorum, cōscios flagitiorum: eo minus mirari me oportere, si illi communi Legatorum
140 voluntati & saluti Siciliæ defuissent. *Vbi eorū dolorem ex illius iniurijs non modo non minorem, sed prope maiorem, quam cæterorum Siculorum esse cognoui, tum meum animum in illos, tum mei consilij negocijque totius suscepti caussam rationemque proposui: tum eos hortatus sum, vt caussæ communi, salutiq; ne deesset: vt ei illam laudationem, quam se vi ac metu coactos paucis illis diebus decresse dicebant, tollerent. Itaque, Iudices, Syracusani hæc faciunt istius clientes atq; amici: primū mihi litteras publicas, quas in ærario sanctiore conditas habebant, proferunt: in quibus ostendunt omnia, quæ dixi ablata, esse perscripta, & plura etiam, quam ego potui dicere. perscripta autem hoc modo, quod ex æde Mineruæ hoc & illud abesset: quod ex æde Iouis, quod ex æde Liberi. vt quisq; his rebus tuendis conseruandisque præfuerat, ita perscriptum erat, cum rationem ex lege redderet, & quæ acceperat, deberet tradere, petisse vt sibi, quod hæres abesset, ignosceretur: itaque omnes liberatos discessisse, & esse ignotum omnibus: quas ego litteras obsignandas publico signo deportandasq; curæ

ui.

ui. *De laudatione autẽ ratio sic reddita est. primũ 141
cum à Verre literæ aliquanto ante aduentum meum
de laudatione venissent, nihil esse decretum: de-
inde, cùm quidam ex illius amicis commonerẽt, opor-
tere decerni, maximo esse clamore & conuicio re-
pudiatos: & posteaquam meus aduentus appropin-
quarit imperasse eum, qui summam potestatem ha-
beret, vt decernerent: decretum ita esse vt multò
plus illa laudatio mali, quam boni posset afferre. Id
adeo, Iudices, vt mihi ab illis demonstratum est, sic
vos ex me cognoscite. *Mos est Syracusis, vt si qua 142
de re ad Senatum referatur, dicat sententiam,
qui velit: nominatim nemo rogatur: & tamen, vt
quisque honore & ætate antecedit, ita primus so-
let sua sponte dicere. idque à cæteris ei conceditur.
si quando taceant omnes, tunc sortito coguntur di-
cere. Cũ hic mos esset, refertur ad Senatum de lau-
datione Verris: in quo primum, vt aliquid esset mo-
ræ, multi interpellant: de Sex. Peduceo, qui de illa
ciuitate, totaque prouincia optime meritus esset,
sese antea, cum audissẽt ei negocium facessitum, cũ-
que eum publice, pro plurimis eius & maximis
meritis laudare cuperent, à C. Verre prohibitos esse.
iniquum esse: tametsi Peduceus eorum laudatione
iam non vteretur, tamen nõ id prius decernere quod
aliquando voluissent, quam quod tum cogerentur.
*conclamant omnes, & approbant ita fieri oporte- 143
re. refertur de Peduceo: vt quisque ætate & hono-
re antecedebat, ita sententiam dixit ex ordine. Id
adeo ex ipso S. C. cognoscite. nam principium sen-

ten-

tentiæ perscribi solet, Recita. QVOD VERBA FACTA SVNT DE SEX. PEDVCEO. Dicit qui primi suaserint. decernitur. refertur deinde de Verre. dic quæso quomodo? QVOD VERBA FACTA SVNT DE C. VERRE quid postea scriptum est? CVM SVRGERET. NEMO, NEQVE SENTENTIAM DICERET quid hoc est? SORS DVCITVR. quamobrem? nemo erat voluntarius laudator Præturæ tuæ? defensor periculorum tuorum? præsertim cum inire à Prætore R. gratiam posset? nemo. ipsi illi tui conuiuæ consiliarij & cõscij, verbu facere nõ audebãt. in qua curia statua tua stabat, & nuda in ea filij. nemo fuit, quẽ, ne nudus quidẽ filius, in nuda prouincia commoueret. * Atq; etiã hoc me docẽt, eiusmodi Senatus cõsulto sese fecisse laudationẽ, vt oẽs intelligere possent, non laudationẽ, sed potius irrisionem esse illam, quæ commonefaceret istius turpem calamitosamque Præturam. Etenim scriptum esse ita: quod iste virgis neminẽ cecidisset, à quo cognoscitis nobilissimos homines, atque innocentissimos securi esse percussos: quod vigilanter prouinciam administrasset: cuius omnes vigilias in stupris constat adulteriisque esse consumptas. hoc autem scriptum etiam, quod proferre non auderet reus, accusator recitare non desineret, quod prædones procul ab insula Sicilia prohibuisset Verres: quos etiam intra Syracusanam insulam recepisset. * Quæ postea quam ex illis cognoui, discessi cũ fratre è Curia, vt nobis absentibus, si quid vellent, decernerent.

vent. decernunt statim: primum, vt L. fratri hospitium publice fieret, quos in eandem voluntatem erga Syracusanos suscepisset, quam ego semper habuissem. id non modo tum susceperunt, verum etiam in ære incisum nobis tradiderunt. Valde hercle te Syracusani tui, quos crebro commemorare soles, diligūt: qui cum accusatore tuo satis iustā causā cōmungendæ necessitudinis putant, quod te accusaturus sit, & quod ad inquirendū in te venerit, postea decernunt, ac nō variè, sed propè cōiunctis sententijs, vt laudatio, quæ C. Verri decreta esset, tolleretur. *Atq; adeo cū iam non solum discessio fa- 146
cta esset, sed etiā perscriptum, atq; in tabulas relatum, Prætor appellatur. at quis appellat? magistratus aliquis? nemo. Senator? ne id quidē. Syracusanorū aliquis? minimè. quo igitur Prætorē appellat? qui Quæstor istius fuerat, Cæcilius. O rem ridiculā, O desertum hominē. O desperatum ac relictū à magistratu Siculo, ne S. C. Siculi homines facere posset, ne suum ius suu moribus, suis legibus obtinere possent, non amicus istius, non hospes, non denique aliquis Siculus, sed Quæstor Prætorem appellat. Quis hoc vidit? aut quu audiuit? Prætor æquus & sapiens dimitti iubet Senatum. concurrit ad me maxima multitudo. primum Senatores clamare, eripi sibi ius, eripi libertatem: populus Senatum laudare, gratias agere: ciues Romani à me nusquam discedere. quo quidem die, nihil ægrius factum est multo labore meo, quam vt manus ab illo appellatore abstinerentur. *Cum 147

ad

ad Prætorem in ius adissemus, excogitat sanè diligenter & cautè, quid decernat. nam antequam verbum facerem, de sella surrexit, atq; abijt, itaque tum de foro, cum iam adueſperaſceret diſceſſimus. Poſtridie mane ab eo poſtulo, vt Syracuſanis liceret S.C. quod pridie feciſſent, mihi reddere. Ille enim uero negat, & ait indignum facinus eſſe, quod ego in Senatu Græco verba feciſſem: quod quidem apud Græcos Græce locutus eſſem, id fieri nullo modo poſſe. Reſpondi homini, vt potui, vt volui, vt debui: tum multa, tum etiam hoc me memini dicere, facile eße perſpicuum, quantū inter hunc & illū Numidicum verum & germanum Metellum intereßet. illum noluiſſe ſua laudatione iuuare L. Lucullum ſororis virum, quicum optime conueniſſet: hunc homini alieniſsimo, à ciuitatibus laudationes
148 per vim & metum comparare. *Quod vbi intellexi, multum apud illum recentes nuncios, multum tabulas non cōmendatitias, ſed tributarias valuiße: admonitu ipſorum Syracuſanorum impetum in eas tabulas facio, in quibus ſingula perſcripta erant. Ecce autem nouâ turba atque rixa, ne tamen iſtum omnino Syracuſis ſine amicis, ſine hoſpitibus plane nudum eſſe ac deſertum putetis: retinere cœpit tabulas Theomnaſtus quidam, homo ridicule inſanus, quem Syracuſani Theoractum vocant: qui illic eiuſmodi eſt, vt eum pueri ſectentur: vt omnes, cum loqui cœperit, irrideant. Huius tamen inſania, quæ ridicula eſt alijs, mihi tum moleſta ſane fuit: nam cū ſpumas ageret more, arderent oculi, voce maxi-

ma

ma vim me sibi afferre clamaret, copulati in ius
peruenimus. *Hic ego postulare cœpi, vt mihi tabu- 149
las obsignare, ac deportare liceret. ille contra dicere,
negare illud esse SC. in quo Prætor appellatus esset,
negare id mihi tradi oportere: ego omnium mihi
tabularum & literarum fieri potestatem oportere.
Contra, ille furiosus vrgere, nihil ad sē nostras le-
ges pertinere. Prætor intelligens, negare sibi place-
re, quod S. C. ratum esse non deberet, id me Romam
deportare. Quid multa? nisi vehementius homini
minatus essem, nisi legum sanctionem pœnamq; re-
citassem, tabularum mihi potestas facta non esset.
Ille autem insanus, qui prolixo contra me vehemen-
tissime declamasset, postquam non impetrauit, cre-
do, vt ingratiam mecum rediret, libellum mihi dat,
in quo istius furta Syracusana perscripta erant, quæ
ego antea iam ab illis cognorā & acceperam. *Lau- 150
dent te sane iam Mamertini, qui ex tanta prouin-
cia soli sunt, qui te saluum velint: ita tamen lau-
dent, vt Heius, qui eius princeps legationis est, adsit:
ita laudent, vt ad ea quæ rogati erunt, mihi parati
sint respondere. Ac ne subito à me opprimantur, hæc
sum rogaturus, nauem Pop. Rom. debeantne? fate-
buntur. præbuerintne Prætore C. Verre? negabunt. ædi-
ficauerintne nauem onerariam maximam publi-
te, quam Verri dederunt? negare non poterunt. fru-
mentumne ab his sumpserit Verres, quod Populo Ro-
mano mitteret, sicuti superiores? negabunt. Quid
militum, aut nautarum per triennium dederint?
nullum datum dicēt. fuisse Messanam omnium istius

furtorum ac prædarum receptricem? negare non poterunt. permulta multis nauibus illinc exportata? hanc denig, nauem maximam à Mamertinis datã, onustam cum isto Prætore profectam? fatebuntur.

151 *Quamobrem tibi habe sanè istam laudationẽ Mamertinam: Syracusanam quidem ciuitatem, vt abs te affecta est, ita in te esse animatam videmus: apud quos etiam Verrea illa flagitiosa sublata sunt. etenim minime conueniebat, ei deorum honores haberi, qui simulacra deorum sustulisset. Etiam me hercule illud in Syracusanis merito reprehenderetur, si cum diem festum ludorum de fastis suis sustulissent celeberrimum & sanctissimum, quod eo ipso die Syracusæ à Marcello captæ esse dicuntur, ijdẽ festum Verris nomine agerent: cum iste Syracusanis quæ ille calamitosus dies reliquerat, ademisset. At videte hominis impudentiam atque arrogantiam, Iudices, qui non solum Verrea hæc turpia, hæc ridicula, ex Heraclij pecunia constituerit: verumetiam Marcellea tolli imperarit: vt ei sacra facerent quotannis, cuius opera omnium annorum sacra, deosq; patrios amiserant. eius autem familia dies festos tollerent, per quam cæteros quoque festos dies recuperarant.

ACCV-

ACCVSATIONIS IN C. VERREM LIBER VII.

ORATIO X.

NEMINI video dubium esse, Iudices, quin apertissimè C. Verres in Sicilia sacra profanaque omnia & priuatim, & publicè spoliarit, versatusq; sit sine vlla non modo religione, verum etiam dissimulatione in omni genere furandi, atq; prædandi. sed quædam mihi magnifica & præclara eius defensio ostenditur: cui quemadmodum resistam, multo mihi ante est, Iudices, prouidendum. it a enim caussa constituitur, pronunciari Siciliam virtute istius & vigilantia singulari, dubijs formidolosisque temporibus à fugitiuis, atque à belli periculis tutam esse seruatam. * Quid agam, Iudices? quo accusationis meæ rationem conferam? quo me vertam? ad omnes enim meos impetus, quasi murus quidam, boni nomen Imperatoris opponitur. uoui locum, video vbi se iactaturus sit Hortensius. belli pericula, tempora Reip. Imperatorum penuriam commemorabit, tum deprecabitur à vobis, tum etiam pro suo iure contendet, ne patiamini talem Imperatorem Populo Romano Siculorum testimonijs eripi, neve obteri laudem Imperatoriam criminibus auaritiæ velitis. * Non possum dissimulare, Iudices: timeo, ne C. Verres propter hãc virtutem exi- 3

miam

etiam in re militari, omnia, quæ fecit, impune fecerit. venit enim mihi in mentem, in iudicio M. Aquilij quantum auctoritatis, quantum momenti oratio M. Antonij habuisse existimata sit: qui vt erat in dicendo non solum sapiens, sed etiam fortis: causa propè perorata, ipse arripuit M. Aquilium, constituitque in conspectu omnium, tunicámque eius à pectore abscidit, vt cicatrices Populus Rom. Iudicesque aspicerent, aduerso corpore exceptas, simul & de illo vulnere, quod ille in capite ab hostium duce acceperat, multa dixit: eoque adduxit eos, qui erāt iudicaturi, vehementer vt vererentur, ne quem virum fortuna ex hostium telis eripuisset, cum sibi ipse non pepercisset, hic non ad Pop. Rom. laudem, sed ad iudicum crudelitatem videretur esse seruatus. Hæc eadem nunc ab illis defensionis ratio, viáque tentatur, idem quæritur. sit fur, sit sacrilegus, sit flagitiorum omnium vitiorumque princeps: at est bonus Imperator, & fœlix, & ad dubia Reip. tempora reseruandus. Non agam summo iure tecum, non dicam id quod debeam forsitan obtinere, cum iudicium certa lege sit constitutum: non quid in re militari fortiter feceris, sed quemadmodum manus ab alienis pecuniis abstinueris, abs te doceri oportere: non, inquam, sic agam, sed ita quæram, quemadmodum te velle intelligo, quæ tua opera, & quanta fuerit in bello? Quid dices? an bello fugitiuorum Siciliam virtute tua liberatam? magna laus & honesta oratio. sed tamen quo bello? nos enim post id bellum, quod M. Aquilius confecit, sic accepimus,

nullum

nullum in Sicilia fugitiuorum bellum fuisse. At in Italia fuit. fateor, & magnum quidem ac vehemens: num igitur ex eo bello partem aliquam laudis appetere conaris? num tibi illius victoriæ gloriam cum M. Crasso, aut Cn. Pompeio communicandam putas? non arbitror hoc etiam deesse tuæ impudentiæ vt quicquam eiusmodi dicere audeas. obstitisti videlicet, ne ex Italia transire in Siciliam fugitiuorum copiæ possent. vbi? quando? qua ex parte? cum aut nauibus, aut ratibus conarentur accedere? nos enim nihil vnquam prorsus audiuimus, & illud audiuimus, M. Crass: fortissimi viri virtute consilioque factum, ne ratibus coniunctis freto fugitiui ad Messanam transire possent: à quo illi conatu non tantopere prohibendi fuissent, si vlla in Sicilia præsidia ad illorum aduentum opposita putarentur. *At cum esset in Italia bellum tam propè à Sicilia, tamen in Sicilia non fuit. Quid mirum? ne cum in Sicilia quidem fuit, eodem interuallo pars eius belli in Italiam vlla peruasit. Etenim propinquitas locorum ad vtram partem hoc loco profertur? vtrum aditum facilem hostibus? an contagionem imitandi eius belli periculosam fuisse? aditus omnis hominibus sine vlla facultate nauium non modo disiunctus, sed etiam clausus fuit: vt illis, quibus Siciliam propinquam fuisse dicis, facilius fuerit ad Oceanum peruenire, quam ad Peloridem accedere. *Contagio autem ista seruilis belli, cur abs te potius, quam ab his omnibus, qui cæteras prouincias obtinuerunt, prædicatur? an quod in Sicilia iam antè bella fugitiuorum fuerunt? at ea

6

7

ipsa causa est, cur ipsa prouincia minimo in periculo sit & fuerit. Nam posteaquam illinc M. Aquilius decessit, omnium instituta atque edicta Prætorum fuerunt eiusmodi, vt ne quis cum telo seruus esset. Vetus est quod dicam, & propter seueritatem exempli nemini fortasse vestrum inauditum: L. Domitium Prætorem in Sicilia, cum aper ingens ad eum allatus esset, admiratum requisisse, quis eum percussisset, cum audisset pastorem cuiusdam fuisse, eum ad se vocari iussisse: illum cupidè ad Prætorem, quasi ad laudem atque præmium accurrisse: quæsisse Domitium, qui tantam bestiam percussisset? illum respondisse, venabulo. Statim deinde iussu Prætorij in crucem esse sublatum. durum hoc fortasse videatur, neque ego vllam in partem disputo: tantum intelligo, maluisse Domitium crudelem in animaduertendo, quam in prætermittendo dissolutum videri. 8 *Ergo his institutis prouincia, iam tum, cum bello fugitiuorum tota Italia arderet, homo non acerrimus, nec fortissimus, Cn. Norbanus in summo otio fuit: perfacilè enim sese Sicilia tuebatur, ne quod in ipsa bellum posset existere. etenim cum nihil tam coniunctum sit, quam negotiatores nostri cum Siculis, vsu, re, ratione, concordia: & cum ipsi Siculi res suas ita constitutas habeant, vt his pacem expediat esse: imperium autem Pop. Rom. sic diligant, vt id imminui, aut commutari minimè velint: cumq; hæc ab superiorum bello pericula, & Prætorum institutis, & dominorum disciplina prouisa sint, nullum est malum domesticum, quod ex ipsa pra-

sa prouincia nasci posit. * Quid igitur? nullinè motus in Sicilia seruorum Verre Prætore? nullanè consensiones factæ esse dicuntur? nihil sanè quod ad S.P.Q.R. peruenerit: nihil quod iste Romam publicè conscripserit: & tamen cœptum esse in Sicilia moueri aliquot locis seruitium suspicor: id adeò non tam ex re quam ex istius factis, decretisq; cognosco. Ac videte, quam non inimico animo sim acturus: ego ipse hæc, quæ ille quærit, quæ adhuc nunquam audistis, commemorabo, & proferam. * In Tricalino, quem locum fugitiui tam ante tenuerunt, Leonida cuiusdam Siculi familia in suspicionem vocata est coniurationis: res delata ad istum. statim (vt par fuit) iussu eius homines qui nominati erant, comprehensi sunt, adductique Lilybæum. domino denunciatum est, vt adesset. caussa dicta damnati sunt. Quid deinde? quid censetis? furtum fortasse, aut prædam expectatis aliquam? nolite vsquequaque eadem quærere: in metu belli, furandi qui locus potest esse? etiam si qua huc fuit in hac re occasio, prætermissa est: tum potuit à Leonida nummorum aliquid auferre, cum denunciauit, vt adesset. fuit nundinatio aliqua, & isti non noua, ne caussam diceret. etiam alter locus, vt absoluerentur. damnatis quidem seruis, quæ prædandi potest esse ratio? produci ad supplicium necesse est: testes enim sunt, qui in consilio fuerunt, testes publicæ tabulæ, testis splendidissima ciuitas Lilybætana, testis honestissimus maximusq; conuentus ciuium Romanorum. nihil potest. producendi sunt. itaque producū-

9

10

tur, & ad palum alligantur. *Etiam nunc mihi
expectare videmini, Iudices, quid deinde factum
sit: quod iste nihil vnquam fecit sine aliquo quæstu
atque præda. quid in eiusmodi re fieri potuit? quod
commodum est? expectate facinus, quam vultis im-
probum: vincam tamen expectationem omnium.
nomine sceleris coniurationisque damnati, ad sup-
plicium traditi, ad palum alligati, repente multis
millibus hominum inspectantibus soluti sunt, & Leo-
nidæ illi domino redditi. Quid hoc loco potes dice-
re, homo amentissime? nisi id, quod ego non quæro:
quod denique in re tam nefaria, tametsi dubitari
non potest, tamen ne si dubitetur quidem, quæri o-
porteat? quid, aut quantum, aut quomodo accepe-
ris. remitto tibi hoc totum, atque ista te cura libero.
neque enim metuo ne hoc cuiquam persuadeatur,
vt ad quod facinus nemo prater te vlla pecunia ad-
duci potuerit, id tu gratis suscipere conatus sis. verū
de ista furandi prædandique ratione nihil dico: de
hac imperatoria iam tua laude disputo. *Quid ais
32 bone custos, defensorque prouincia? tu quos seruos
arma capere, ac bellum facere in Sicilia voluisse co-
gnoras, & de consilij sententia iudicaras: hos ad sup-
plicium tam more maiorum traditos, & ad palum
alligatos, ex media morte eripere ac liberare au-
sus es? vt quam damnatis seruis crucem fixeras, hanc
indemnatis ciuibus Ro. reseruares? Perditæ ciuita-
tes, desperatis omnibus rebus, hos solent exitus ex-
itiales habere, vt damnati in integrum restituātur,
victi soluantur, exules reducantur, res iudicatæ re-
scindan-

scindantur. Quæ cum accidunt, nemo est, quin intelligat ruere illam Remp. hæc vbi eueniunt, nemo est, qui vllam spem salutis reliquam esse arbitretur: atque sicuti facta sunt, facta sunt vt homines populares aut nobiles supplicio, aut exilio leuarentur: vt non ab his ipsis, qui iudicassent: vt nō statim: vt nō eorum facinorum damnati, quæ ad vitam & omnium fortunas pertinerent. hoc verò nouum, & eiusmodi est, vt magis propter reum, quàm propter rem ipsam credibile esse videatur: vt homines seruos: vt ipse qui iudicarat: vt statim è medio supplicio dimiserit: vt eius facinoris damnatos seruos, quod ad omnium liberorum caput, & sanguinem pertineret.* O præclarum Imperatorem, nec iam cū M. Aquilio fortissimo viro, sed verò cum Paulis, Scipionibus, Marijs conferendum, tam rumne vidisse in metu periculoque prouinciæ? cum seruitiorum animos in Sicilia suspensos propter bellum Italiæ fugitiuorum videret, ne quis se commouere auderet, quantum terroris iniecit? comprehendi iussit. Quis non pertimescat? caussam dicere dominos. quid seruis tam formidolosum? fecisse videri pronunciauit. exortam videtur flammam paucorum dolore ac morte restinxisse. Quid deinde sequitur? verbera, atque ignes, & illa extrema ad supplicium damnatorum, metum cæterorum, cruciatus, & crux. hisce omnibus supplicijs sunt liberati. Quis dubitet, quin seruorum animos summa formidine oppresserit? cum viderent ea facilitate Prætorem, vt ab eo seruorum sceleris coniurationisque

13

14

qúe damnatorum vitæ, vel ipso carnifice internun-
15 cioredimeretur.* Quid? hoc in Apollonienſi Ariſto-
damo? quid? in Leonte Megarenſi non idem feciſti? iſte motus ſeruorum, belliqúe ſubita ſuſpicio, vtrum tibi tandem diligentiam cuſtodiendæ prouinciæ, an nouam rationem improbiſſimi quæſtus attulit? Halycienſis Eumenidæ nobilis hominis & honeſti, magnæ pecuniæ vilicus, cum impulſu tuo ſimulatus eſſet, HS. LX. à domino accepiſti: quod nuper ipſe iuratus docuit quemadmodum geſtum eſſet. Ab Equite Romano. C. Matrinio abſente, cum is eſſet Romæ, quod eius villicos paſtoreſ qúe tibi in ſuſpicionem veniſſe dixeras, HS. centum abſtuliſti: dixit hoc L. Flauius, qui tibi eam pecuniam numerauit, procurator C. Matriniÿ, dixit ipſe C. Matrinius: dicet vir clariſſimus Cn. Lentulus Cenſor, qui Matriniÿ honoris cauſſa, recenti negocio ad te litteras miſit, mittendaſ-
16 qúe curauit.* Quid? de Apollonio Dioclis filio Panormitano, cui Gemino cognomen eſt, prateriri poteſt? ecquid hoc tota Sicilia clarius? ecquid manifeſtius proferri poteſt? quem is, vti Panormum venit ad ſe vocari, & de Tribunali citari iuſſit concurſu magno, frequentiaq, conuentus. Homines ſtatim loqui, mirari, quod Apollonius homo pecunioſus tandiu ab iſto maneret integer: excogitauit: neſcio quid attulit, profecto homo diues repente à Verre non ſine cauſſa citatur: expectatio ſummæ omnium, quidnam id eſſet, cum exanimatus ſubito ipſe accurrit cum adoleſcente filio. Nam

pater

pater grandis natu iamdiu lecto tenebatur.* nominat iste seruum, quem magistrum pecoris esse diceret: eum dicit coniurasse, & alias familias concitasse. is omnino seruus in familia non erat. eum statim exhiberi iubet. Apollonius affirmat seruum se omnino illo nomine habere neminem. iste hominem abripi à tribunali, & in carcerem conjici iubet. ille clamare, cum raperetur, nihil commisisse: pecuniam sibi esse in nominibus, numeratam in præsentia non habere. hæc cum maximè summa hominum frequentia testificaretur, vt quiuis intelligere posset, eum quod pecuniam non dedisset, idcirco illa tam acerba iniuria affici. cum maximè, vt dico, hoc de pecunia clamaret, in vincla coniectus est.* Videte constantiam Prætoris, & eius Prætoris, qui in his rebus non ita defendatur, vt mediocris Prætor: sed ita laudetur, vt optimus Imperator. Cum seruorum bellum metueretur, quo supplicio dominos indemnatos afficiebat, hoc seruos damnatos liberabat. Apollonium locupletissimum hominem, qui si fugitiui bellum in Sicilia facerent, amplissimas fortunas amitteret, belli fugitiuorum nomine, indicta causa, in vincla coniecit: seruos, quos ipse cum cõsilio belli faciẽdi causa consensisse iudicauit, eos sine consilij sententia sua sponte omni supplicio liberauit.* Quid? si ab Apollonio aliquid commissum est, quamobrem iure in eum animaduerteretur: tamen ne hanc rem sic agemus, vt crimini, aut inuidiæ reo putemus esse oportere si quo de homine seuerius iudicauit? Non agam

17 18 19

tam

tam acerbe, non vtar ista accusatoria consuetudine, si quid est factum clementer, vt dissolute factũ criminer: si quid vindicatum seuere est, vt ex eo crudelitatis inuidiam colligam: non agam ista ratione, tua sequar iudicia, tuam defendam autoritatem, quoad tu voles: simul ac tute cœperis tua iudicia rescindere, mihi succensere definito: meo enim iure contendam, eum qui suo iudicio condemnatus sit, iuratorum iudicum sententijs damnari oportere. * Non defendam Apollonij caussam, amici atque hospitis mei, ne tuum iudicium videar rescindere: nihil de hominis frugalitate, virtute, diligentia, dicam: prætermittam illud etiam, de quo antea dixi, fortunas eius ita constitutas fuisse, familia, pecore, villis, pecunijs creditis, vt nemini minus expediret, vllum in Sicilia tumultum, aut bellum commouere: non dicam ne illud quidem, si maximè in culpa fuerit Apollonius, tamen in hominem honestissimum, ciuitatis honestissimæ, tam grauiter animaduerti caussa indicta non oportuisse. * nullam inuidiam in te ne ex illis quidem rebus contrahabo. cum esset talis vir in carcere, in tenebris, in squalore, in sordibus, tyrannicis interdictis tuis patri exacta ætate, & adolescenti filio adeundi ad illum miserum potestatem nunquam esse factam: etiam illud prætermittam quotiescunque Panormum veneris illo anno & sex mensibus (nam tam diu fuit in carcere Apollonius) toties ad te Senatum Panormitanum adesse supplicem cum magistratibus, sacerdotibusque publicis, orantem, atque obsecrantem, vt ali-

vt aliquando ille miser, atque innocens calamitate illa liberetur. relinquam hæc omnia, quæ si velim persequi, facilè ostendam tua crudelitate in alios, omnes tibi aditus misericordiæ iudicum iampridem esse præclusos.* omnia igitur ista concedam, & remittam. præuideo enim quid sit defensurus Hortensius. fatebitur apud istum, neque senectutem patris, neque adolescentiã filij, neque lachrimas vtriusque plus valuisse, quam vtilitatẽ, salutemq; prouinciæ. dicet Remp. administrari sine metu ac seueritate nõ posse: quæret quamobrem fasces Prætoribus præferantur? cur secures datæ? cur carcer ædificatus? cur tot supplicia sint in improbos more maiorum constituta? quæ cum omnia grauiter seuereque dixerit, quæram cur hunc eundem Apollonium Verres idem, repẽte, nulla noua re allata, nulla defensione, sine causſa de carcere emitti iusserit? tantum quidem in hoc crimine suspitionis esse affirmabo, vt iam ipsis iudicibus sine mea argumentatione coniecturã facere permittam, quod hoc genus prædandi, quam improbum, quam indignum, quamq; ad magnitudinem quæstus immensum, infinitumque esse videatur.* Nam quæ iste in Apollonio fecit, ea primum breuiter cognoscite, quot, & quanta sint: deinde hæc expendite, atque æstimate pecunia: reperietis idcirco hæc in vno homine pernicioso tot constituta, vt cæteris formidines similium incommodorum atque exempla periculorum proponerentur. Primum insimulatio est repentina, capitalis, atque inuidiosi criminis: statuite quanti hoc putetis, & quam multo

multo redemisse. Deinde crimen sine accusatore, sententia sine consilio, damnatio sine defensione, æstimate harum rerum omnium precia: & cogitate in his iniquitatibus vnum hæsisse Apollonium: cæteros profecto multos ex his incommodis pecuma se liberasse. Postremo tenebræ, vincla, carcer, inclusum supplicium, atque à conspectu parentum ac liberum, denique à libero spiritu & communi luce seclusum.

24 * Hæc verò, quæ vel vita redimi rectè possunt, æstimare pecunia non queo. hæc omnia sero redimit Apollonius, iam mœrore, ac miserijs perditus: sed tamen cæteros docuit, ante istius auaritiæ ac sceleri occurrere. Nisi verò æstimatis hominem pecuniosissimum sine aliqua caussa quæsitus iniectum ad tam incredibile crimen: aut sine eadem caussa repente è carcere emissum: aut hoc prædandi genus ab isto in illo vno adhibitum ac tentatum, & non

25 per illum omnibus pecuniosis Siculis metum propositum & iniectum. *Cupio mihi, Iudices, ab illo subijci, quoniam de militari eius gloria dico, si quid forte prætereo. Nam mihi videor de omnibus iam rebus eius gestis dixisse, quæ quidem ad belli fugitiuorum pertinerent suspicionem: certe nihil sciens prætermisi. Habetis hominis consilia, diligentiam, vigilantiam, custodiam, defensionemque prouinciæ: summa illuc pertinet, vt sciatis, quoniam plura genera sunt Imperatorum, ex quo genere iste sit. Ne diutius in tanta penuria virorum fortium talem Imperatorem ignorare possitis: non ad Q. Maximi sapientiam, neque ad illius superioris Africani in re gerendæ

gerenda celeritatē, neq; ad huius, qui postea fuit singulare consilium, neque ad Pauli rationem, ac disciplinam, neque ad C. Marij vim atque virtutē: sed ad aliud genus Imperatorum sanè diligēter retinendū & conseruandū, quæso cognoscite. * Itinerum primum laborem, qui vel maximus est in re militari, Iudices, & in Sicilia maximè necessarius, accipite quam facilem sibi iste & iucundum ratione, consilioque reddiderit. Primum temporibus hybernis, ad magnitudinem frigorū, & ad tempestatū vim ac imbrium, præclarū sibi hoc remedium cōparat: vrbem Syracusas elegerat: cuius hic situs atque hæc natura esse loci caliqúe dicitur, vt nullus vnquam dies tam magna turbulenta qúe tempestate fuerit, quin aliquo tempore solem eius diei homines viderent. hic ita viuebat iste bonus Imperator hibernis mensibus, vt eum non facilè, non modo extra tectum, sed ne extra lectum quisquam videret. ita diei breuitas conuiuijs, noctis longitudo stupris & flagitijs conterebatur. * Cum autē ver esse cœperat, cuius initium iste non à Fauonio, neque ab aliquo astro notabat: sed cum rosam viderat, tunc incipere ver arbitrabatur: dabat se labori atq; itineribus: in quibus vsque eò se prebebat patientem atque impigrum, vt eum nemo vnquam in equo sedentem videret. Nam, vt mos fuit Bithyniæ Regibus lectica hexaphoro ferebatur: in qua puluinus erat perlucidus Melitensi rosa factus. ipse autem coronam habebat vnam in capite, alteram in collo, reticulumque ad nares sibi apponebat tenuissimo li-

26

27

no,

no, minutis maculis, plenũ rosa. Sic confecto itinere, cum ad aliquod oppidum venerat, eadem lectica vsque in cubiculum deferebatur. eo veniebãt Siculorum magistratus, veniebant Equites Ro. id quod ex multis iuratis audistis: cõtrouersiæ secretò deferebantur, paulo post palàm decreta auferebantur: deinde vbi paulisper in cubiculo precio, non æquitate iura descripserat, Veneri iam, & Libero reliquũ
28 tẽpus deberi arbitrabatur. *quo loco mihi non prætermittẽda videtur præclari Imperatoris egregia ac singularis diligentia. Nam scitote esse oppidum in Sicilia nullum ex his oppidis, in quibus consistere Prætores & conuentum agere solent, quo in oppido non isti ex aliqua familia non ignobili delecta ad libidinem mulier esset: ita quod nonnulla ex eo numero in conuiuium adhibebantur palam: si quæ castiores erant, ad tempus veniebant: lucem, conuentumque vitabant. erant autem conuiuia non illo silentio Prætorum, atque Imperatorum, neq; eo pudore, qui in magistratuum conuiuijs versari solet, sed cum maximo clamore, atque conuicio. nonnunquã etiam res ad manus, atq; ad pugnam veniebat. iste enim Prætor seuerus ac diligens, qui Pop. Romani legibus nunquam paruisset: illis diligenter legibus, quæ in poculis ponebantur, obtemperabat. itaque erant exitus eiusmodi, vt alius inter manus è conuiuio, tanquam è prælio auferretur: alius tanquam occisus relinqueretur: plerique fusi sine mente ac sine vllo sensu iacerent. vt quitis cum aspexisset, non se Prætoris conuiuium, sed vi Canensem pug-

nam

nam æquitia videre arbitraretur. * Cum verò æstas summa esse iam cœperat, quod tempus omnes Siciliæ semper Prætores in itineribus consumere consueuerunt: propterea quod tum putant obeundum esse maxime prouinciam, cum in areis frumenta sunt: quod & familiæ congregantur, & magnitudo seruitij perspicitur, & labor operis maximè offenditur, & frumenti copia commonet, tempus anni non impediti: tum, inquam, cum concurrant cæteri Prætores, iste, nouo quodam ex genere Imperator, pulcherrimo Syracusarum loco stativa sibi castra faciebat. * nam in ipso aditu atque ore portus, vbi primum ex alto sinus ad vrbem ab littore inflectitur, tabernacula carbaseis intenta velis collocabat, huc ex illa domo Prætoria quæ Regis Hieronis fuit, sic emigrabat, vt per eos dies nemo istum extra illum locum videre posset. in eum autem ipsum locum aditus erat nemini, nisi qui aut socius, aut minister libidinis esse posset. huc omnes mulieres, quibuscum iste consueuerat, conueniebant: quarum incredibile est quanta multitudo fuerit Syracusis. huc homines digni istius amicitia, digni vitâ illa, conuiuijsque veniebant. inter eiusmodi viros ac mulieres adulta ætate filius versabatur: vt eum etiam si naturâ à parentis similitudine abriperet, consuetudo tamen ac disciplina patri similem esse cogeret. * huc Tertia illa perducta per dolum atque insidias ab Rhodio tibicine, maximas in istius castris effecisse turbas dicitur: cum indignè pateretur vxor Cleomenis Syracusani, nobilis mulier, itēq; vxor Aemschronis,

fchronis, honesto loco nata, in conuentum suum Mi-
mi Isidori filiam venisse, iste autem Hannibal, qui
in suis castris virtute putaret oportere, non ge-
nere certari: sic hanc Tertiam dilexit, vt eam se-
cum ex prouincia exportaret. ac per eos dies cum i-
ste cum pallio purpureo, talarique tunica versare-
tur in conuiuijs muliebribus, non offendebantur
homines in eo, neque molestè ferebant abesse à foro
magistratum, non ius dici, non iudicia fieri, lucum il-
lum littoris percrepare totum mulierum vocibus,
cantuque symphoniæ: in foro silentium esse summum
caussarum atque iuris, non ferebant homines mole-
ste. non enim ius abesse videbatur à foro, neque iu-
dicia: sed vis, & crudelitas, & bonorum acerbæ
atque indignæ direptio. * Hunc tu igitur Imperato-
32 rem esse defendis, Hortensi? huius furta, rapinas,
cupiditatem, crudelitatem, superbiam, scelus, au-
daciam, rerum gestarum magnitudine, atque Im-
peratorijs laudibus tegere conaris? Hic scilicet est
metuendum, ne ad exitum defensionis tuæ vetus illa
Antoniana dicendi ratio, atque autoritas profera-
tur: ne excitetur Verres, ne denudetur à pectore, ne
cicatrices populus Rom. aspiciat, ex mulierum mor-
33 su vestigia libidinis atque nequitiæ. * Dij faciant,
vt rei militaris, vt belli mentionem facere audeas.
cognoscentur enim omnia istius ærа illa vetera, vt
non solum in imperio, verum etiam in stipēdijs qua-
lis fuerit, intelligatis. renouabitur prima illa mili-
tia, cum iste è foro abduci, non vt ipse prædicat, per-
duci solebat. aleatoris Placentini castra commemo-
rabuntur: in quibus cum frequens fuisset, tamen

ære

ere dirutus est. multa eius in stipendijs damna proferentur, quæ ab isto ætatis fructu dissoluta & compensata sunt. * Iam verò, cum in eiusmodi patientia turpitudinis, aliena non sua facietate obduruisset, qui vir fuerit, quot præsidia, quam munita pudoris & pudicitiæ vi & audacia ceperit, quid me attinet dicere? aut coniungere cum istius flagitio cuiusquam præterea dedecus? non faciam, Iudices. omnia vetera prætermittam. duo sola recentia sine cuiusquam infamia ponam: ex quibus coniecturam facere de omnibus possitis. vnum illud, quod ita fuit illustre, notumque omnibus, vt nemo tam rusticanus homo L. Lucullo & M. Cotta COSS. Romam ex vllo municipio vadimonij caussa venerit, quin sciret iura omnia Populi Romani nutu atque arbitrio Chelidonis meretriculæ gubernari. alterum, quod cum paludatus exisset, votaque pro imperio suo communique populi Romani nuncupasset: noctu stupri caussa lectica in vrbem introferri solitus est ad mulierem, nuptam vni, propositam omnibus contra fas, contra auspicia, contra omnes diuinas atque humanas religiones. * O dij immortales, quid interest inter mentes hominum & cogitationes! ita mihi meam voluntatem, spemque reliquæ vitæ, vestra populique Romani existimatio comprobet: vt ego quos adhuc mihi magistratus populus Romani mandauit, sic eos accepi, vt me omnium officiorum obstringi religione arbitrarer. Ita Quæstor sum factus, vt mihi honorem illum tum non solum datum, sed etiam creditum ac commissum putarem, sic obtinui Quæstu-

34

35

tam in prouincia Sicilia, vt omnium oculos in me vnum coniectos arbitrarer: vt me, Quaesturamque meam, quasi in aliquo orbis terræ theatro versari existimarem: vt omnia semper, quæ iucunda videntur esse, non modo his extraordinarijs cupiditatibus, sed etiam ipsi naturæ ac necessitati denegarem. * Nunc sum designatus Aedilis: habeo rationem quid à Pop. Rom. acceperim: mihi ludos sanctissimos maxima cum cerimonia Cereri, Libero, Liberæque faciendos: mihi Floram matrem populo plebique Ro. ludorum celebritate placandam: mihi ludos antiquissimos, qui primi Romani sunt nominati, maxima cum dignitate, ac religione Ioui, Iunoni, Mineruæque esse faciundos: mihi sacrarum ædium procurationem, mihi totam vrbem tuendam esse commissam: ob earum rerum laborem, & solicitudinem fructus illos datos, antiquiorem in Senatu sententiam dicendæ locum, togam prætextam, sellam curulem, ius, imagines ad memoriam posteritatemque prodendam. Ex his ego rebus omnibus, Iudices, ita mihi deos omnes propitios esse velim, vt, tametsi mihi iucundissimus est bonos populi, tamen nequaquam tantum capio voluptatis, quantum solicitudinis & laboris, vt hæc ipsa Aedilitas, non quia necesse fuerit, alicui candidato data: sed quia sic oportuerit, recte collocata, & iudicio populi digno in loco posita esse videatur. * Tu cum esses Prætor renunciatus quoquo modo (mitto enim et prætereo, quid tum sit actum) sed cum esses renunciatus, vt dixi, non ipsa prænonis voce excitatus es, qui te toties seniorum iuniorumque centurijs illo honore

affi

effici pronunciauit: vt hoc putares, aliquam Reip. partem tibi creditam? annum tibi illum vnum, domo carendum esse meretricis? Cum tibi sorte obtigisset, vt ius diceres, quantum negocij, quid oneris haberes nunquam cogitasti: neque illud rationis habuisti, si fortè expergefacere te posses: eam prouinciam, quam tueri singulari sapientia atque integritate difficile esset, ad summam stultitiam, nequitiamque veniisse. Itaque non modo domo tua Chelidonem in Praetura extrudere voluisti, sed in Chelidonis domum Praeturam tuam totam detulisti: * Secuta prouincia est: in qua tibi 38
nunquam venit in mentem, non tibi idcirco falces, & secures, & tantam imperij vim, tantamque ornamentorum omnium dignitatem datam, vt earum rerum vi, & autoritate omnia regulae iuris, pudoris, & officij perfringeres: — vt omnium bona praedam tuam duceres: nullius res tuta, nullius domus clausa, nullius vita septa, nullius pudicitia munita, contra tuam cupiditatem, & audaciam, posset esse, in qua tute ita gesisti, vt cum omnibus teneare rebus, ad bellum fugitiuorum confugias: ex quo iam intelliges non modo tibi nullam defensionem, sed maximam vim criminum exortam. Nisi fortè Italici belli fugitiuorum reliquias, atq; illud Thempsanum incommodum proferes. ad quod recens, cum te peropportune fortuna obtulisset, si quid in te virtutis, atq; industriae fuisset, idem, qui semper fueras, inuentus es. * Cū ad te Valentini 39
uenissent, & probis homo disertus & nobilis M. Marius loqueretur, vt negocium susciperes: vt, cū pene

te prætorium imperium ac nomen esset, ad illam parvam manum extinguendam, ducem te principemque præberes: non modo id refugisti, sed eo ipso tempore cum esses in littore, Tertia illa tua, quam tecum deportabas, erat in omnium conspectu. ipsis autem Valentinis ex tam illustri nobilique municipio, tantis de rebus responsum nullum dedisti, cum esses cum tunica pulla, & pallio. Quid hunc proficiscentem, quid in ipsa provincia fecisse existimatis? qui cum iam ex provincia, non ad triumphum, sed ad iudicium decederet, ne illam quidem infamiam fugerit, quam sine vlla voluptate capiebat.* O diuina Senatus frequentis in æde Bellonæ admurmuratio. Memoria tenetis, Iudices, cum adueperasceret, & paulò antè esset de hoc Thempsano incommodo nunciatum, cum inueniretur nemo qui in illa loca cum imperio mitteretur, dixisse quendam, Verrem esse non longe à Thempsa: quàm valde vniuersi admurmurarint, quàm palam principes contradixerint. Et is tot crimmibus testimoniisque conuictus, in eorum tabellis sphem sibi aliquam ponit, quorum omnium palam, causa incognita, voce damnatus est.* Esto nihil ex fugitiuorum bello, aut suspitione belli laudis adeptus est: quod neque bellum eiusmodi, neque belli periculum fuit in Sicilia, neque ab isto prouisum est, ne quod esset: at verò contra bellum prædonum classem habuit ornatam, diligentiamque adhibuit in eo singularem. Itaque isto Prætore præclare defensa provincia est. Sic de bello prædonum, si de classe Siciliensi, iudices, dicam, vt hoc tam ante confirmem, in hoc vno genere

omnes

omnes ineſſe culpas iſtius maximas auaritiæ, maieſtatis, dementiæ, libidinis, crudelitatis. hæc dum breuiter expono: quæſo, vt feciſtis adhuc, diligenter attendite. * Rem nauale primum ita dico eſſe 42
adminiſtratam, non vti prouincia defenderetur, ſed vt claſsis nomine pecunia quæreretur. Superiorum Prætorum conſuetudo cum hæc fuiſſet, vt naues ciuitatibus, certusque numerus nautarum militumque imperaretur, maximæ & locupletiſsimæ ciuitati Mamertinæ nihil horum imperauiſti. ob hanc rem quid tibi Mamertini clam dederint pecuniæ, poſt ſi videbitur ex ipſorum literis & teſtibus quæremus. * nauem verò Cybeam maximam, 43
triremis inſtar, pulcherrimam atque ornatiſsimam, palam ædificatam ſumptu publico, ſciente Sicilia, per magiſtratum Senatumque Mamertinum, tibi datam donatamque eſſe dico. hæc nauis onuſta præda Sicilienſi, cum ipſa quoque eſſet ex præda, ſimul cum iſte decederet, appulſa Veliam eſt, cum plurimis rebus, & ijs quas ante Romam mittere cum cæteris furtis noluit, quod erant chariſsimæ, maximeque eum delectabant. Eam nauem nuper egomet vidi Veliæ, multique alij viderunt, pulcherrimam atque ornatiſsimam. Iudices, quæ quidem omnibus qui eam aſpexerant, proſpectare iam exilium, atque explorare fugam domini videbatur. * Quid mihi hoc loco reſpondebis? niſi for- 44
te id, quod tamen ſi probari nullo modo poteſt, tamen dici quidem in iudicio de pecunijs repetundis neceſſe eſt: de tua pecunia conſtare ædificatã eſſe eam nauem. Aude hoc ſaltem dicere, quod neceſſe eſt. no

si metuere, Hortensi, ne quæram, qui licuerit adificare nauem Senatori. antiquæ sunt istæ leges, & mortuæ, quemadmodum tu soles dicere, quæ vetant. fuit ista Resp. quondam, fuit ista seueritas in iudicijs, vt istam rem accusator in magnis crimimbus obijciendam putaret. Quid enim tibi naue opus fuit? qui si quo publicè proficisceris, & præsidij, & vecturæ caussa, sumptu publico nauigia præberentur: priuatim autem nec proficisci quoquam potes, nec accersere res transmarinas ex ijs locis, in quibus tibi habere, 45 mercari nihil licet. * Deinde cur quicquam contra leges paraſti? valeret hoc crimen in illa veteri seueritate ac dignitate Reip. nunc non modo te hoc crimine non arguo: sed ne illa quidem communi vituperatione reprehendo. Postremo tu tibi hoc nunquam criminosum, nunquam inuidiosum fore putaſti? celeberrimo loco palam tibi ædificari onerariam nauem in ea prouincia, quam tucum imperio obtinebas? Quid eos loqui, qui videbant: quid existimare eos, qui audiebant, arbitrabare? inanem te nauem esse in Italiam deducturam? nauicularia te, cum Romam venisses, esse facturum? ne illud quidem quisquam poterat suspicari, te habere in Italia maritimum fundum, & ad fructus deportandos onerariam nauem comparare, eiusmodi de te voluisti sermonem esse omnium: palam vt loquerentur, te illam nauem parare, quæ prædam ex Sicilia deportaret, & quæ ad ea furta, quæ reliquisses, com- 46 mearet? † Verum hæc omnia, si doces nauem de tua pecunia ædificatam, remitto, atque concedo.

sed

sed hoc, homo amentissime, non intelligis priore actione ab ipsis istis tuis Mamertinis laudatoribus esse sublatum. Nam dixit Heius princeps ciuitatis, princeps istius legationis, quæ ad tuam laudationem missa est, nauem tibi operis publicis Mamertinorum esse ædificatam, eique faciendæ Senatorem Mamertinum publice profuisse. Reliqua est materies. hanc Rhegynis, vt ipsi dicunt (tametsi tu negare non potes) publicè, quod Mamertini materiem non habent, imperauisti. Si, & ex quo fit nauis, & qui faciunt, imperio tibi tuo, non precio præsto fuerunt, vbi tandem istuc latet, quod tu de tua pecunia dicis impensum? * At Mamertini in tabulis nihil habent. primum video potuisse fieri, vt ex ærario nihil darent. Etenim vel capitolium, sicut apud maiores nostros factum est, publice gratis coactis fabris, operisque imperatis, exædificari, atq; effici potuit: deinde id quod perspicio, & quod ostendam cum istos produxero, ipsorū ex litteris, multas pecunias isti erogatas. in operum locationes falsas atque inanes esse perscriptas. Nam illud minime mirum est, Mamertinos, à quo summum beneficium acceperāt, quem sibi amiciorem quam P. Ro. esse cognouerant, eius capiti literis suis pepercisse. Sed si argumento est Mamertinos pecunias tibi non dedisse, quia scriptum non habent, sit argumento tibi gratis constare nauem, quia quid emeris, aut quid locaueris, scriptum proferre non potes. * At enim idcirco nauem Mamertinis non imperasti, quod sunt fœderati. dij approbent. habemus hominem in Feciali-

47

48

lium manibus educatum, vnum præter cæteros in publicis religionibus fœderum sanctum & diligentem. omnes qui ante te Prætores fuerunt, dedantur Mamertinis, quod ijs nauem contra pactionem fœderis imperarint. Sed tamen tu, sancte homo ac religiose, cur Tauromenitanis item fœderatis nauem imperaſti? an hoc probabis? in æqua cauſa populorum
49 fine precio variumius, & diſparem conditionē ſuiſſe? Quid ſi eiuſmodi eſſe hæc duo fœdera duorū populorū, Iudices, doceo, vt Tauromenitanis nominatim cautū & exceptum ſit fœdere, ne nauem dare debeant: Mamertinis in ipſo fœdere ſanctum atque perſcriptum ſit, vti nauem dare neceſſe ſit? iſtū autem contra fœdus & Tauromenitanis imperaſſe, & Mamertinis remiſiſſe? num cui dubium poterit eſſe, quin Verre Prætore plus Mamertinis Cybea, quam Tauromenitanis fœdus opitulatum ſit? Recitentur fœdera. MAMERTINORVM ET TAVROMINITANORVM CVM POP. ROM. FOEDERA. Iſto igitur tuo, quemadmodum ipſe prædicas, beneficio, vt res indicat, precio atq; mercede, minuiſti maieſtatem Reip. minuiſti auxilia Pop. Rom. minuiſti copias maiorum virtute ac ſapientia comparatas: ſuſtulifti ius imperij, conditionē ſociorū, memoriam fœderis. Qui ex fœdere ipſo nauem vel vſq; ad Oceanū, ſi imperaſſemus, ſumptu periculoq; ſuo armatā atq; ornatam mittere debuerunt: hi ne in freto ante ſua tecta, & domos nauigarent: ne ſua mœnia portusq; defenderent: precio
50 abs te ius fœderis & imperij conditionem redemerunt. *Quid cenſetis in hoc fœdere faciundo voluiſſe Ma-

Mamertinos impendere laboris, operæ, pecuniæ, ne hæc biremis ascriberetur, sitd vllo modo possent à nostris maioribus impetrare? nam cum hoc munus imponebatur tam graue ciuitati, inerat nescio quo modo in illo fœdere societatis quasi quædam nota seruitutis. Quod tum recentibus suis officijs, integra re, nullis Populi Romani difficultatibus à maioribus nostris fœdere assequi non potuerunt: id nunc nullo nouo officio suo, tot annis post iure Imperij nostri quotannis vsurpatum ac semper retentum, summa in difficultate nauium à C. Verre precio assecuti sunt. * At non hoc solum, ne nauē 51
darent: ecquem nautam, ecquem militem, qui aut in classe, aut in præsidio esset, te Prætore per triennium Mamertini dederunt? Denique cum ex senatusconsulto, itemque ex lege Terentia & Cassia frumentum æqualiter emi ab omni Sicilia ciuitatibus oporteret: id quoque munus leue atque commune Mamertinis remisisti. Dices frumentum Mamertinos non debere. quomodo non debere? an vt ne venderent? non enim erat hoc genus frumenti ex eo genere quod exigeretur, sed ex eo, quod emeretur. Te igitur autore, & interprete, ne foro quidem & commeatu Mamertini populum Romanum iuuare debuerunt. * Quæ tandem ciuitas fuit, quæ de- 52
beret? qui publicos agros arant, certum est quid ex lege Censoria dare debeant. cur ijs quicquam præterea ex alio genere imperauisti? Quid Decumani? nū quid præter singulas Decumas ex lege Hieronica debent? cur ijs quoque statuisti, quantum ex hoc genere frumēti empti darēt, qui sunt immunes, ij certè

nihil

nihil debent, at ijs non modo imperasti: verū etiam quo plus darent quam poterant, hæc sexagena millia modium, quæ Mamertinis remiseras, addidisti. Neque hæc dico, cæteris non recte imperatum esse Mamertinis, qui erant in eadem caussa, & quibus superiores omnes Prætores, item vt cæteris, imperarant: pecuniamq; ex senatusconsulto, & ex lege dissoluerant, his dico non recte remissum, & vt hoc beneficium, quemadmodum dicitur, trabali clauo figeret, cum consilio caussam Mamertinorum cognosceit, & de consilij sententia Mamertinis se frumentum non imperare pronunciat: *audite decretum mercenarij Prætoris, ex ipsius commentario, & cognoscite quanta in scribendo grauitas, quanta in constituendo iure sit autoritas, Recita commentarium. DECRETVM EX COMMENTARIO. Libenter ait se facere, itaque perscribit. Quid si hoc verbo non esses vsus, libenter? nos videlicet inuitum te quæstum facere putarem? ac de consilij sententia, præclarum recitari consilium, Iudices, audistis, vtrum vobis consilium recitari tandem Prætoris videbatur, cū audiebatis nomina? an prædonis improbissimi societas atq; comitatus? *en fœderum interpretes, societatis pactores, religionis autores? nunquam in Sicilia frumentum publice est emptum quim Mamertinis pro portione imperatur, antequam hoc delectum præclarumque consilium iste dedit, vt ab his nummos acciperet, ac suis similis esset. Itaque tantū valuit istius decreti autoritas, quantū debuit eius hominis, quia quibus frumentū emere debuisset, ijs decretum vendidisset. Nā sta-

statim L. Metellus, vt isti succesſit, ex C. Sacerdotis & Sex. Peducei inſtituto, ac literis frumentum Mamertinis imperauit, tū illi intellexerūt, ſe id, quod à malo autore emiſſent, diutius obtinere non poſſe.
*Age porrò tu, qui te tam religioſum exiſtimare vo 55
luiſti interpretē fœderum, cur Tauromitanis frumentum, cur Netinis imperaſti? quarum ciuitatum vtraq; fœderata eſt. ac Netini quidem ſibi non defuerunt, nam ſimul ac prouinciaſti libenter te Mamertinis quidem remittere: te adierunt, & eandem ſuam cauſam fœderis eſſe docuerunt. tu aliter decernere eadem in cauſſa non potuiſti, prouincias Netinos frumentum dare non oportere: & ab his tamen exiges. Cedo mihi eiuſdem Prætoris literas, & rerum decretarum frumēti imperati, & rerum decretarum tritici empti. LITERAE PRAETORIS RERVM DECRETARVM FRVMENTI IMPERATI, ET FRVMENTI EMPTI. Quid potius in hac tā ta ac tā turpi inconſtantia ſuſpicari poſſumus, Iudices, quam id quod neceſſe eſt? aut iſti à Netinis pecuniam, cum poſceret, non datam: aut id eſſe actum, vt intelligerent Mamertini, bene ſe apud iſtum tā multa precia ac munera collocaſſe, cum idem alij iu- 56
ris ex eadem cauſſa non obtinerent. *Hic mihi etiā audebit mentionem facere Mamertina laudationis? in qua quā multa ſint vulnera, quis eſt veſtrū, Iudices, quin intelligat? Primum, vt in iudicijs, qui decem laudatores dare non poteſt, honeſtius eſt ei nullum dare, quam illum quaſi legitimum numerū conſuetudinis non explere. tot in Sicilia ciuitates ſunt: quibus tu per triennium præfuiſti: arguunt ea-

te-

tera: paucæ, & paruæ metu repressæ silent: vna laudat. hoc quid est, nisi intelligere quid habeat vtilitatis vera laudatio? sed tamen ita Verres prouinciæ præfuisti, vt hac vtilitate necessario sit carendum.* 57 Deinde id quod alio loco ante dixi, qua est ista tandem laudatio? cuius laudationis Legati principes & publice tibi nauem ædificatam, & priuatim se ipsos abs te spoliatos, expilatosque esse dixerunt? Postremo quid aliud isti faciunt, cum te soli ex Sicilia laudant: nisi testimonio nobis sunt, te omnia sibi esse largitum, quæ tu de Rep. nostra detraxeris? Quæ Colonia est in Italia tam bono iure? quod tam immune municipium, quod per hos annos tam commoda vacatione sit vsum omnium rerum, quam Mamertina ciuitas per triennium? soli ex fœdere quod debuerunt, non dederũt: soli isto Prætore omnium rerum immunes fuerunt. soli in istius imperio ea conditione vitæ fuerunt, vt Po. Ro. nihil darent, Verri nihil denegarent.* Verum vt ad classem, 58 quo ex loco sũ digressus, reuertar: accepisti à Mamertinis nauem contra legem: remisisti contra fœdera. ita in vna ciuitate bis improbus fuisti: cum & remisisti quod non oportebat, & accepisti quod non licebat. exigere te oportuit nauem, quæ contra prædones, non quæ cum præda nauigaret: quæ defenderet, ne prouincia spoliaretur. Non quæ noua prouinciæ spolia portaret. Mamertini tibi & vrbem, quò furta vndique deportares, & nauem, qua exportares, præbuerunt. Illud tibi oppidum receptaculũ prædæ fuit: illi homines testes, custodes q; furtorum: illi tibi & locum furtis, & furtorum vehiculum

culum comparauerunt. Itaque ne tum quidem, cum classem auaritia, ac nequitia tua perdidisti, nauem Mamertinis imperare ausus es: quo tempore in tanta inopia nauium, tantaque calamitate prouinciæ, etiam si precario essent rogandi, tamen ab his impetrari non posset. reprimebat enim tibi & imperandi vim, & rogandi conatum præclara illa non Pop. Rom. reddita beneficia, sed Prætori donata Cybea. Ea fuit merces imperij, auxilij, iuris, consuetudinis, fœderis. * Habetis vnius ciuitatis 59
firmum auxilium amissum, ac venditum precio. cognoscite nunc nouam prædandi rationem, ab hoc primum excogitatam. Sumptum omnem in classem frumento, stipendio, cæterisque rebus, suo quaque Nauarcho ciuitas semper dare solebat. is neque vt accusaretur à nautis committere audebat, & ciuibus suis rationem referre debebat in illo omni negocio, non modo labore, sed etiam periculo suo versabatur. Erat hoc, vt dico, factitatum semper: nec solum in Sicilia, sed in omnibus prouincijs: etiam in sociorum, & Latinorum stipendio ac sumptu tum, cum illorum auxilijs vti solebamus. Verres post imperium constitutum primus imperauit, vt ea pecunia omnis à ciuitatibus sibi adnumeraretur: vt is eam pecuniam 60
tractaret, quem ipse præfecisset. * cui potest esse dubium, quamobrem & omnium consuetudinem veterem primus immutaris? & tantam vtilitatem per alios tractandæ pecuniæ neglexeris? & tantam difficultatem cum crimine, molestiam cum suspicione susceperis? Deinde alij quæstus instituuntur: ex vno

gene-

genere nauali videte quam multi: accipere à ciuitatibus pecunias, ne nautas darent: precio certo missos facere nautas: missorum omne stipendium lucrari: reliquis quod deberet, non dare. Hæc omnia ex ciuitatum testimonijs cognoscite. Recita testimonia ciuitatum, TESTIMONIVM CIVITATVM.

61 *Hunccine hominem? hanccine impudentiam, Iudices? hanccine audaciam? ciuitatibus pronumero militum pecuniarum summas describere; certo precio sexcentenos nummos nautarum missione cõstituere: quos qui dederat, commeatum totius ætatis abstulerat. iste quod & nautæ nomine prostipendio frumentoque acceperat, lucrabatur. Itaque quæstus duplex vnius missione fiebat. Atque hæc homo amentissimus in tanto prædonum impetu, tantoq; periculo prouincia, sic palã faciebat, vt ipsi prædones

62 scirent, & tota prouincia testis esset. *Cũ propter istius hanc tantam auaritiã, nomine classis eßet in Sicilia, re quidem vera naues inanes, quæ prædam Prætori, nõ quæ prædonibus metum afferrent: tamẽ, cum P. Cẽsectus & P. Tadius decem nauibus his semiplenis nauigarent, nauem quandam piratarum præda refertam, non ceperunt, sed adduxerunt onere suo planè captam atq; depressam. Erat ea nauis plena iuuentutis formosissimæ, plena argenti facti atque signati, multa cum stragula veste. Hac vna nauis ad classe nostra nõ capta est, sed inuenta ad Megaridem, qui locus est non longe à Syracusis. quod vbi isti nunciatum est, tametsi noctu cum mulierculis iacebat ebrius, erexit se tamen, & statim Quæstori Legatoq; suo custodes misit complures, vt omni-

nia sibi integra quàm primum exhiberentur.* Appellitur nauis Syracusas: expectatur ab omnibus supplicium sumi de captiuis putatur. iste quasi praeda sibi aduecta, non praedonibus captis, si qui senes aut deformes erãt, eos in hostiũ numero ducit: qui aliquid formæ, ætatis, artificijq; habebant, abducit omnes nonnullos Scribis suis, filio, cohortiq; distribuit: symphoniacos homines sex cuidam amico suo Romam muneri misit. nox illa tota eximiamenda naui consumitur. Archipiratam ipsum videt, nemo de quo supplicium sumi oportuit: hodieq; omnes sic habent persuasum (quid eius sit, vos cõiectura quoque assequi debetis) istum clã à piratis ob hunc Archiparatam pecuniam accepisse.* Coniectura bona est. iudex esse bonus nemo potest, qui suspicione certa non mouetur. hominem nostis, consuetudinemq; omnium tenetis: qui ducẽ prædonum aut hostium ceperit, quam libenter eum palam ante oculos omnium esse patiatur. Hominem in tanto cõuentu Syracusis vidi neminem, Iudices, qui Archipiratam captum vidisse se diceret, cum omnes, vt mos est, vt solet fieri, concurrerent, quærerent, videre cuperent. Quid accidit, cur tantopere iste homo occultaret ur? vt eum ne casu quidem quisquã aspicere posset? Homines maritimi Syracusis, qui sæpè istius ducis nomen audissent: cum eum sæpè timuissent, cum eius cruciatu atque supplicio pascere oculos, animumq; exaturare vellent, potestas aspiciendi nemini facta est. * Vnus plures prædonum duces viuos cepit. P. Seruilius, quam omnes

62

64

65

antea. Ecquando igitur isto fructu quisquam caruit, vt videre piratã cap ũ non liceret? At contra, quã ũq; iter fecit, hoc iucundissimũ spectaculum omnibus victorum captorũq; hostium præbebat. Itaque ei cõcursus vndiq; fiebant: vt nõ modo ex his oppidis quæ ducebantur, sed etiã ex finitimis visẽdi causa conuenirent. Ipse aũt triũphus quamobrẽ omnium triumphorum gratissimus Pop. Rom fuit, atq; iucundissimus? quia nihil est victoria dulcius: nullũ est autem testimonium victoriæ certius quã quos sæpe metueris, eos te victos ad supplicitũ duci
66 videre?* Hoc tu quamobrem non fecisti? quamobrem ita iste pirata celatus est, quasi eum aspicere nefas esset? quamobrem supplicium non sumpsisti? quam ob causam hominem reseruasti? ecquem audisti in Sicilia antea captum Archipiratam, qui nõ securi percussus sit? vnum cedo, autorem tui facti, vnius profer exemplum. viuum tu Archipiratam seruabas: quem per triumphum credo, quem ante currum tuum duceres. neq; enim quicquam erat iam reliquum, nisi vt classe Pop. Rom. pulcherrima amissa, prouinciaq; lacerata, triumphus naualis tibi decerneretur.
67 * Age porrò, custodiri ducem prædonum nouo more, quam securi ferri omnium exemplo magis placuit. Qua sunt istæ custodiæ? apud quos homines? quemadmodum est asseruatus? Latomias Syracusanas omnes audistis, plerq; nostis, opus est ingens magnificum, Regum, ac Tyrannorum: totum est ex saxo in mirandam altitudinem depresso, & multorum operum pemius excisa. nihil

tam

tam clausum ad exitus, nihil tã sceptrum vndiq; nihil tam tutum ad custodias nec fieri, nec cogitari potest. in has Latomias, si qui publicè custodiendi sunt, etiam ex cæteris oppidis Siciliæ deduci imperãtur. *Quòd cò multos captiuos ciues Romanos coniecerat, & quod eodẽ cæteros piratas contrudi imperarat, intellexit, si hunc subditicium Archipiratam in eandem custodiam dedisset, fore vt à multis illis in Latomijs verus ille dux quæreretur, itaque hominẽ huic optimæ tutissimæq; custodiæ nõ audet committere, deniq; Syracusas totas timet, amandat hominem. quo? Lilybæum fortasse. video: tamen homines maritimos non planè reformidat. minimè, Iudices. Panormum igitur? audio: quanquam Syracusis, quoniam in Syracusano captus erat, maximè si minus supplicio affici, at custodiri oportebat. ne Panormũ quidem. *Quid igitur? quo putatis? ad homines à piratarũ metu & suspicione alienissimos, à nauigando rebusque maritimis remotissimos, ad Cẽturipinos, homines maximè mediterraneos, summos aratores, qui nomen nunquã audiuissent maritimi prædonis, vnũ te prætore horruissent Apronĩ terrestrem Archipiratam. Et vt quam facilè perspiceret, id ab isto actũ esse, vt ille suppositus facilè & libenter se illum qui non erat, esse simularet: imperat Centuripinis, vt is victu cæteriq; rebus quam liberalissimè commodissimeq; habeatur. *Interea Syracusani homines periti, & humani, qui non modo ea, quæ perspicua essent, videre, verũ etiã occulta suspicari possent; habebant

62

69

70

ſationem omnes quotidie piratarum, qui ſecuri fe-
rirentur: quam multos eſſe oporteret, ex ipſo naui-
gio, quod erat factum ſex remorum numero, con-
iiciebant. Iſte quod omnes qui artifi ij aliquid ha-
buerant, aut formæ, remouerat atque abduxerat:
reliquos, ſi vt conſuetudo eſt, vniuerſos ad palū al-
ligaſſet, clamorem populi fore ſuſpicabatur, cum
tanto plures abducti eſſent, quam relicti. propter
hanc cauſſam cum inſtituiſſet alios alio tempore
producere: tamen in tanto conuentu nemo erat,
quin rationem numerumq; haberet, & reliquos
non deſideraret ſolum, ſed etiam poſceret & flagi-
71 taret.* Cum maximus numerus deeſſet, tum iſte
homo nefarius in eorum locum, quos domum ſuam
de piratis abduxerat, ſubſtituere & ſupponere cœ-
pit ciues Romanos, quos in carcerem antea come-
cerat: quorum alios Sertorianos milites fuiſſe inſi-
mulabat, & ex Hiſpania fugientes ad Siciliā ap-
pulſos eſſe dicebat: alios qui à prædonibus erāt ca-
pti, cū mercaturas facerent, aut aliquam ob cauſſā
nauigarent. ſua voluntate cum piratis fuiſſe argue-
bat. Itaq; alij ciues Ro. ne cognoſcerētur, capitibus
obuolutis è carcere ad palum, atque ad necē rapie-
bantur: alij cum à multis ciuibus Ro. recognoſcerē-
tur, ab omnibus defenderentur, ſecuri feriebān-
tur. Quorum ego de acerbiſſima morte, crudeliſſi-
moq; cruciatu dicam, cum eū locum tractare cœ-
pero: & ita dicam, vt ſi me in ea querimonia, quā
ſum habiturus de iſtius crudelitate, & de ciuium
Ro. indigniſſima morte, non modo vires, verum et.

iam vi-

iam vita deficiat, id mihi præclarum & iucundum
putē.* Hæc igitur est gestare, hæc victoria præ- 72
clara myoparone piratico capto, dux liberatus,
symphoniaci Romam missi: formosi homines, & a-
dolescentes, & artifices domum abducti: in eorum
locum, & ad eorū numerū ciues Ro. hostilē in mo-
dum cruciati, & necati: omnis vestis ablata: omne
aurum & argentū & ablatum, & auersum. At quē-
admodū ipse sese induit priore actione? qui tot dies
tacuisset, repente in M. Annij hominis splendidis-
simi testimonio. cum is ciues Ro. dixisset, & Archi-
piratam negasset securi esse percussum: exiluit cō-
scientia sceleris, & furore ex maleficijs concepto
excitatus. dixit se, quod scīret sibi crimini datum
iri, pecuniam accepisse, neque de vero Archipirata
sumpsisse supplicium, ideo securi non percussisse: do-
mi esse apud sese Archipiratas dixit duos. * O cle- 73
mentiā Populi Romani, sed potius patientiam mi-
ram ac singularem ciuem Roman. securi esse per-
cussum Annius eques Romanus dicit. taces. Archi-
piratam negat. fateris. fit in eo gemitus omnium
& clamor. cum tamen à præsenti supplicio tuo se
continuit Pop. Rom. & repressit, & salutis tuæ ra-
tionem iudicum seueritati reseruauit. Qui sciebas
tibi crimini datum iri? quamobrē sciebas? quam-
obrem etiam suspicabare? inimicū habebas neminē.
si habueres, tamē non ita vixeras, vt metum iudicij
propositum habere debes. antè te, id q̄ fieri solet
conscientia timidum, suspiciosūq; faciebat? quid
igitur cum esses cum imperio, iam tū iudicium &

crimen horrebas: reus cum tot testibus coarguare,
74 potes de damnatione dubitare? * Verum si crimen
hoc metuebas, ne quis abs te suppositū esse diceret,
quis pro Archipirata securi feriretur, vtrum, tandē
tibi ad defensionem firmius fore putasti? in iudicio
coactu atque efflagitatu meo producere ad ignō-
tos tanto post eum quem Archipiratā esse aiebas?
an recenti re, Syracusanis apud notos, inspectante
Sicilia penè tota, securi ferire? vide quid interfit
vtrum faciendū fuerit. in illo reprehensio nulla esse
potuit: hoc defensio nulla est. itaque illud semper
omnes fecerunt: hoc quis ante te, quis præter te fe-
cerit, quæro. Piratam viuum tenuisti. quem ad fi-
nem? dum cum imperio fuisti? quamobrem? quā ob
causam? quo exemplo? cur tam diu? cur, inquam,
ciuibus Romanis quos pirata ceperant, securi sta-
tim percussis, ipsis piratis lucis vsuram tam diu-
75 turnam dedisti? * Verum esto, si tibi illud liberum,
omne tempus, quod cum imperio fuisti, etiāne pri-
uatus, etiamne reus, etiamnè penè damnatus, ho-
stium duces priuata in domo detinuisti? Num, al-
terum mensem, prope annum: deniq; domi tuæ pi-
ratæ, à quo tempore capti sunt, quoad per me lici-
tū est, fuerunt: hoc est quoad per M. Acilium Gla-
brionem licitum est, qui postulāte me, produci atq;
in carcerem condi imperauit. Quod est huiusce rei
ius? quæ consuetudo? quod exemplum? hostē acer-
rimum atque infestissimum Popu. Rom. seu potius
communem hostē, gentium, nationumq; omnium,
quisquam omnium mortalium priuatus intra mœ-
nia do-

nia domi suæ retinere posset? * Quid si pridie, quã 76
à me tu coactus es cõfiteri, ciuibus Rom. securi per-
cussis prædonum ducem viuere, apud te habitare: si
inquam, pridie domo tua profugisset, si aliquã ma-
num contra Populum Rom. facere potuisset: quid
diceres? apud me habitauit, mecũ fuit, ego illum ad
iudicium meum, quo facilius crimen inimicorum
diluere possem, viuum atq; incolumem reseruaui.
Itane vero? tu tua pericula communi periculo de-
fendes? tu supplicia, quæ debẽtur hostibus victis, ad
tuũ, non ad Po. Ro. tempus conferes? Po. Ro. hostis
priuatus custodijs asseruabitur? At etiam qui triũ-
phant eorũq; diutius viuos hostium duces seruãt, vt
his per triumphum ductis pulcherrimũ spectaculũ,
fructũq; victoriæ Populus Romanus percipere possit:
tamen cum de foro in Capitolium currum flectere
incipiunt, illos duci in carcerem iubent: idemque
dies & victoribus imperij & victis vitæ finẽ facit.
* Et nunc credo esse dubium, quin tu id commissu- 77
rus non fueris: præsertim cum statuisses, vt ais, ti-
bi causã esse dicendã, vt ille Archipiratanõ potius
securi feriretur, quã, quod erat ante oculos positũ,
tuo periculo viueret? Si enim esset mortuus, tu qui
crimen ais te metuisse, quæro cui probares, cũ con-
staret istum Syracusis ab nullo visum esse Archipi-
ratam, ab omnibus desideratum? Cum dubitaret
nemo, quin abs te pecunia liberatus esset: cum vul-
go loquerentur suppositum in eius locum, quem pro
illo probare velles: cum tute fassus esses, te id cri-
men tanto ante metuisse: si eũ diceres esse mortuũ,

quis te audiret? nunc cum viuum istum nescio quē
78 produces, tamen te derideri vides. * Quid si au-
fugisset? si vincula rupisset? ita vt Nico ille nobi-
lissimus pirata fugit, quem P. Seruilius, qua felici-
tate ceperat: eadem recuperauit. quid diceres? Ve-
rum hoc erat si ille semel verus Archipirata secu-
ri percussus esset, pecuniam illam nō haberes: si hic
falsus esset mortuus, aut profugisset: nō esset difficile
alium in suppositi locum supponere. Plura dixi,
quam volui, de illo Archipirata, & tamen ea quæ
certissima sunt huius criminis argumenta, prætermisi, volo enim mihi totum esse crimen hoc integrum, est certus locus, certa lex, certum tribunal,
79 quo hoc reseruetur. * Hac tanta præda auctus, mā-
cipijs, argento, veste locupletatus, nihilo diligētior
ad classem ornandam, milites reuocandos alēdosq;
esse cœpit: cum eares non solum prouinciæ saluti,
verū etiam ipsi prædæ esse posset. Nam æstate sum-
ma, quo tempore cæteri Prætores obire prouinciā,
& concursare consueuerunt: aut etiam in tanto
prædonū metu, & periculo ipsi nauigare: eo tēpore
ad luxuriam, libidinesq; suas domo sua regia, quæ
Regis Hieronis fuit, qua Prætores vti solēt, contentus non fuit, tabernacula, quemadmodum consue-
uerat temporibus æstiuis: quod antea tam demon-
straui, carbaseis intenta velis collocari iussit in li-
tore: quod est littus in insula Syracusis post Are-
thusæ fontem, propter ipsum introitum atque ostium
80 portus, amœno sane & ab arbitris remoto loco. * Hic
dies æstiuos sexaginta Prætor Pop. Rom. custos ae-

sensorq; prouinciæ sic vixit, vt muliebria quotidie conuiuia essent, vir accumberet nemo præter ipsum & prætextatum filium: tametsi recte sine exceptione dixeram, virum, cum isti essent, neminem fuisse. nonnunquam etiã libertus Timarchides adhibebatur: mulieres autẽ nuptæ nobiles, præter vnam Mimi Isidori filiam, quam iste propter amorem ab Rhodio tibicine abduxerat: Pippa quædam, vxor Aeschrionis Syracusani: de qua muliere plurimi versus, qui in istius cupiditatem facti sunt tota Sicilia percelebrantur. * Erat Nice facie exi- 81
mia, vt prædicatur, vxor Cleomenis Syracusani. hanc Cleomenes vir amabat: veruntamen huius libidini aduersari nec poterat, nec audebat: & simul ab isto donis beneficijsq; plurimis deuinciebatur. illo autem tempore iste, tametsi ea est hominis impudentia, quam nostis, ipse tamen cum vir esset Syracusis, vxorem eius parum poterat animo soluto ac libero tot in acta dies secum habere: itaque excogitat rem singularem. naues, quibus Legatus præfuerat, Cleomeni tradit, Classi Pop. Rom. Cleomenem Syracusanum præesse iubet atque imperat. hoc eo facit, vt ille non solum abesset à domo tum cũ nauigaret: sed etiam libenter cum magno honore, beneficioq; abesset: ipse autem remoto atque ablegato viro, non liberius quam ante (quis enim vnquam istius libidini obstitit?) sed paulo solutiore tamen animo secum illam haberet, si non tanquam virum, at tanquam æmulum remouisset. * Acci- 82
pit nauem sociorum, atque amicorum Cleomenes

Syracusanus Quid primum aut accusem aut querar, Iudices? Siculo ne homini, Legati, Quæstoris, Prætoris, denique potestatē, honorem, authoritatē dari? Si te impediebat ista conuiuiorum mulierumque occupatio: vbi quæstores? vbi Legati? vbi ternis denariis æstimatum frumentum? vbi muli? vbi tabernacula? vbi tot tantaq; ornamenta magistratibus & Legatis à Senatu Populoque Ro. permissa & data? denique vbi Præfecti, & Tribuni tui? Si ciuis Rom. dignus isto negocio nemo fuit, quid ciuitates quæ in amicitia fideque po. Ro. perpetuo mānserant? vbi Segestana? vbi Centuripina ciuitas, quatum officijs fide, vetustate: tum etiam cognatione Po. Rom. nomen attingunt? O dij immortales quid si harum ipsarum ciuitatum militibus, nauibus, Nauarchis, Syracusanus Cleomenes iussus est imperare? non omnis honos ab isto dignitatis, æquitatis officijque sublatus est? Ecquod in Sicilia bellum gessimus, quin Centuripinis socijs, Syracusanis hostibus uteremur? atq; hæc omnia ad memoriam vetustatis, non ad contumeliam ciuitatis referri volo. Itaque ille vir clarissimus, summusq; Imperator M. Marcellus, cuius virtute capta, misericordia conseruata sunt Syracusæ: habitare in ea parte vrbis, quæ insula est, Syracusanum neminem voluit, hodie, inquā, Syracusanis in ea parte habitare non licet: est enim locus, quem vel pauci possunt defendere. committere igitur eum non fidelissimis hominibus noluit simul quod ab illa parte vrbis nauibus aditus ex alto est. quamobrē qui nostros exercitus

sæpe

sæpe excluserant, iis claustra loci committenda non existimauit.* Vide quid interfit inter tuam libidinē 84
maiorumque autoritatem: inter amorem furoremque tuam, & illorum consilium atque prudentiā. illi aditū litoris Syracusanis ademerunt: tu maritimum imperium concessisti: illi habitare in eo loco Syracusanū quo naues accedere possent, noluerunt: tu classi & nauibus Syracusanum præesse voluisti. quibus illi vrbis suæ partem ademerunt, iis tu nostri imperij partem dedisti: & quorum sociorum opera Syracusani nobis dicto audientes sunt, eos Syracusanis dicto audientes esse iussisti.* Egreditur Centuripina 85
quadriremi Cleomenes è portu: sequitur Segestana nauis, Tyndaritana, Herbitensis, Heraclensis, Apolloniensis, Halūtina: præclara classis in speciem, sed inops, & infirma propter dimissionē propugnatorū atq; remigū. tandiu in imperio suo classem iste Prætor diligens vidit, quamdiu conuiuium eius flagitiosissimum præterueeta est. ipse autem qui visus multis diebus non esset, tum se tamen in conspectum nautis paulisper dedit. stetit soleatus Prætor Pop. Rom. cum pallio purpureo, tunicaq; talari, muliercula nixus in litore. iam hoc ipso istum vescitu Siculi ciuesq; Romani permulti sæpe viderūt.* Posteaquā paulū prouecta classis est, & Pachynum quinto die denique appulsa est, 86
nautæ fame coacti, radices palmarum agrestium, quarum erat in illis locis, sicut in magna parte Siciliæ, multitudo, colligebant, & his miseri perditique alebantur. Cleomenes autem, qui aliorum

se Ver-

& Verrem cum luxuria, atque nequitia, tum etiã imperio putaret: similiter totos dies, in litore tabernaculo posito perpotabat. Ecce autem repente ebrio Cleomenẽ, esurientibus cæteris, nunciatur piratarum naues esse in portu Edissæ. nam ita is locus nominatur. nostra autem classis erat in portu Pachym. Cleomenes autẽ, quod erat terrestre præsidium nõ re, sed nomine, sperabat ijs militibus quos ex eo loco deduxisset. explere se numerum nautarum & remigum posse reperta est eadem istius hominis auaritiæ ratio in præsidijs, quæ in classibus:
87 nam erant perpauci reliqui, cæteri g3 dimissi. *princeps Cleomenes in quadriremi Ceturipina malum erigi, vela ferri, præcidi anchoras imperauit: & simul, vt se cæteri sequerentur signũ dari iussit. hæc Centuripina nauis erat incredibili celeritate velis. Nam forte isto prætore nemo poterat, quid quæque nauis remis facere posset. Etsi in hac quadriremi propter honorem & gratiam Cleomenis minime multi remiges & milites deerant. Euolarat tamè conspectu fere fugiens quadriremis, cum etiam tunc cæteræ naues suo in loco moliebantur. *Erat animus in reliquis, quamquam erant pauci, quoquo modo sese res haberet, pugnare tamen se velle clamabant: & quod reliquum vitæ viriumque fames fecerat, id ferro potissimum reddere volebant. Quod si Cleomenes non tanto ante fugisset,
88 aliqua tamen ad resistendum ratio fuisset, erat enim sola illa nauis constrata, & ita magna, vt propugnaculo cæteris posset esse. quæ si in prædonũ pu-

gna

gna versaretur, vrbis instar habere inter illos pira-
ticos myoparones videretur, eundem necessario
cursum tenere cœperunt.* Pelorum versus, sed tũc 89
inopes relicti à duce perfectoq; classis, vt ipse Cle-
omenes, ità cateri nauigabant: neque ita tamen tã
prædonum fugiebant impetum, quam Imperato-
rem, sequebãtur. Tum vt quisq; in fuga postremus,
ita periculo princeps erat: postremam enim quam-
que nauem piratæ primam adoriebantur: ita pri-
ma Haluntinorum nauis capitur, cui præerat Ha-
luntinus homo nobilis Pilarchus, quem ab illis prę-
donibus Locrenses postea publice redemerunt, ex
quo vos priore actione iurato rem omnẽ, caussamq;
cognostis. deinde Apolloniensis nauis capitur, & eius
præfectus Antropinus occiditur.* Hæc dum agun- 90
tur, interea Cleomenes iam ad Pelori litus perue-
nerat, iam sese in terram è naui iecerat, quadri-
remẽmq; in sallo fluctu autem reliquerat. reliqui
præfecti nauium, cum in terram Imperator exis-
set, cum ipsi neque repugnare, neque mari effugere
vllo modo possent, appulsis ad Pelorũ nauibus Cleo-
menem persecuti sunt. Tunc prædonum dux He-
racleo, repente, præter spem, non sua virtute, sed i-
stius auaritia nequitiaq; victor, classem pulcherri-
mam Pop. Ro. in litus expulsam & eiectam, cum
primum adversperasceret, inflammari incendiq;
iussit.* O tempus miserum, atq; acerbũ prouinciæ 91
Siciliæ. O casum illum multis innocẽtibus calami-
tosum, atque funestum. O istius nequitiã ac turpi-
tudinẽ singularem. vna atq; eadem nox erat, quæ

Prætor

Prætor amoris turpissimi, flamma, ac classis Po. Ro. prædonum incendio conflagrabat. Affertur nocte intempesta grauis huiusce mali nuncius Syracusas: curritur ad Prætorium, quo istum è conuiuio illo præclaro reduxerant paulò antè mulieres cum cantu, atque symphonia. Cleomenes, quanquam nox erat, tamen in publico esse non audet: includit se domi: neque aderat vxor, quæ consolari hominem in malis posset.* 92
Huius autem præclari Imperatoris ita erat seuera domi disciplina, vt in re tanta, in tam graui nuncio nemo admitteretur: nemo esset, qui auderet, aut dormientem excitare, aut interpellare vigilantem. Iam vero, re ab omnibus cognita, concursabat vrbe tota maxima multitudo. non enim, sicut antea consuetudo erat, prædonum aduentū significabat ignis è specula sublatus, aut tumulo: sed flamma ex ipso incendio nauium & calamitatem acceptam, & periculū reliquum nunciabat. Cum Prætor quæreretur, & constaret ei neminem nunciasse: fit ad domum eius cum clamore concursus atque impetus.* Tum iste excitatus exit, audit rē omnem ex Timarchide, sagū sumit. lucebat iā ferè, procedit in medium, vini, somni, stupri plenus. Excipitur ab omnibus eiusmodi clamore, vt ei Lampsaceni periculi similitudo versaretur ante oculos: hoc etiam maius hoc videbatur, in odio simili multitudo hominum hæc erat maxima. tum istius acta commemorabantur, tum flagitiosa illa conuiuia: tum appellabantur à multitudine mulieres nominatim: tum quærebatur ex ipso palàm, tot 93

dies

dies continuos, per quos nunquam visus esset, vbi fuisset? quid egisset? tum Imperator ab isto præpositus Cleomenes flagitabatur: neque quicquam propius est factum, quàm vt illud Vticense exemplum de Adriano transferretur. Syracusas, vt duo sepulchra duorum Prætorum improborũ, duabusq; in prouincijs constituerentur. Verùm habita est à multitudine ratio temporis, habita est tumultus, habita etiam dignitatis, existimationisq; cõmunis: quod is conuentus Syracusijs ciuium Romanorum, vt non modo illa prouincia, verũ etiam hac Rep. dignissimus existimetur. * Confirmant ipsi se, cum is etiã tum semisomnis stupere- 94
ret. arma capiunt, totum forũ atque insulam, quæ est vrbis magna pars, complent. Vnã illam solam noctem prædones ad Pelorum commorati, cum fumantes etiam nostras naues reliquisset, accedere incipiunt ad Syracusas qui videlicet sæpè audissent, nihil esse pulchrius, quàm Syracusarum mœnia ac portus: statuerant, sese, si ea Verre Prætore non vidissent, nunquam esse visuros. * & primo ad illa æstiua Prætoris 95
accedunt, ipsam illam ad partem litoris, vbi iste per eos dies tabernaculis positis castra luxuriæ collocarat. quem posteaquam inanem locum offenderunt, & Prætorem commouisse ex eo loco castra senserunt, statim sine vllo metu in portum ipsum penetrare cœperunt. Cum in portum dico, Iudices (explanandum est enim diligentius eorum caussa, qui locum ignorant) in vrbem dico, atque in vrbis intimam partem venisse piratas. non enim portu illud

oppidum clauditur, sed vrbe portus ipse cingitur
& concluditur: nonvt alluantur à mari mœnia ex-
96 trema, sed influat in vrbis sinũ portus.* Hic te Prætore Heracleo Archipirata cum quatuor myoparonibus paruis ad arbitrium suum nauigauit. Pro dij immortales piraticus myoparo, cum imperium populi Romani, nomen, ac fasces essent Syracusis, vsq; ad forũ, & ad omnes vrbis crepidines accesit: quò neque Carthaginensium gloriosissimæ classes, cum mari plurimum poterant, multis bellis sæpè conata, vnquam aspirare potuerunt: neque Populi Romani inuicta antè te Prætorem gloria illa naualis vnquam tot Punicis, Sicilienssibusque bellis penetrare potuit: qui locus eiusmodi est, vt antè Syracusani in mœnibus suis, in vrbe, in foro hostem armatũ ac victorem quam in portu vllam hostium nauem vi-
97 derent.* hic te Prætore prædonum nauicula peruagatæ sunt, quò Athenienssium classis sola post hominum memoriam CCC. nauibus vi, ac multitudine inuasit: quæ in eo ipso portu, loci ipsius portusque natura victa, atque superata est. hic primum opes ipsius ciuitatis victæ, comminutæ, depressæq; sunt: in hoc portu Athenienssium nobilitatis imperij, gloriæ naufragium factum existimatur: eone pirata penetrauit? quò simul atq; adisset, non modo à latere, sed etiam à tergo magnam partem vrbis relinqueret. Insulam totam præteruectus est: quæ est vrbs magna pars Syracusis suo nemine ac mœnibus quo in loco, maiores (vt antè dixi) Syracusanum quenquam habitare vetuerunt:

quòd

quòd qui illam partem vrbis tenuerint, in eorum po- 98
testatem portum futurum intelligebant. * At quem-
admodum est peruagatus? radices palmarum agrestiũ
quas in nostris nauibus inuenerant, iacebant, vt om-
nes istius improbitatem & calamitatem Siciliæ pos-
sent cognoscere: Siculosné milites? aratorumné libe-
ros? quorum patres tantum labore suo frumenti exa-
rabant, vt Pop. Rom. totiúe Italiæ suppeditare pos-
sent: eosné in insula Cereris natos, vbi primum fruges
inuentæ esse dicuntur, eo cibo esse vsos, à quo maiores
eorum cæteros quoque frugibus inuentis remouerunt?
Te Prætore Siculi milites palmarum stipitibus, præ-
dones Siculo frumento alebantur. * O spectaculum 99
miserum atque acerbum, ludibrio esse vrbis gloriam,
Po. Ro. nomen: hominum conuentu, atque multitu-
dine, piratico myoparone, inportu Syracusano de clas-
se Po. Rom. triumphum agere piratam, cum Prætoris
nequissimi inertissimiq; oculos prædonum remi res-
pergerent. Posteaquam è portu piratæ non metu ali-
quo affecti, sed satietate exierant, tum cœperunt
quærere homines causam illius tantæ calamitatis: di-
cere omnes, & palam disputare, minimè esse mirandum,
si militibus remigibusque dimissis, reliquis, ege-
state & fame perditis, Prætore tot dies cum mulier-
culis perpotante, tanta ignominia & calamitas esset
accepta. * hæc autem istius vituperatio, atque infamia
confirmabatur eorum sermone, qui à suis ciui- 100
tatibus illis nauibus præpositi fuerant: qui ex illo
numero reliqui Syracusas classe amissa refugerant.

dicebant, quos ex sua quisque naui missos sciret esse. res erat clara; neque solum argumentis, sed etiam certis testibus istius audacia tenebatur. homo certior fit agi nihil in foro, & conuentu tota die, nisi hoc quæri à Nauarchis, quemadmodum classis sit amissa. illos respondere, & docere vnumquemque missione remigum, fame reliquorum, Cleomenis timore & fuga. Quod posteaquã iste cognouit, hanc rationem habere cœpit. causam sibi dicendam esse statuerat iam antè, quàm hoc vsu veniret: ita vt ipsum priore actione dicere audistis. Videbat illis Nauarchis testibus, tantum hoc crimen sustinere se nullo modo posse: consilium capit primo stultum, veruntamen clemens.* Cleomenem &
101 Nauarchos ad se vocari iubet. veniunt. accusat eos, quod huiusmodi de se sermones habuerint: rogat, vt id facere desistant, & in sua quisque naui dicat se tantum habuisse nautarum, quantũ oportuerit, neque quenquã esse dimissum: Illi enimuero se ostendũt, quod vellet, esse facturos. Iste non procrastinat, aduocat amicos statim: quærit ex his sigillatim, quot quisque nautas habuerit. respondit vnusquisque vt erat præceptum. Iste in tabellas refert, obsignat signis amicorũ prouidens homo: vt contra hoc crimen, siquando opus esset, hac videlicet testificatione vteretur.* Deri-
102 sum credo esse hominem amentem à suis consiliarijs: & admonitum, hasce ei tabellas nihil profuturas: etiam plus ex nimia Prætoris diligentia suspicionis in eo crimine futurum. Iam iste erat hac stultitiæ multis in rebus vsus, vt publicè quoq; quæ vellet, in ciui-

ta-

uitatum litteris & tolli & referri iuberet, quæ omnia nunc intelligit sibi nihil prodesse, posteaquam certis litteris, testibus, autoritatibusq; conuincitur. vbi hoc videt, illorũ confessionem, testificationem suam, tabellas sibi nullo adiumento futuras: init consilium, non improbi Prætoris (nam id quidem esset ferendum) sed importuni atque amentis tyranni. statuit, si hoc crimen extenuare vellet (nam omnino tolli posse non arbitrabatur) Nauarchos omnes testes sui sceleris vita esse priuandos.* Occurrebat illa ratio: Quid Cleomeni fiet? poterò ne animaduertere in eos, quos dicto audientes esse iussi? missum facere eum, cui imperium potestatemque permisi? poterò ne eos afficere supplicio, qui Cleomenem seruati sunt? ignoscere Cleomeni, qui secum fugere, & se consequi iussit? poteronè in eos esse vehemens, qui naues inanes non modo habuerunt, sed etiam apertas? in eum dissolutus, qui solus habuerit constratam nauem, & minus exinanitam? Pereat Cleomenes vnà. vbi fides? vbi execrationes? vbi dextræ, complexusque? vbi illud contubernium muliebris militiæ in illo delicatissimo litore? fieri nullo modo poterat, quin Cleomeni parceretur.* Cleomenem vocat, dicit ei se statuisse animaduertere in omnes Nauarchos. ità sui periculi rationes ferre ac postulare. tibi vni parcam, & totius istius culpæ crimen, vituperationemque inconstantiæ potius suscipiam, quam aut in te sim crudelis, aut tot, tam graues testes viuos incolumesque esse patiar. agit gratias Cleomenes, approbat consilium, dicit ita fieri oportere. ad-

103

104

monet tamen illud, quod istum fugerat, in Phalargum Centuripinum Nauarchum non posse animaduerti, propterea, quod secum fuisset vna in Centuripina quadriremi. Quid ergo? iste homo ex eiusmodi ciuitate, adolescens nobilissimus, testis relinqueturne præsentia, inquit Cleomenes, quoniam ita necesse est: sed post aliquid videbimus: ne iste nobis obstare
105 possit.* Hæc postea quam acta & constituta sunt, procedit iste repente è Prætorio inflammatus scelere, furore, crudelitate, in forum venit. Nauarchos vocari iubet, qui nihil suspicarentur, statim accurrunt. Iste hominibus miseris innocentibusque iniici catenas imperat, implorare illi fidem Populi Rom. & quare id faceret, rogare. tunc iste hoc caussæ dicit, quod classem prædonibus prodidissent. Fit clamor & admiratio populi, tantã esse in homine impudentiam atq; audaciam, vt aut alijs caussam calamitatis attribueret, quæ omnis propter auaritiam ipsius accidisset: aut cum ipse prædonum socius putaretur, alijs proditionis crimen inferret. deinde hoc quinto decimo
106 die crimẽ esse natum, postquam classis esset amissa.* Cum hæc fierent quærebatur vbi esset Cleomenes, non quo illum ipsum, cuiusmodi esset, quisquam supplicio propter illud incommodum dignum putaret. nam quid Cleomenes facere potuit (non enim possum quenquã insimulare falsò) quid, inquam, magnopere potuit Cleomenes facere, istius auaritia nauibus eximanitis? atq; eũ vident sedere ad latus Prætoris, &

ad aurem

ad aurem familiariter, vt solitus erat, insusurrare: tum verè omnibus indignissimum visum est homines honestissimos, electos ex suis ciuitatibus in ferrum atque in vincula coniectos: Cleomenem propter flagitiorum, ac turpitudinis societatem familiarissimum esse Prætoris.* apponitur his ta- 107
men accusator Nauius Turpio quidam, qui C. Sacerdote Prætore iniuriarum damnatus est, homo bene appositus ad istius audaciam: quem iste in decumis, in rebus capitalibus, in omni calumnia, præcursorem habere solebat & emissarium. Venium Syracusas parentes propinquiq; miserorum adolescentium hoc repentino calamitatis suæ commoti nuncio: vinctos aspiciunt catenis liberos suos, cum istius auaritia pœnam collo, & ceruicibus suis sustinerent: adsunt, defendunt, proclamant. fidem tuam, quæ nusquam erat, nec vnquam fuit, implorant. Pater aderat Dexio Tyndaritanus homo nobilissimus, hospes tuus cuius tu domi fueras, quem hospitem appellaras. eum cum illa autoritate, & miseria videres præditum, non te eius lachryma, non senectus, non hospitij ius, atque nomen à scelere aliquam ad partem humanitatis reuocare potuit? * Sed quid ego hospitij iura in hac tam im- 108
mani bellua commemoro? qui Sthenium Termitanum hospitem suum, cuius domum per hospitium exhausit, & exinaniuit, absentem in reos retulerit, causa indicta capite damnarit: ab eo nunc hospitiorum iura, atq; officia quæramus? cum homine enim crudeli nobis res est, an cum fera atque

immani bellua? te patris lachrymæ de innocentis filij periculo non mouebant? cum patrem domi reliquisses, filium tecum haberes: te neque præsens filius de liberorum charitate, neque absens pater
109 de indulgentia patria commonebat. * Catenas habebat hospes tuus Aristeus, Dexionis filius. Quid ita? prodiderat classem. quod ob præmium? deseruerat exercitū. Quid Cleomenes? ignauus fuerat. at eum tu ob virtutem, corona aurea donaras. dimiserat nautas. at ab omnibus tu mercedem missionis acceperas. Alter parens ex altera parte erat Herbitensis Eubulidæ, homo domi suæ clarus & nobilis: qui quia Cleomenem in defendendo filio læserat, nudus penè est destitutus. Quid erat autem, quod quisquam diceret, aut defenderet? Cleomenem nominare non licet, at caussa cogit, moriere si appellaris: nunquā enim iste est cuiquam mediocriter minatus. At remiges non erant. Prætorem, tu accusas? frange ceruicem. Si neque Prætorem neque Prætoris æmulum appellare licebit: cum in his duobus tota caussa
110 sit, quid futurum est? * Dicit etiam caussam Heraclius Segestanus homo domi suæ summo loco natus. Audite vt vestra humanitas postulat, Iudices. audietis enim de magnis incommodis iniuriisque sociorum. Hunc scitote fuisse Heraclium in ea caussa, qui propter grauem morbum oculorum tum non nauigarit, & iussu eius qui potestatem habuit, in commeatu Syracusis remanserit. Iste certe neque prodidit classem, neque metu perterritus fugit, neque exercitum

citum deseruit. etenim tunc esset hoc animaduersum, cum classu Syracusis proficiscebatur. is tamen in eadem caussa fuit, quasi esset in aliquo manifesto scelere deprehensus, in quē ne falso quidē caussa conferre criminis potuit.* Fuit in illis Nauarchis Heracliēsis quidā Furius (nā habēt illi nonnulla huiuscemodi latina nomina) homo quandiu vixit, domi suæ, non solum post mortem tota Sicilia clarus, & nobilis. in quo homine tantum animi fuit, non solum vt istum liberè læderet (nam id quidem, quoniam moriendum videbat, sine periculo se facere intelligebat) verum morte proposita cum lachrymans in carcere mater noctes dieſque assideret defensionem caussæ suæ scripsit: quam nunc nemo est in Sicilia, quin habeat, quin legat, quin tui sceleris & crudelitatis ex illa oratione commonefiat. In qua docet, quot à ciuitate sua nautas acceperit: quot, & quanti quenque dimiserit: quot secum habuerit. item de cæteris nauibus dicit. quæ cum apud te diceret, virgis oculi verberabantur illo, morte proposita, facile dolorem corporis patiebatur, clamabat, id quod scriptum reliquit: facinus esse indignum, plus impudicissimæ mulieris apud te de Cleomenis salute, quam de sua vita lachrymas matris valere.* deinde etiam illud video esse dictum: quod, si rectè vos populus Rō. cognouit, non falso ille iam in ipsa morte de vobis prædicauit: non posse Verrem testes interficiendo, crimina sua extinguere: grauiorem apud sapientes iudices se fore ab inferis testem, quam, si viuus in iudicium produceretur

III

IIII

tur. tum auaritiæ solum, si viueret: nunc cum ita esset necatus, sceleris audaciæ, crudelitatis testē fore. Iam illa præclara: non testiū modo cateruas, cū tua res ageretur, sed tū à diys Manibus innocentiū pœnas, sceleratorumq; furias in tuum iudiciū esse venturas, seseq; ideo leuiorem casum suum fingere, q; iam antè aciem securium tuarum, Sextiq; tui carnificis vultum & manum vidisset, cum in con-
113 uentu ciuiū Ro. iussu tuo securi ciues Ro. ferirētur. Ne multa, Iudices, libertatem quā vos socys dedistis; hac ille in acerbissimo supplicio miserrima seruitutis abusus est. Condēnat oēs de consilij sententia, tamen neq; iste in tanta re, tot hominum, totque ciuium caussa, P. Vectium ad se accersit. Quæstorē suum, cuius consilio vteretur: neq; P. Ceruium talem virum Legatum, qui quia Legatus isto Prætore in Sicilia fuit, primus ab isto iudex reiectus est: sed de latronum, hoc est de comitum suorū sen-
114 tentia condemnat omnes. *Hic cuncti Siculi fidelissimi atq; antiquissimi socij, plurimis affecti beneficijs à maioribus nostris, grauiter commouētur, & de suis periculis fortunisq; omnibus pertimescunt. Illā clementiā mansuetudinemq; nostri imperij in tantā crudelitatē, inhumanitatēq; esse conuersā? condēnari tot homines vno tēpore nullo crimine? defensionem suorum furtorum Prætorem improbū ex indignissima morte innocentiū quærere? Nihil addi ita videtur, Iudices, ad hanc improbitatem, amentiam, crudelitatemq; posse. & rectè nihil videtur: nā si cū aliorum improbitate certet, longè omnes mil-

nes multumq; superabit. * Sed secū ipse certat: id 115
agit, vt semper superius suum facinus nouo scelere
vincat. Phalarchum Centuripinū dixerā exceptum
esse à Cleomene quod in eius quadriremi Cleome-
nes vectus esset: tamen quia pertimuerat adoles-
cens quod eandē suam causſam videbat esse, quam
illorū, qui innocentes peribant, ad hominē accedit,
Timarchides, à securi negat esse ei periculum: vir-
gis ne cæderetur, monet vt caueat. Ne multa. ipsū
dicere adolescentem audisti is, sed ob hunc virgarū
metū, pecuniam Timarchidi numerasse. * Leuia 116
sūt hæc in hoc reo crimina, metū virgarū Nauar-
chus nobilissimæ ciuitatis precio redemit: humanū.
alius ne condemnaretur, pecuniam dedit: vsitatum
est non vult Pop. Rom. obsoletis criminibus accu-
sari Verrem, noua postulat, inaudita desiderat: nō
de Prætore Siciliæ, sed de crudelissimo tyranno fie-
ri iudicium arbitratur. Includuntur in carcerem
condemnati: supplicium constituitur in illos: sumi-
tur de miseris parentibus Nauarchorū, prohiben-
tur adire ad filios suos, prohibentur liberis suis ci-
bū vestitumq; ferre * patres hi, quos videtis, tace- 117
bāt in limine: matresq; miseræ pernoctabant ad o-
stiū carceris, ab extremo cōplexu liberū exclusæ, q̄
nihil aliud orabant, nisi vt filiorū extremū spiri-
tum excipere sibi liceret. Aderat tantor carceris,
carnifex Prætoris, mors terrorq; sociorū & ciuium
lictor Sextius, cui ex omni gemitu doloreq; certa
merces cōparabatur, vt adeas, tantum dabis: vt ci-
bum tibi introferre liceat, tantum nemo recusa-

bat. Quid vt vno ictu securis afferam mortem filio tuo, quid dabis? ne diu crucietur? ne sæpius feriatur? ne cum sensu doloris aliquo aut cruciatu spiritus auferatur? Etenim ob hanc causam pecunia lictori da-
118 batur. *O magnum atque intolerandum dolorem, ô grauem acerbamq; fortunam, non vitam liberûm, sed mortis celeritatem precio redimere cogebantur parentes. atque ipsi etiam adolescentes cum Sextio de eadem plaga, & de vno illo ictu loquebantur: idq; postremum parentes suos liberi orabant, vt leuandi cruciatus sui causa lictori pecunia daretur. Multi & graues dolores inuenti parentibus & propinquis: multi. Veruntamen mors sic extrema non erit. estne aliquid vltra, quo progredi crudelitas posit? reperietur. Nam illorum liberi cum erunt securi percussi ac necati, corpora feris obiciëtur. hoc si luctuosum est parenti, redi-
119 mat precio sepeliendi potestatem. *Onasum Segestanum hominem nobilem dicere audistis, se ob sepulturã Heraclij Nauarchi pecuniam Timarchidi dinumerasse: hoc ne posis dicere: patres enim veniunt amissis filijs irati. vir primarius, homo nobilissimus dicit: neq; de filio dicit. Iam hoc quis tum fuit Syracusis, qui non audierit? quin sciat? has per Timarchidem pactiones sepulturæ cum viuis etiam illis esse factas? non palam cum Timarchide loquebantur? non omnes hominum propinqui adhibebantur? non palam viuorum funera locabantur? Quibus rebus omnibus actis atque decisis producuntur è carcere, & deligantur ad palum.
120 *Quis tam fuit illo tempore durus & ferreus? quis

tam

tam inhumanus, præter vnum te, qui non illorum ætate, nobilitate, miseria commoueretur? ecquis fuit, quin lachrymaretur? quin ita calamitatem putaret illorum, vt fortunam tamen non alienam, periculum autem commune agi arbitraretur. Feriuntur securi, lætaris tu in omnium gemitu, & triumphas: testes auaritiæ tuæ gaudes esse sublatos. Errabas, Verres, & vehementer errabas, cum te maculas furtorum, & flagitiorum tuorum, sociorum innocentium sanguine eluere arbitrabare: præceps amentia ferebare, qui te existimares auaritiæ vulnera crudelitatis remedijs posse sanare. Etenim quanquam illi sunt mortui sceleris tui testes, tamen eorum propinqui, neq; tibi, neq; illis desunt: tamen ex illo ipso numero Nauarchorum aliqui viuunt, & adsunt, quos vt mihi videtur, ab illorum innocentiũ pœna fortuna ad hanc causam reseruauit. * Adest Philarchus Haluntinus: qui quia cũ Cleomene non fugit, oppressus à prædonibus & captus est: cui calamitas soluti fuit: qui nisi captus à piratis esset, in hunc prædonem sociorum incidisset. dicet is pro testimonio de missione nautarum, de fame, de Cleomenis fuga. Adest Centuripinus Phalargus, in amplissima ciuitate, amplissimo loco natus. eadẽ dicit, nulla in re discrepat: * Per deos immortales, Iudices, quo tãdem animo feretis? aut hæc quemadmodum auditis? Vtrum ego desipio & plusquã satis opus est, doleo in tanta calamitate miseriaq; sociorum? an vos quoque hic acerbissimus innocentiũ cruciatus, & mœror pari sensu doloris afficit? Ego enim Herbitensem, cũ Heraclien-

121

122

vacliensem securi esse percussū dico, versatur mihi
ante oculos indignitas calamitatis. eorumne popu-
lorum ciues, eorumne agrorum colonos, ex quibus
maxima vi frumenti quotannis plebi Rom. illorū
operis ac laboribus quæritur: qui à parentibus spe
nostri imperij nostroq; æquitatis susceptī educatiq;
sunt: ad C. Verris nefariam immanitatem, & ad
123 eius securem funestam esse seruatos? * Cum mihi
Tyndaritani illius venit in mentem, cum Segesta-
ni, tum iura simul ciuitatū atq; officia considero.
quas vrbes P. Africanus etiam ornandas esse spoliis
hostium arbitratus est, eas C. Verres nō solum illis
ornamentis, sed etiā viris nobilissimis nefario sce-
lere priuauit, en q Tyndaritani libenter prædicēt,
nos in septendecim populis Siciliæ numeramus: nos
semper in omnib. Punicis Sicilienſibuq; bellis ami-
citiam fidemq; Pop Ro secuti sumus: à nobis omnia
121 Pop. Ro. semper & belli adiumenta, & pacis orna-
menta administrata sunt. Multum verò hæc his
124 iura profuerūt in istius imperio ac potestate. * Ve-
stros quondam nautas contra Carthaginē Scipio
duxit. at nunc naues contra prædones penè inanes
Cleomenes ducit. Vobiscum Africanus hostium
spolia, & præmia laudis communicauit. at nunc
per me spoliati, naue à prædonibus abducta, ipsi in
hostium numero, locoq; ducemini, Quid vero? illa
Segestanorum nō solum literis tradita, neq; cōme-
morata verbis, sed multis officijs illorū vsurpata &
cōprobata cognatio, quos tandem fructus huiusce
necessitudinis in istius imperio tulit? nempe hoc fuit
iure,

iure, iudices: vt ex sinu patris nobilissimus adolescens & è complexu matris ereptus innocens filius istius carnifici Sextio dederetur. Cui ciuitati maiores nostri maximos agros atq; optimos concesserunt: quam immunem esse voluerunt: hac tanta apud te cognationis fidelitatis, vetustatis, auctoritatis, ne hoc quidem iuris obtinuit, vt vnus honestissimi atque innocentissimi ciuis mortem & sanguine deprecaretur.* Quo cõfugiẽt socij? quem 125
implorabunt? qua spe demq; vt viuere velint tenebuntur, si vos eos deseritis? ad Senatum deuenient, qui de Verre supplicium sumat? non est vsitatum, non Senatorium. ad Po. Rom. confugient? facilis est caussa Populi: legẽ enim se sociorũ caussa iussisse, & vos ei legi custodes ac vindices præposuisse dicet. Hic locus est igitur vnus, quò perfugiant: hic portus, hæc arx, hæc ara sociorum: quo quidem nunc non ita confugiunt, vt antea in suis repetendis rebus solebant. non argentum, non aurum, non vestem, non mancipia repetunt: nõ ornamenta, quæ ex vrbibus fanisq; erepta sunt: metuunt homines imperiti, ne iam hac Pop. Rom. concedat, & ita fieri velit. patimur enim iam multos & silemus, cum videamus ad paucos homines cẽs omnium nationũ pecunias peruenisse, quòd eò magis ferre æquo animo atque concedere videmur. quia nemo istorum dissimulat, nemo laborat, vt obscura sua cupiditas esse videatur. * In vrbe nostra pulcherrima 126
atque ornatissima quod signum? quæ tabula picta est? quæ non ab hostibus victis capta atque apportata

portata sit? at istorum villæ sociorum fidelissimorũ & plurimis, & pulcherrimis spoliis ornatæ refertæque sunt. vbi pecunias exterarum nationum esse arbitramini? quibus nunc omnes egent: cum Athenas, Pergamũ, Cyzicum, Miletum, Chion, Samon, totam denique Asiam, Achaiam, Graciam, Siciliam iam in paucis villis inclusas esse videatis. Sed hæc, vt dico, omnia iam socij vestri relinquunt, & negligunt: Iudices: ne publicè à Populo Romano spoliarentur, officijs ac fide prouiderunt, paucorum cupiditati, tum cum absistere non poterant, tamen sufficere aliquo modo poterant. Nunc verò iam adempta est non modo resistendi, verum etiam suppeditandi facultas. Itaque res suas negligunt: pecunias, quo nomine iudicium hoc appellatur, non repetunt: relinquunt & negligunt.* hoc iam ornatu ad vos confugiunt. aspicite, Iudices, squalorem, sordesque sociorum. est Sthenius hic Termitanus cum hoc capillo atque veste: domo sua tota expilata, mentionem tuorum furtorum non facit: sese ipsum abs te repetit, nihil amplius. totum enim tua libidine & scelere ex sua patria, in qua multis virtutibus & beneficiis floruit princeps, sustulisti. Dexio hic quem videtis, non quæ publicè Tyndari, non quæ priuatim sibi eripuisti, sed vnicum miser abs te filium optimum atque innocentissimũ flagitat. non ex litibus æstimatis tuis pecuniam, domum, sed ex tua calamitate cineri atque ossibus filij sui solatium vult aliquod reportare. Hic iam grandis natu Eubulida hoc tantum exacta ætate laboris, itineris que suscepit: non vt aliquid ex huius bonis vsur-

127

nis vsurparet, sed vt quibus oculis cruentas ceruices
filii sui viderat, iisdem te condemnatū videret. * Si
per L. metellum licitum esset, Iudices, matres illorū, 128
vxores, sororesque veniebant. quarum vna, cum ego
ad Heracliam noctu accederem, cum omnibus ma-
tronis eius ciuitatis, & cum multis facibus mihi ob-
uiam venit: & ita me suam salutem appellans, te
suum carnificem nominans, filii nomen implorans,
mihi ad pedes misera iacuit: quasi ego excitare filiū
eius ab inferis possem. faciebant hoc idem in cæteris
ciuitatibus grandes natu matres, & item paruuli li-
beri miserorum: quorum vtrorumq; ætas laborem, &
industriam meam, fidem & misericordiam vestram
requirebat. * Itaque ad me, Iudices, præter cæteras 129
hanc querimoniam Sicilia detulit lachrymis. ego ad
hoc non gloria inductus accessi: sed ne falsa damnatio,
ne carcer, ne catenæ, ne verbera, ne secures, ne cruciatus
sociorum, ne sanguis innocentium, ne denig; etiā
exanguium corpora mortuorū, ne mœror parentum
ac propinquorum magistratibus nostris quæstui posset
esse. Hunc ego si metū Siciliæ, dānatione istius per ve-
stram fidem, & seueritatē deiecero, Iudices, satis officio
meo, satis illorum voluntati, qui à me hoc petiuerunt,
factum esse arbitrabor. * Quapropter si quem fortè 130
inueneris, qui hoc nauale crimen conetur defendere,
ista defendat: illa cōmunia, quæ ad causam nihil per-
tinent, prætermittat: me culpam fortunæ assignare,
calamitatē crimini dare, me amissionem classis obij-
ceve, cum multi viri fortes in cōmuni incertoq; peri-

culo

culo belli, & terra & mari sæpe offenderint. Nullã tibi obiicio fortunã: nihil est, quòd cæterorũ res minus cõmode gestas proferas: nihil est, quod multorum naufragia fortunæ colligas. ego naues manes fuisse duo: remiges, nautasq; dimissos: reliquos stirpibus vixisse palmarum: præfuisse classi P. R. Siculũ perpetuo, sociis atq; amicis Syracusanum: te illo tempore ipso, superioribusq; diebus omnib. in littore cum mulierculis perpotasse dico. harũ rerũ omniũ auctores testesq; produco.* Num tibi insultare in calamitate, vnum intercludere perfugiũ fortunæ, nũ casus bellicos exprobrare, aut obijcere videor? tamen si solent hi fortunã sibi obiici nolle, qui se fortunæ cõmiserunt, qui in eius periculis sunt ac varietate versati: istius quidẽ calamitatu tua fortuna particeps nõ fuit. homines enim in prælijs, nõ in cõtinuis bellis fortunã tẽtare ac periclitari solẽt. In illa autẽ calamitate non Martem fuisse communem, sed Venerẽ possumus dicere. quid si fortunã obiici tibi nõ oportet, cur tu fortunæ illorum innocentium venam ac locum non dedisti?* Etiam illud prædices licet quòd supplicium more maiorũ sumpseris, securiq; percusseris, idcirco à me in crimen & inuidiã vocari: non in supplicio crimẽ meũ vertitur: non ego securi nego quenquam ferirì debere: non ego metum ex re militari, non seueritatẽ imperij, non pœnam flagitij tolli dico oportere: fateor non modo in socios, sed etiã in ciues militesq; nostros persæpe esse seuerè ac vehementer vindicatum. quare hæc quoq; prætermittas licet. Ego cul-

pam

pam non in Nauarchis, sed in te fuisse demonstro, precio milites remigesque dimisisse arguo. hoc Nauarchi reliqui dicunt, hoc Netinorum fœderata ciuitas publicè dicit, hoc Herbitenses, hoc Amestratini, hoc Ennenses, hoc Agyrinenses, Tyndaritani, Locrenses, publicè dicunt: tuus denique testis, tuus Imperator, tuus hospes Cleomenes hoc dicit. sese in terram esse egressam, vti Pachyno, è terrestri præsidio milites colligeret, quos in nauibus collocaret. quod certè non fecisset, si suum numerum naues haberent. ea est enim ratio instructarum ornatarumque nauium, vt non modo plures, sed ne singulari quidem possint accedere.* Dico præterea illos ipsos reliquos nautas fame, atq; inopia rerum omnium confectos fuisse ac perditos. dico aut omnes extra culpã fuisse: aut si vni attribuenda culpa sit, in eo maximam fuisse, qui optimã nauẽ, plurimos nautas haberet, summũ imperium obtineret. aut si omnes in culpa fuerint, nõ oportuisse Cleomenẽ cõstitui spectatorem illorum mortis, atque cruciatus. dico etiam, in illo supplicio mercedẽ lacrimarum, mercedem vulneris atq; plagæ, mercedẽ funeris ac sepulturæ constitui nefas fuisse.* Quapropter si mihi respondere voles, hæc dicito classem instructam atque ornatam fuisse, nullum propugnatorem abfuisse, nullum vacuum transtrum fuisse remigi, rẽ frumentariam esse suppeditatam, mentiri Nauarchos, mentiri tot & tã graues ciuitates, mentiri etiã Siciliã totã, proditũ esse te à Cleomene, qui se dixerit exisse in terram, vt Pachyno deduceret, milites: animũ

133

134

illis, non copias defuisse : Cleomenem acerrimè pugnantem ab his relictum esse atque desertum : nummũ ob sepulturam datum nemini. quæ si dices, tenebere.
135 sin alia dices, quæ à me dicta sunt, non refutabis.* Hic tu etiam dicere audebis, est in iudicibus ille familiaris meus, est paternus amicus ille ? non vt quisque maximè est quicum tibi aliquid sit : ita tui huiusce modi criminis maximè eum puder ? Paternus amicus est ipse pater si iudicaret, per deos immortales quid facere posset, cum tibi hæc diceret ? tu in prouincia Po. Ro. Prætor, cum tibi maritimum bellum esset administrandum, Mamertinis, ex fœdere quam deberent nauem, per triennium remisisti : tibi apud eosdem priuatim nauis oneraria maxima publicè est ædificata : tu à ciuitatibus pecunias classis nomine coegisti : tu precio remiges dimisisti : tu cum nauis esset à Quæstore, & ab Legato capta prædonum, archipiratam ab omnium oculis remouisti : tu qui ciues Rom. esse dicerentur, qui à multis cognoscerentur, securi ferire potuisti : tu tuam domum piratas abducere, in iudicium
136 archipiratam domo producere ausus es.* tu in prouincia tam splendida, apud socios fidelissimos, ciues Rom. honestissimos, in metu periculoque prouinciæ, dies continuos complures in littore conuiuisque iacuisti : te per eos dies nem- domi tuæ cõuenire, nemo in foro videre potuit : tu sociorum atque amicorum ad ea conuiuia matres familias adhibuisti : tu inter eiusmodi mulieres prætextatum tuum filium, nepotem meũ collocauisti : vt ætati maximè lubricæ atque incertæ exemplæ

exempla nequitiæ parentis vita præberet: tu Prætor in
prouincia cum tunica pallioque purpureo vsus es: tu
propter amorem libidinemq́, tuam, imperium nauium
Legato Pop. Ro. ademisti, Syracusano tradidisti:
tui milites in prouincia Siciliæ frugibus, frumentoque
caruere: tua luxuria atque auaritia classis populi Ro.
à prædonibus capta & incensa est? *post Syracusas con-
ditas, quem in portum nunquam hostis accesserat, in 137
eo te Prætore primum piratæ nauigauerunt. neque
hæc tot tantaque dedecora dissimulatione tua, neque
obliuione hominum ac taciturnitate tegere voluisti:
sed etiam nauium præfectos sine vlla caussa de com-
plexu parentum suorum hospitumq́, tuorum ad mor-
tem cruciatumque rapuisti: neque in parentum lu-
ctu, atque lachrymis, te mei nominis commemoratio
mitigauit: tibi hominum innocentium sanguis non
modo voluptati, sed etiam quæstui fuit. Hæc si tibi
tuus parens diceret posses ab eo veniam petere? posses vt
tibi ignosceret, postulare? *Satis est factum Siculis, sa- 138
tis officio ac necessitudini Iudices, satis promisso mune-
ri nostro ac recepto. reliqua est ea caussa, Iudices, quæ
non iam recepta, sed innata: neque delata ad me, sed
in anima, sensuque meo penitus affixa atque insita
est: quæ non ad sociorum salutem, sed ad ciuium Rom.
hoc est ad vniuscuiusque nostrum vitam, & sangui-
nem pertinet. In qua nolite à me, quasi dubium sit ali-
quid argumenta, Iudices, expectare. omnia quæ dicam
de supplicio ciuium Ro. sic erunt clara & illustria, vt
ad ea probanda totam Siciliã testem adhibere possim.

furorem quidam sceleris & audaciæ comes istius effrenatum animum, importunamq; naturam tanta oppressit amentia, vt nunquam dubitaret in conuentu palàm supplicia, quæ in conuictos maleficij seruos
139 constituta sunt, ea in ciues Ro. expromere. * virgis quã multos ceciderit, quid ego commemorem? tantum breuissimè dico, Iudices. nullum fuit omnino isto Prætore in hoc genere discrimen. Itaque iam consuetudine ad corpora ciuium Rom. etiam sine istius nutu ferebatur manus ipsa lictoris. Num potes hoc negare, Verres? in foro Lilybæi, maximo conuentu, C. Seruilium ciuem Rom. in conuentu Panormitano veterem negociatorem, ad tribunal, ante pedes tuos, ad terram virgis & verberibus abiectum? aude hoc primum negare, si potes. nemo Lilybæi fuit, quin viderit: nemo in Sicilia, quin audierit. Plagis confectum dico à lictoribus tuis ciuem Rom. ante oculos tuos concidisse. * ob
130 quam causam dij immortales? tametsi iniuriam facio communi causæ, & iuri ciuitatis: quasi enim possit esse vlla caussa, cur hoc cuique ciui Rom. iure accidat: ita quæro, quæ in Seruilio causa fuerit. ignoscite in hoc vno, Iudices: in cæteris enim nõ magnopere causas requiram. Locutus erat liberius de istius improbitate atque nequitia. quod isti simulac renunciatũ est, hominem iubet Lilybæum vadimonium Venerio seruo promittere, promittit. Lilybæum venitur. cogere eum cœpit: cum ageret nemo, nemo postularet, HS. duobus millibus sponsionem facere cum lictore suo, ni furtis quæstum faceret. Recuperatores de cohorte

sua dicit daturum. Seruilius & recusare, & deprecari, ne iniquis iudicibus nullo aduersario, iudicii capitis in se constitueretur.* Hæc cum maximè loqueretur, sex lictores circunsistunt valentissimi, & ad pulsandos verberandosq; homines exercitatissimi. cædunt acerrimè virgis: denique proximus lictor (de quo sæpè iam dixi) Sextius conuerso bacillo oculos misero tundere vehementissimè cœpit. itaque illi cum sanguis os oculosque complesset, cõcidit: cum illi nihilominus iacenti latera tunderentur: vt aliquando spondere se diceret. sic ille affectus illinc tum pro mortuo sublatus, breui postea est mortuus. Iste autem homo Venerius, & affluens omni lepore, & venustate de bonis illius in æde Veneris argenteum Cupidinem posuit. sic etiam fortunis hominum abutebatur ad nocturna vota cupiditatum suarum.* Nam quid ego de cæteris ciuium Ro. supplicijs sigillatim potius, quam generatim atque vniuerse loquar? Carcer ille, qui est à crudelissimo tyranno Dyonisio factus Syracusis, quæ Latomiæ vocantur, istius imperio domicilium ciuium Romanorum fuit. vt quisque istius animum, aut oculos offenderat, in Latomias statim conijciebatur. Indignum hoc video videri omnibus, Iudices: & id iam priore actione, cum hæc testes dicerent, intellexi. retineri enim putatis oportere iura libertatis, non modo hic, vbi tribuni plebis sunt, vbi cæteri magistratus, vbi plenum forum iudiciorum, vbi Senatus autoritas, vbi existimatio populi Romani & frequentia: sed vbicunque terrarum, & gentium violatum ius ciuium Romanorum

141

142

norum sit, statuitis id pertinere ad communē causam libertatis, & dignitatis.* In externorū homi-
143 num & maleficorum, sceleratorumq; in prædonum hostiumq; custodias tu tantum numerum ciuiū Romanorum includere ausus es? nunquamne tibi iudicii, nunquam concionis, nunquam huius tantæ frequentiæ, quæ nunc animo te iniquissimo infestissimoque intuetur, venit in mentem? nunquam tibi populi Romani absentis dignitas, nunquam species ipsa huiuscemodi multitudinis, in oculis animoque versata est? nunquam te in horū conspectū rediturum, nunquam in forum populi Romani vēturum, nūquam sub legum & iudiciorum potestatem casurum esse putasti? At quæ erat ista libido crudelitatis exercendæ? quæ tot scelerum suscipiēdorum caussa? nulla, iudices, præter prædandi nouā singularemq; rationem.* Nam vt illi, quos à p. ē. is
144 accipimus, sinus quosdam obsedisse maritimos, aut aliqua promōtoria, aut prærupta saxa tenuisse dicuntur: vt eos, qui essent appulsi nauigijs, interficere possent: sic iste in omnia maria infestus ex omnibus Siciliæ partibus imminebat: quæcunq; nauis ex Asia, quæ ex Syria, quæ Tyro, quæ Alexandria, venerat, statim certis iudicibus & custodibus tenebatur: vectores omnes in Latomias conijciebantur: onera atque merces in Prætoriam domum deferebantur. Versabatur in Sicilia longo interuallo alter, nō Dionysius ille, nec Phalaris (tulit enim illa quondam insula multos & crudeles tyrannos) sed quoddam nouum monstrum, ex vetere illa immanita-

manitate, quæ in ijsdem locis versata esse dicitur.* non enim Charybdin tam infestam, neque Scyllam nautis, quã istum in eodem freto fuisse arbitror. hoc etiam iste infestior, quod multo se plumbis & maioribus canibus succinxerat. Cyclops alter, multo importunior. hic enim totã insulam obtinebat, ille Aetnam solam, & eam Siciliæ partem tenuisse dicitur. At quæ causa tũ subijciebatur ab ipso, iudices, huius tã nefariæ crudelitatis? eadẽ quæ nunc in defensione cõmemorabitur. Quicũque accesserant: ad Siciliã paulo pleniores, eos Sertorianos milites esse, atq; à Diano fugere dicebat. illi ad deprecandũ periculum proferebant alij purpuram Tyriam: thus alij atq; odores, vestẽ lineam: gẽmas alij, & margaritas: vina nõnulli Græca, venalesque Asiaticos: vt intelligeretur ex mercibus, quibus ex locis nauigarent. nõ intelligebãt eas ipsas sibi causas esse periculi, quibus argumẽtis se ad salutem vti arbitrabantur. iste enim hæc eos ex piratarum societate adeptos esse dicebat: ipsos in Latomias abduci imperabat: naues eorum atq; onera diligẽter asseruanda curabat.* His institutis completus iam mercatorum carcer esset, tum illa fiebant, quæ L. Sue- 146
tium Equitem Rom. lectissimum virum dicere audistis: quæ cæteros audietis. ceruices in carcere frãgebantur indignissimè ciuium Rom. vt etiam illa vox, & illa imploratio, Ciuis Rom. sum: quæ sæpè multis in vltimis terris opem inter barbaros & salutem tulit, ea mortem illis acerbiorem, & supplicium maturius ferret. Quid est, Verres? quid ad 145

hæc cogitas responderè? num mentiri me? num fingere aliquid? num augere crimen? numquid horum dicere istis defensoribus tuis audes? Cedo mihi quæso ex ipsius sinu litteras Syracusanorum, quas iste ad arbitrium suum confectas esse arbitratur. cedo rationem carceris, quæ diligentissimè conficitur, quo quisque die datus in custodiam, quo mortuus, quo necatus sit.

147 LITERAE SYRACVSANORVM, * Videtis ciues Romanos gregatim coniectos in latomias: videtis indignissimo in loco coaceruatam multitudinẽ vestrorum ciuium. quærite nunc vestigia, quibus exitus illorum ex illo loco compareant, nulla sunt. omnes ne mortui? si ita, posset defendere, tamen fides huic defensioni non haberetur. sed scriptum extat in ijsdem litteris, quod iste homo barbarus, ac dissolutus neque attendere vnquam, neque intelligere potuit. ἔθανον, inquit, hoc est, vt Siculi loquuntur, supplicio affecti ac necati sunt. *

148 Si quis Rex, si qua ciuitas exterarum gentium, siqua natio feciſſet aliquid in ciuem Rom. eiusmodi, nonnè publicè vindicaremus? non bello persequeremur? possemus hanc iniuriam ignominiamque nominis Romani inultam impunitamque dimittere? quot bella maiores nostros & quanta susceptisse arbitramini, quod ciues Rom. iniuria affecti, quod nauicularij retenti, quod mercatores spoliati dicerentur? at ego retentos non queror: spoliatos ferendum puto: naubus, mancipijs, mercibus ademptis in vincula coniectos esse mercatores, &

149 in vinculis ciues Ro. necatos esse arguo. * Si hoc apud Scythas

Scythas dicerem, non hic in tanta multitudine ciuium Ro. non apud Senatores lectissimos ciuitatis, non in foro populi Ro. de tot & tam acerbis supplicijs ciuium Romanorum: tamen animos etiam barbarorum hominum permouerem. tanta enim huius imperij amplitudo, tãta nominis Rom. dignitas est apud omnes nationes, vt ista in nostros homines crudelitas nemini concessa esse videatur. Num ego tibi vllam salutem, vllum perfugium putem, cum te implicatum seueritate iudicum, circumretitum frequentia Populi Romani esse videam? * Si me hercules (id quod 150
fieri intelligo non posse) ex his laqueis te exueris, ac te aliqua vi ac ratione explicaris, in illas tibi maiores plagas incidendum est, in quibus te ab eodem me superiore ex loco confici & concidi necesse est. Cui si etiã, id quod defendit, velim concedere: tamen illa ipsa defensio non minus esse ei perniciosa, quam mea vera accusatio debeat. Quid enim defendit? ex Hispania fugientes se excepisse, & supplicio affecisse dicit. Quis tibi id permisit? quod id iure feceris? quis idem fecit? qui tibi id facere licuit? * forum plenum, & basilicas 151
istorum hominum videmus, & animo æquo videmus. ciuilis enim dissensionis, & siue amentiæ, siue fati, seu calamitatis, non est iste molestus exitus: in quo reliquos saltem ciues incolumes licet conseruare. Verres ille vetus proditor Consulis, translator Quæsturæ, auersor pecuniæ publicæ, tantũ sibi auctoritatis in Rep. suscepit, vt quibus hominibus per Senatum, per populũ Roman. per omnes magistratus, in foro, in suffragijs,

in hac vrbe, in Republ. versari liceret: ijs omnibus mortem acerbam crudelemque proponeret, si fortunæ
152 eos ad aliquam partem Siciliæ detulisset. * An Cn. Pompeium clarissimum virum & fortissimum permulti occiso Perpenna ex illo Sertoriano numero militum confugerunt, quem non ille summo cum studio saluum incolumēque seruauit? cui ciui supplici nō illa dextera inuicta & fidem porrexit, & spem salutis ostendit? Itane vero? quibus fuit portus apud eum, contra quem arma tulerunt: ijs apud te cuius nullum in Republ. vnquā monimentum fuit, mors & cruciatus erat constitutus? Vide quam commodam defensionem excogitaris. malo me hercules id, quod tu defendis, hic iudicibus Populoq; Ro. quam id, quod ego insimulo, probari. malo, inquam, te isti generi hominum, quam mercatoribus & nauicularijs inimicum, atque infestum putari. meum enim crimen auaritiæ te nimiæ coarguit: tua defensio furoris cuiusdam, & immanitatis, & inauditæ crudelitatis, & pene nouæ
153 proscriptionis. * Sed non licet me isto tanto bono, Iudices, vti, non licet. adsunt enim Puteoli toti: frequentissimi venerunt ad hoc iudiciū mercatores, homines locupletes, atque honesti, qui partim socios suos, partim libertos ab isto spoliatos, in vincla comectos, partim in vinclis necatos, partim securi percussos esse dicent. Hic vide quam me sis vsurus æquo. cum ego P. Granium testem produxero, qui suos libertos à te securi percussos esse dicat: qui à te nauem suam, merces que repetat: refellito si poteris: meum testem deferam

deferam, tibi fauebo. te, inquam, adiuuabo: ostendito illos cum Sertorio fuisse, à Diamio fugientes ad Siciliam esse delatos, nihil est, quod te malim probare, nullum enim facinus, quod maiore supplicio dignum sit, reperiri neque proferri potest. * Reducam iterum Equitem Ro. L. Flauium, si voles, quoniam priore actione, vt patroni tui dictitant, noua quadam sapientia, vt omnes intelligunt, conscientia tua atque authoritate meorum testium, testem nullum interrogasti: interrogetur Flauius, si voles, quinam fuerit L. Herennius is, quem ille argentariam Lepti fecisse dicit: qui cum amplius centum ciues Romanos haberet ex conuentu Syracusanorum, qui eum non solum cognoscerent, sed etiam lachrymantes, ac te implorantes defenderent: tamen à te inspectantibus omnibus Syracusanis, securi percussus est, hunc quoque testem meum refelli & illum Herennium Sertorianum fuisse abs te demonstrari, & probari volo. * Quid de illa multitudine dicemus eorum, qui capitibus inuolutis in piratarum captiuorumque numero producebantur, vt securi ferirentur? qua ista noua diligentia? quam ob causam abs te cogitata? an te L. Flauij, caterorumque de L. Herennio vociferatio commouebat? an M. Annij grauissimi, atque honestissimi viri summa authoritas * paulo te diligentiorem timidioremque fecerat? qui nuper pro testimonio, non aduenam nescio quem, nec alienum, sed eum ciuem Romanum, qui omnibus in illo conuentu notus, qui Syracusis natus esset, à te securi percussum esse dixit.

154

155

Post

156 * Post hanc illorum vociferationem, post hanc communem famam atque querimoniam, non mitior in supplicio, sed diligentior esse cœpit. capitibus inuolutis ciues Ro. ad necem producere instituit: quos tamen idcirco necabat palam, quod homines in conuentu (id quod antea diximus) nimium diligenter prædonum numerum requirebant. Hæc in plebe Rom. te Prætore est constituta conditio: hæc negocij gerendi spes, hoc capitis, vitæque discrimen. parumne multa mercatoribus sunt necessario pericula subeunda fortunæ, nisi etiam hæ formidines ab nostris magistratibus, atque in nostris prouincijs impendebunt? ad eamne rem fuit hæc suburbana ac fidelis prouincia Sicilia, plena optimorum sociorum, & honestissimorum ciuium Romanorum, quæ ciues Rom. omnes suis ipsa sedibus libentissimè semper accepit: vt qui vsque ex vltima Syria atque Aegypto nauigarent, qui apud Barbaros propter togæ nomen in honore aliquo fuissent, qui ex prædonum insidijs, qui ex tempestatum periculis profugissent, in Sicilia securi ferirentur, cum se iam domum venisse arbitrarentur? * Nam quid ego de P.
157 Gauio Consano municipe dicam, Iudices? aut qua vi vocis, qua grauitate verborum, quo dolore animi dicam? tametsi dolor me non deficit. vt cætera mihi in dicendo digna re, digna dolore meo suppetant, magis elaborandum est. quod crimen eiusmodi est, vt cum primum ad me delatum est, vsurum me illo non putarem. tametsi enim verissimum esse intelligebam, tamen credibile fore non arbitrabar. coactus

ctus lachrymis omnium ciuium Rom. qui in Sicilia negociantur: adductus Valentinorum hominum honestissimorum testimonijs, omniumque Rhegynorum, multorumque Equitum Ro. qui casu tum Messanæ fuerunt: dedi tantum priore actione testimonium, res vt nemini dubia esse posset. Quid nunc agam? * cum iam tot horas de vno genere, ac de istius 158
nefaria crudelitate dicam: cum propè omnem vim verborum eiusmodi, quæ scelere istius digna sunt, alijs in rebus consumpserim, neque hoc prouiderim, vt varietate criminum vos attentos tenerem: quemadmodum de tanta re dicam? opinor vnius modus atque vna ratio est: rem in medio ponam: quæ tantum habet ipsa grauitatis, vt neque mea, qua nulla est; neque cuiusquam, ad inflammandos vestros animos eloquentia requiratur. * Gauius hic, quem dico, Cossa- 159
nus, cum illo numero ab isto in vincula coniectus esset, & nescio qua ratione clam è Latomijs profugisset, Messanamq; venisset, qui propè iam Italiam, & mœnia Rhegynorum videret, & ex illo metu mortis ac tenebris, quasi luce libertatis, & odore aliquo legum recreatus, reuixisset: loqui Messanæ cæpit, & queri: se ciuem Ro. in vincla esse coniectum, sibi recta iter esse Romam, Verri se præsto aduenienti futurum, non intelligebat miser, nihil interesse, vtrum hæc Messanæ, an apud ipsum in Prætorio loqueretur. Nam vt antè vos docui, hanc sibi iste vrbem delegerat, quam haberet adiutricem scelerum, furtorum receptricem, flagitiorum omnium sociam. Itaq; ad magistratum Mamertinum

mertinum statim deducitur Gauius, eoq; ipso die casu Messanæ Verres venit. res ad eum defertur, esse ciuem Romanum, qui se Syracusis in Latomijs fuisse quereretur: quem iam ingredientem nauem, & Verri nimis atrociter minitantem, à se retractũ esse, & asseruatum, vt ipse in eũ statueret, quod videretur. * Agit
160 hominibus gratias, & eorum erga se beneuolentiam diligentiamq; collaudat. ipse inflammatus scelere & furore, in forum venit. ardebant oculi: toto ex ore crudelitas eminebat: expectabant omnes quò tandem progressurus, aut quidnam acturus esset: cum repente hominem proripi, atq; in foro medio nudari, ac deligari, & virgas expediri iubet. Clamabat ille miser, se ciuem esse Romanum, municipem Cossanum, meruisse se cum L. Pretio splendidissimo Equite Romano, qui Panormi negociaretur, ex quo hæc Verres scire posset. tum iste, se comperisse ait, eum speculandi causa in Siciliam ab ducibus fugitiuorum esse missum, cuius rei neq; index, neque vestigium aliquod, neq; suspicio cuiquam esset vlla. deinde iubet vndiq; hominem pro-
161 ripi, vehementissimeq; verberari. * Cædebatur virgis in medio foro Messanæ ciuis Romanus, Iudices, cũ interea nullus gemitus, nulla vox alia istius miseri inter dolorẽ, crepitumq; plagarum audiebatur, nisi hæc, Ciuis Romanus sum. hac se commemoratione ciuitatis, omnia verbera depulsurum, cruciatumq; à corpore deiecturũ arbitrabatur. is non modo hoc non perfecit, vt virgarum vim deprecaretur: sed cum imploraret sæpius, vsurparetque nomen ciuitatis, crux, crux, inquam,

inquam, infeli & arumnoso, qui nunquam istam potestatem viderat comparabatur. O nomen dulce libertatis: O ius eximium nostræ ciuitatis: O lex Portia, legesque Semproniæ: O grauiter desiderata, & aliquando reddita plebi Romanæ Tribunitia potestas: * huccine tandem omnia reciderunt? 162
vt ciuis Romanus in prouincia Pop. Rom. in oppido fœderatorum, ab eo, qui beneficio Populi Rom. fasces & secures haberet, deligatus in foro virgis cæderetur? Quid cum ignes, candentesq; lamiнæ, cæteriq; cruciatus admouebantur? si te illius acerba implorantis, & vox miserabilis, non inhibebat: nec ciuiū quidem Romanorum, qui tum aderant, fletu & gemitu maximo commouebare? in crucem tu agere ausus es quenquam, qui se ciuem Romanum esse diceret? Noluit tam vehementer agere hoc prima actione, iudices, noluit. vidistis enim vt animi multitudinis in istum dolore, & odio, & communis periculi metu concitarentur: statui egomet mihi, tū modum orationi meæ, & C. Numitorio Equiti Ro. primario homini, testi meo: & Glabrionē id quod sapientissimè fecit, facere latatus sum: vt repente consilio in medio testē dimitteret. etenim verebatur, ne Po. Ro. ab isto eas pœnas vi repetisse videretur, quas veritus esset, ne iste legibus & vestro iudicio non esset persoluturus. * Nūc quoniam iā exploratum est omnibus, quo loco causa tua sit, & quid de te futurum sit: sic tecum agam. Gauium istum, quem repentinum speculatorem fuisse dicis, ostendam in Latomias Syracusis à te esse coniectum, ne- 163
que id

que id solum ex literis ostendam Syracusanorum, ne possis dicere me, quia sit aliquis in literis Gauius; hoc fingere, & eligere nomen, vt hunc illum esse possim dicere: sed secundum arbitrium tuum testes dabo, qui istum ipsum Syracusis abs te in Latomias conlectum esse dicant. producam etiam Cossanos, municipes illius ac necessarios, qui te nunc sero doceant, Iudices, nō sero, illum P. Gauium, quem tu in crucem egisti, ciuem Ro. & municipem Cossanum, non speculatorem
164 fugitiuorum fuisse. * Cum hæc omnia, quæ polliceor, cumulatè tuis proximis plana fecero: tum istuc ipsum tenebo, quod abs te mihi datur. eo contentum me esse dicam. Quid enim nuper tu ipse, cum Po. Ro. clamore, atque impetu perturbatus, exiluisti; quid, inquam, locutus es? illum quod moram supplicio quæreret, ideo clamitasse, se esse ciuem Romanum: sed speculatorem fuisse. Iam mei testes veri sunt. Quid enim dicit aliud C. Numitorius? quid M. & P. Cotij nobilissimi homines, ex agro Tauromenitano? quid Q. Luceius? qui argentariam Rhegyi maximam fecit? quid enim cæteri? adhuc enim testes ex eo genere à me sunt dati, non qui nouisse Gauium, sed qui se vidisse dicerent: cum is, qui se ciuem Ro. esse clamaret, in crucem ageretur. Hoc tu, Verres, idem dicis, hoc tu confiteris, illum clamitasse, se ciuem esse Romanum: apud te nomen ciuitatis ne tantum quidem valuisse, vt dilationem aliquam crucis, vt crudelissimi teterrimiq; supplicij aliquam paruam moram saltem
165 posset afferre. * Hoc teneo, hic hæreo, Iudices, hoc sum conten-

contentus vno omitto ac negligo cætera: tua confessione induatur ac iuguletur necesse est. qui esset, ignorabas? speculatorem esse suspicabare? non quæro, qua suspicione: tua te accuso oratione. ciuem Rom. se esse dicebat. si tu apud Persas, aut in extrema India deprehensus, Verres, ad supplicium duceretur: quid aliud clamitares, nisi te ciuem esse Romanum? & si tibi ignoto apud ignotos, apud Barbaros, apud homines in extremis, atque vltimis gentibus positos, nobile & illustre apud omnes nomen tua ciuitatis profuisset: ille quisquis erat, quem tu in crucem rapiebas, qui tibi esset ignotus, cum ciuem se R. esse diceret, apud te Prætorem si non effugium, ne moram quidem mortis, mentione, atque vsurpatione ciuitatis assequi potuit?

* Homines tenues, obscuro loco nati nauigant: adeũt 166
ad ea loca, quæ nunquam ante ea viderunt: vbi neque noti esse ijs, quo venerunt, neque semper cum cognitoribus esse possunt. hac vna tamen fiducia ciuitatis, non modo apud nostros magistratus, qui & legum & existimationis periculo continentur: neque apud ciues solum Romanos, qui & sermonis, & multarum rerum societate iuncti sunt, fore se tutos arbitrãtur: sed quocunque venerint, hanc sibi rem præsidio sperant esse futuram.* tolle hanc spem, tolle hoc præsidium ci- 167
uibus Romanis: constitue nihil esse opis in hac voce, Ciuis Rom. sum: posse impune Prætorem, aut alium quemlibet supplicium, quod velit, in eum constituere, qui se ciuem Rom. esse dicat, quod quis ignoret: iam omnes prouincias, iam omnia regna, iam omnes liberas ciuitates, iam omnem orbem terrarum, qui semper nostris hominibus maximè patuit, ciuibus Ro. ista defensione præcluseris. Quid si L. Precium Equitem

R. qui tum in Sicilia negotiabatur, nominabat? etiamne id magnum fuit? Panormum litteras mittere, asseruasse hominem, custodijs Mamertinorum tuorum vinctum, clausum habuisse, dum Panormo Precius veniret: cognosceret hominem: aliquid de summo supplicio remitteres. si ignoraret: tum, si ita tibi videretur, hoc iuris in omnes constitueres: vt qui neque tibi notus esset, neque cognitorem locupletem darent, quamuis ciuis Rom. esset, in crucem tolleretur.

168 * Sed quid ego plura de Gauio? quasi tu Gauio tum fueris infestus, ac non nomini, generi, iuri ciuium hostis. non illi, inquam, homini, sed causse communi libertatis inimicus fuisti. Quid enim attinuit cum Mamertini more, atque instituto suo crucem fixissent post vrbem in via Pompeia: te iubere in ea parte figere, quæ ad fretum spectaret: & hoc addere, quod negare nullo modo potes, quod omnibus audientibus dixisti palàm, te idcircò illum locum deligere, vt ille qui se ciuem Rom. esse diceret, ex cruce Italiam cernere ac domum suam prospicere posset? Itaque illa crux sola, Iudices, post conditam Messanam illo in loco fixa est, Italia conspectus ad eam rem ab isto delectus est, vt ille in dolore cruciatuque moriens, per angustos freto diuisa seruitutis, ac libertatis iura cognosceret: Italia autem alumnum suum, seruitutis extremo, summóque supplicio affectum vide-

169 ret. * Facinus est vinciri ciuem Rom. scelus, verberari: propè parricidium, necari: quid dicam in crucem tollere? verbo satis digno tam nefarias res appellari nullo modo potest. non fuit omnibus iste contentus. Spectet, inquit, patriam: in conspectu legum libertatisque moriatur. non tu hoc loco Gauium, non vnum hominem, nescio quem, ciuem Roma-

num,

num, sed communem libertatis, & ciuitatis causſam in illum cruciatum, & crucem egisti. Iam vero videte hominis audaciam. nonne eum grauiter tulisse arbitramini, quòd illam ciuibus Romanis crucem non posset in foro, non in comitio, non in rostris defigere? quod enim his locis in prouincia sua celebritate simillimum, regione proximum potuit, elegit: monimentum sceleris audaciaque sua voluit esse in conspectu Italiæ, vestibulo Siciliæ, præteuectione omnium, qui vltro citroque nauigarent. * Si hæc non ad ciues Romanos, non ad aliquos amicos nostræ ciuitatis, non ad eos, qui Populi Romani nomen audissent: denique, si non ad homines, verum ad bestias: aut etiam, vt longius progrediar, si in aliqua desertissima solitudine ad saxa & ad scopulos hæc conqueri & deplorare vellem: tamen omnia muta atque inanima, tanta & tam indigna rerum atrocitate commouerentur. Nunc vero cum loquar apud Senatores Pop. Rom. legum, iudiciorumque & iuris autores, timere non debeo, ne non vnus iste ciuis Rom. illa cruce dignus, cæteri omnes simili periculo indignissimi iudicentur. * Paulo ante, Iudices, lachrimas in mortem misera, atque indignissima Nauarchorum non tenebamus: & rectè ac merito sociorum innocentium miseria commouebamur. quid nunc in nostro sanguine tandem facere debemus? nam ciuium Romanorum sanguis coniunctus existimandus est, quoniam id & salutis omnium ratio, & veritas omnium postulat. omnes hoc loco ciues Romani, & qui adsunt, & qui vbicunque sunt, vestram seueritatem desiderant, vestram fidem implorant, vestrum auxilium requirunt: omnia sua iura, commoda, auxilia, totam denique libertatem in vestris sen-

170

171

172 tentijs versari arbitrantur. * Ame, tametsi satis habent, tamen si res aliter acciderit, plus habebunt fortasse, quam postulant. nam & si qua vis istum de vestra seueritate eripuerit, id quod neque metuo, Iudices, neque vllo modo fieri posse video: sed si in hoc me ratio fefellerit, Siculi caussam suam perisse querentur, & mecum pariter molestè ferent: populus quidem Romanus breui, quoniam mihi potestatem apud se agendi dedit, ius suum, me agente, suis suffragijs ante Cal. Februarias recuperabit. Ac si de mea gloria & amplitudine quaeritis, Iudices: non est alienum meis rationibus, istum mihi ex hoc iudicio ereptum ad illud Pop. Ro. iudicium reseruari. Splẽdida est illa caussa, probabilis mihi & facilis, populo grata atque iucunda. Denique si videor hic, quod ego non quaesiui, de vno isto voluisse crescere: isto absoluto, quod sine multorum scelere fieri non potest, de multis mihi crescere licebit. Sed me hercules vestra, reique publicae caussa, Iudices, nolo in hoc delecto consilio tantum flagitium esse commissum: nolo eos Iudices, quos ego probarim atque delegerim, sic in hac vrbe notatos isto absoluto ambulare, vt non cera, sed cœno oblitti esse videantur. * Quamobrem te quo-
173 que, Hortensi, quia monendi locus est, ex hoc loco moneo: videas etiam atque etiam, & consideres, quid agas, quo progrediare: quem hominem, & qua ratione defendas. neque de illo quicquam tibi praesimo, quo minus ingenio mecum, atque omni dicendi facultate contendas. cetera, siqua putas te occultius extra iudicium, quae ad iudicium pertinent, facere posse: si quid artificio, consilio, potentia, gratia, copijs istius moliri cogitas: magnopere censeo desistas: & illa quae tentata iam, & cœpta

ab isto

ab isto sunt, à me autem peruestigata, & cognita, moneo vt extinguas, & longius progredi ne sinas. magno tuo periculo peccabitur in hoc iudicio, maiore quam putas.* Quod enim te liberatum iam existimationis metu, defunctum honoribus, designatum 174.
CO S. cogites: mihi crede, ornamenta ista, & beneficia Populi Romani non minore negocio retinentur, quam comparantur. tulit hæc ciuitas, quoad potuit, quoad necesse fuit, regiam istam vestram dominationem in iudicijs & in omni Rep. tulit. sed quo die Populo Rom. Tribuni pl. restituti sunt, omnia ista vobis (si forte nondum intelligitu) adempta atque erepta sunt: omnium nunc oculi conuecti sunt hoc ipso tempore in vnumquenque nostrum, qua fide accusem, qua religione hi iudicent, qua ratione defendas.* de omnibus nobis, si quis tantulum de recta regione deflexerit: non illa tacita existimatio, quam antea contemnere solebatis, sed vehemens ac liberum Populi Romani iudicium consequetur. nulla tibi, Quinte, cũ isto cognatio est, nulla necessitudo: quibus excusationibus antea nimium in aliquo iudicio studium tuum defendere solebas: earum habere in hoc homine nullã potes, quæ iste in prouincia palam dictitabat, cum ea quæ faciebat, tua se fiducia facere dicebat: eane vera putentur, tibi maximè est prouidendum.* Ego mei 176
iam rationem officii confido esse omnibus iniquissimis meis persolutam: nam istum paucis horis prima actionis omnium mortalium sententiis condemnaui: reliquum iudicium non iam de mea fide, quæ perspecta est: neque de istius vita, quæ damnata est: sed de iudicibus, & vere vt dicam, de te futurum est. at quo tempore futurum est? nam id maximè prouidendum est. Etenim cum omnibus in rebus tum in Rep. permagni momenti est, ratio atque incli-

natio temporũ: nempe eo, cum Populus Ro. aliud genus hominum, atque alium ordinem ad res iudicandas requirit: nempe ea lege de iudicijs, iudicibusque nobis promulgata, quam non is promulgauit, cuius nomine proscriptam videtis, sed hic reus. hic, inquam, sua spe atq; opinione, quã de vobis habet, legem illam scribendam promulgandamque curauit. * Itaq; cũ primo
177 agere cœpimus, lex nõ erat promulgata: cum iste vestra seueritate permotus, multa signa dederat, quãobrem is responsurus non videretur, mentio de lege nulla fiebat. Posteaquam iste recreari & confirmari visus est, lex statim promulgata est: cui legi vestra dignitas vehementer aduersaretur, istius spes falsa, & insignis impudentia maximè suffragatur. Hic si quid erit commissum à quoquam vestrum quod reprehendatur: aut Populus Romanus iudicabit de eo homine, quem iam antea iudicijs indignum putauit: aut hi, qui propter offensionem iudiciorum de veteribus iudicibus lege noua noui Iudices erunt consti-
178 tuti. * mihi porro, vt ego non dicam, quis omnium mortalium non intelligit, quam longè progredi sit necesse? Potero silere, Hortensi? potero dissimulare? cum tantum Resp. vulnus acceperit, vt expilata prouincia, vexati socij, dii immortales spoliati, ciues Romani cruciati & necati impunè me actore esse videantur? potero hoc ego onus tantum aut in hoc iudicio deponere, aut diutius tacitus sustinere? non agitanda res erit? non in medium proferenda? non Populi Romani fides imploranda? non omnes, qui tanto se scelere obstrinxerint, vt aut fidem suam corrumpi paterentur, aut iudicium corrũ-
179 perent, in discrimen ac iudiciũ vocandi? * Quæret aliquis fortasse: tantumne igitur laborem, tantas inimicitias

micitias tot hominum susceptur⁹ es? non studio quidem hercule vllo, neque voluntate. sed non idem mihi licet quod iis, qui nobili genere nati sunt: quibus omnia Pop. Rom. beneficia dormientibus deferuntur: longè alia mihi lege in hac ciuitate & conditione viuendum est. venit enim mihi in mentem M. Catonis hominis sapientissimi: qui cum se virtute, non genere Populo Romano commendari putaret: cum ipse sat generis initium ac nominis, ab se gigni & propagari vellet, hominum potentissimorum suscepit inimicitias, & maximis in laboribus vsque ad summam senectutem, summa cum gloria vixit. * Posteaque Pompeius humili atque obscuro loco natus, nonne plurimis inimicitiis, maximisque suis periculis, ac laboribus amplissimos honores est adeptus? Modo L. Fimbriam, C. Marium, C. Lælium vidimus non mediocribus inimicitiis, ac laboribus contendere, vt ad istos honores peruenirent, ad quos vos per ludum & per negligentiam peruenistis. Hæc eadem est nostræ rationis regia & via: horum nos hominum sectam atque institutam persequimur. Videmus quanta sit in inuidia quantoque in odio apud quosdam homines nobiles, nouorum hominum virtus & industria: si tantulum oculos deiecerimus, præsto esse insidias: si vllum locum aperuerimus suspitioni aut crimini, accipiendum esse statim vulnus: esse nobis semper vigilandum, semper laborandum videmus. * Inimicitiæ sunt, subeantur: labores, suscipiantur. Etenim tacitæ magis & occultæ inimicitiæ timendæ sunt, quam indictæ, & apertæ. Hominum nobilium non ferè quisquã nostræ industriæ fauit, nullis nostris officiis beneuolentiã illorum allicere possumus: quasi natura & genere disiuncti sint, ita dissident à nobis animo ac voluntate. Quare

180

181

quid habent eorum inimicitiæ periculi? quorum animosiam ante habueris inimicos & inuidos, quam
182 vllas inimicitias susceperis? *Quamobrem mihi, Iudices, optandum est illud, in hoc reo finem accusandi facere, cum & Populo Romano satisfactum, & receptum officium Siculis necessarijs meis erit persolutum. Deliberatum autem est si res opinionem meam, quam de vobis habeo, fefellerit, non modo eos persequi ad quos maxime culpa corrumpendi iudicij, sed etiam illos, ad quos consentia contagio pertinebit. Proinde si qui sunt, qui in hoc reo, aut potentes, aut audaces, aut artifices ad corrumpendum iudicium velint esse, ita sint parati, vt disceptante Populo Romano mecum sibi rem videant futuram: & si me in hoc reo, quem mihi inimicum Siculi dederunt, satis vehementem, satis perseuerantem, satis vigilantem esse cognorunt, existiment in his hominibus, quorum ego inimicitias Populi Romani salutis causa susceperò, multo grauiorem, atque acriorem futurum.
*Nuncte, Iupiter Optime Maxime, cuius iste donum
183 regale, dignum tuo pulcherrimo templo, dignum Capitolio atq; ista arce omnium nationum, dignum regio munere, tibi factum ab regibus, tibi dicatum atque promissum, per nefarium scelus de regijs manibus extorsit: cuiusque sanctissimum, & pulcherimu simulacrum Syracusis sustulit: teque, Iuno Regina, cuius duo fana duabus in insulis posita Sociorum Melita, & Samo, sanctissima, & antiquissima simili scelere, idem iste omnibus donis, ornamentisque nudauit: teque, Minerua, quam item iste duobus inclarissimu & religiosissimis templis expilauit: Athenis, cum auri grande pondus: Syracusis, cum omnia
184 prater tectum & parietes abstulit. *teque, Latona &

na & Apollo, & Diana, quorum iste Deli non fanum, sed vt hominum opinio, & religio fert, sedem antiquam, diuinumque domicilium nocturno latrocinio, atq; impetu cōpilauit: etiā te, Apollo, quem iste Chio sustulit: teque etiā atque etiā, Diana, quā Pergæ spoliauit, cuius simulacrū sanctissimum Segestæ, bis apud Segestanos consecratum, semel ipsorū religione, iterū P. Aphricani victoria, tollendum, asportandumque curauit: teque, Mercuri, quem Verres in villa, & in priuata aliqua palæstra posuit: P. Aphricanus in vrbe sociorum, & ingymnasio Tyndaritanorum, iuuentutis illorum custodem, & præsidem voluit esse. * teque 185
Hercules, quem iste Agrigenti nocte intempesta, seruorum instructa, & comparata manu conuellere ex suis sedibus, atque auferre conatus est: teque, sanctissima Idea, quam apud Erguinos augustissimo & religiosissimo in templo sic spoliatā reliquit, vt nunc nomē modo Aphricani, & vestigia violatæ religionis maneant, monimenta victoriæ, fanique ornamenta non extent: vosque omnium rerum forensium, consiliorum maximorū, legū, iudiciorumq; arbitri & testes, celeberrimo in loco Prætorii locati Castor, & Pollux, quorum è templo quæstum sibi iste, & prædam maximam improbissimè comparauit: omnesque dij, qui vehiculis Thensarum solennes cœtus ludorum initis, quorum iter iste ad suum quæstum, non ad religionum dignitatem faciendum, exigendumque curauit: * teque, 186
Ceres & Libera, quarum sacra sicut opiniones hominum, ac religiones ferunt, longè maximis, atque occultissimis ceremoniis continentur: à quibus initia vitæ atque victus legum, morum, mansuetudinis, humanitatis exempla hominibus, & ciuitatibus data, ac dispertita esse dicuntur: quarum sacra Populus Ro-

manus à Gracis ascita, & accepta, tanta religione, & publicè & priuatim tuetur, non vt ab alijs huc allata, sed vt cæteris hinc tradita esse videantur: quæ ab isto vno sic polluta, & violata sunt, vt simulacrum Cereris vnum, quod à viro non modo tangi, sed ne aspici quidem fas fuit, è sacrario Catina conuellendum, auertendumque curauerit: alterum autem Ennæ ex sua sede, ac domo sustulerit, quod erat tale, vt homines cum viderent, aut ipsam videre se Cererem, aut effigiē Cereris non humana manu factam, sed cœlo delapsam arbitrarentur. * vos etiam atque etiā im-
187 ploro, & appello, sanctissima dea, quæ illos Ennenses lacus, lucosque colitis, cunctæque Sicilia, quæ mihi defendenda tradita est, præsidetis: à quibus inuentis frugibus, & in orbem terrarū distributis, oēs gentes, ac nationes vestri religione numinis continentur: cæteros itē deos, deasque omnes imploro, atq; obtestor, quorum templa & religionibus iste nefario quodam furore, & audacia instinctus, bellum sacrilegum semper, impiumq; habuit indictū, vt si in hoc reo, atque in hac caussa, omnia mea consilia ad salutē sociorum, dignitatem Pop. Ro. fidem meam spectauerunt, si nullam ad rem, nisi ad officiū & veritatem omnes meæ curæ, vigiliæ, cogitationesque laborarunt: quam mea mens in suscipienda caussa fuit, fides in agenda: eadē vestra in iudicanda sit. * Denique vti C. Verrem, si e-
188 ius omnia sunt inaudita, & singularia facinora sceleris, audacia, perfidiæ, libidinis, auaritiæ, crudelitatis, dignus exitus eiusmodi vita, atque factis, vestro iudicio consequatur: vtque Resp. mea quæ fides, vna hac accusatione mea contenta sit: mihique posthac bonos potius defendere liceat, quam improbos accusare necesse sit.

PRO M. FONTEIO

ORATIO XI.

Desunt permulta.

HOC *praetore oppressam esse ære alieno Galliam. à quibus versuras tantarũ pecuniarum factas esse dicunt? à Gallis? nihil minus: à quibus igitur? à ciuibus Rom. qui negotiantur in Gallia? cur eorum verba non audimus? cur eorum tabulæ nullæ proferuntur? insector vltrò, atq; instо accusatori, iudices: insector, inquã, ac flagito testes. plus ego in hac caussa laboris, & operæ consumo in poscendis testibus, quã ceteri defensores in refutandis. audacter hoc dico, iudices, nõ temerè confirmo, referta Gallia negotiatorũ est, plena ciuium Rom. nemo Gallorũ sine ciue Rom. quicquam negotij gerit: nummus in Gallia nullus sine ciuium Rom. tabulis commouetur. * videte, quò descendam, iudices, quàm longè videar à consuetudine mea, & cautione ac diligentia discedere. vne tabulæ proferantur, in quibus vestigium sit aliquod, quod significet pecuniam Fonteio datam: vnum ex toto negotiatorum, colonorum, publicanorum, aratorum pecuariorum numero testem producant: verè

accusatum esse concedam. prô dij immortales, quæ est caussa? qua defensio? prouincia Galliæ M. Fonteius præfuit, quæ constat ex ijs generibus hominum, & ciuit tum, qui (vt vetera mittam) partim nostra memoria bella cum populo Rom. acerba, ac diuturna gesserunt: partim modò ab nostris imperatoribus subacti, modò belli domiti, modò triumphis, ac monimẽtis notati, modò ab senatu agris vrbibusq; mulctati sunt: partim, qui cum ipso M. Fonteio ferrum ac manus contulerunt, multoq; eius sudore ac labore sub po-
3 puli Romani imperium, ditionemq; ceciderunt. * est in eadem prouincia Narbo Martius, colonia nostrorũ ciuium, specula populi Rom. ac propugnaculum istis ipsis nationibus oppositum & obiectum. est item vrbs Massilia, de qua antè dixi, fortissimorum fidelissimorumq; sociorum, qui Gallicorum bellorum pericula à populo R. copiis, armisque propulsarunt. est præterea numerus ciuium R. maximus atque hominum honestissimorum. huic prouincia, quæ ex hac gentium varietate constaret, M. Fonteius (vt dixi) præfuit: qui erant hostes, subegit: qui proximi fuerant, eos ex ijs agris, quibus erant mulctati, decedere coëgit. ceteris, qui iccirco magnis sæpè erant bellis superati, vt semper pop. R. parerent, magnos equitatus ad bella, quæ tum in toto orbe terrarum à pop. R. gerebantur, magnas pecunias ad eorum stipendium maximum frumenti numerum ad Hispaniense bellum tolerandum
4 imperauit. * hæc qui gessit, in iudicium vocatur: vos, qui in re non interfuistis, caussam vnà cũ populo Romano cognoscetis. dicunt contra, quibus inuitissimis imperatum est: dicunt, qui ex agris ex M. Fonteij decreto

creto decedere sunt coacti: dicunt, qui ex bello, cæde, & fuga nunc primùm audent contra M. Fonteium inermẽ consistere. quid coloni Narbonenses quid volunt? quid existimant? hunc per vos volunt. se per hunc incolumes existimant esse. quid Massiliensium ciuitas? hunc præsentem ijs affecit honoribus, quos habuit amplissimos. nos autem absens orat atq; obsecrat, vt sua religio, laudatio, auctoritas aliquid apud vestros animos momenti habuisse videbatur. * quid? ciuium R. § quæ voluntas est? nemo est ex tanto numero, quin hũc optimè de prouincia, de imperio, de sortis, de ciuibus meritum esse arbitretur. quoniam igitur videtis, qui oppugnent M. Fonteium: cognoscite, qui defensũ velint. statuite nunc, quid vestra æquitas, quid populi R. dignitas postulet: vtrum colonis vestris, negotiatoribus vestris, amicissimis, atque antiquissimis sociis & credere, & consulere malitis; an ijs, quib. neq; propter iracundiam, fidem, neq; propter infidelitatem, honorem habere debetis. *quid, si maiorem etiam hominũ 6 honestissimorũ copiam affero, qui huius virtuti, atq; innocentiæ testimonio possint esse? tamẽ ne plus Gallorum consensio valebit, quàm summa auctoritas omnium? cùm Galliæ Fonteius præesset, scitis, iudices, maximos populi Rom. exercitus in duabus Hispaniis clarissimos q; imperatores fuisse. quã multi equites R. quã multi tribuni militũ, quales, & quot, & quoties legati ad eos exercitus? præterea Cn. Pompeius maximus atq; ornatissimus, hyemauit in Gallia, M. Fonteio imperãte. satisne vobis multos, satis idoneos testes & conscios videtur ipsa fortuna esse voluisse earũ rerũ, quæ M. Fonteio prætore gererentur in Gallia? quẽ

ex tanto hominum numero testem in hac caussa producere potestis? quis est ex eo numero, qui vobis auctor placeat? eo nos iam laudatore, & teste vtemur.

7 * dubitabitis etiam diutiùs, iudices, quin illud, quod initio vobis proposui, verissimum sit? aliud per hoc iudicium nihil agi, nisi vt M. Fonteio oppresso testimonijs eorum, quibus multa reip. caussa inuitissimis imperata sunt, segniores posthac ad imperandum ceteri sint, cùm videant eos oppugnari, quibus oppressis populi Romani imperium incolume esse non possit. Obiectum est etiam, quaestum M. Fonteium ex viarũ munitione feciſſe: vt aut ne cogeret munire, aut id, quod munitum esset, ne improbaret, si & coacti sunt munire omnes, & multorum opera improbata sunt: certè vtrumq; falsum est, & ob vacationem pretium datum, cùm immunis nemo fuerit; & ob probationem, cùm multa improbata sint. * quid, si hoc crimen optimis hominibus delegare possumus, & ita, vt non culpam in alios transferamus, sed vti doceamus, eos isti munitioni praefuisse, qui facilè officium suum & praestare, & probare possunt? tamen ne vos omnia in M. Fonteium iratis testibus freti conferetis? cũ maioribus reip. negotijs M. Fonteius impediretur: & cùm ad remp. pertineret viam Domitiam munire: legatis suis, primarijs viris, C. Annio Bellieno, & Fonteio negotium dedit. itaq; praefuerunt, imperauerunt pro dignitate sua, quod visum est, & probauerunt. quod vos, si nulla alia ex re, ex literis quidẽ vestris, quas scripsistis, & omissis, & allatis, certè scire potuistis. quas si antea non legistis, nunc ex nobis, quid de ijs rebus Fonteius ad legatos suos scripserit, quid ad eum illi

rescri-

rescripserint, cognoscite. Litera ad C. Annium legatum, ad C. Fonteium legatum. LITERAE A C. ANNIO LEGATO, A C. FONTEIO LEGATO.

*Satis opinor esse perspicuum, iudices, hanc rationem munitionis nec ad M. Fonteium pertinere, & ab ijs esse tractatam, quos nemo possit reprehendere. cognoscite nunc de crimine vinario, quod illi inuidiosissimum & maximum esse voluerunt. Crimen à Pletorio, iudices, ita constitutum est: Fonteio non in Gallia primùm venisse in mentem, vt portorium vini institueret, sed, in Italia hac proposita ratione, Romam profectum: itaque Titurium Tolosæ quaternos denarios in singulas vini amphoras prætorij nomine exegisse, Crodumum Porcium & Numium ternos victoriatos, Nulchalone seuere vmbinos & victoriatos mille, atque in his locis Crodumi & Nulchalone ab his portorium esse exactum, si qui Cobiamacho, qui vicus inter Tolosam & Narbonem est, diuerterentur, neque Tolosam ire vellent, cùm Eleſiodolus tantùm senos denarios ab ijs, qui ad hostem portarent, exegisset. *Video, iudices, esse crimen, & crimen genere ipso magnum: vectigal enim esse impositum fructibus nostris dicitur: & pecuniam permagnam ratione ista cogi potuisse confiteor, & inuidiosam. vel maximè enim inimici hanc rem sermonibus diuulgare voluerunt. sed ego ita existimo, quò maius crimen sit, id quod ostendatur esse falsum, hoc maiorem ab eo iniuriam fieri, qui id confingat: vult enim magnitudine rei sic occupare animos eorum, qui audiunt, vt difficilis aditus veritati relinquatur.

9

10

Desiderantur quæ de crimine vinario erant reliqua,

qua, nec non quæ ad bellum Vocontiorum, & dispositionem hybernorum pertinebant.

11 * At hoc Galli negant. at ratio rerum & vis argumentorum coarguit. potest igitur testibus iudex nõ credere? cupidis, & iratis, & coniuratis, & abreligione remotis non solùm potest, sed etiam debet. etenim si, quia Galli dicunt, iccirco M. Fonteius nocens existimandus est, quid mihi opus est sapiente iudice? quid æquo quæsitore? quid oratore non stulto? dicunt enim Galli, negare non possumus hic, si ingeniosi, & periti, & æqui iudicis has partes esse existimatis, vt quoniam quidem testes dicunt, sine vlla dubitatione credendum sit. Salus ipsa virorum fortium innocentiam tueri non potest. sin autem in rebus iudicandis non minimã partẽ ad vnamquamq; rem existimandam, momentoq; suo ponderandam sapientia iudicis tenetur: mea multò vestra maiores grauioresq; partes sunt

12 ad cogitandum, quã ad dicendum mea. * mihi enim semper vnaquaq; de re testis nõ solũ semel, verũ etiam breuiter interrogandus, & sæpè etiam nõ interrogandus, ne aut irato facultas ad dicendũ data, aut cupido auctoritas attributa esse videatur. vos & sapius eandẽ rem animis agitare, & diutiùs vnoquoq; de teste cogitare potestis. & siquidẽ nos interrogare nolumus, quæ causa nobis tacendi fuerit, existimare debetis. quamobrẽ si hoc iudices, præscriptũ lege, aut officio putatis, testibus credere: nihil est, cur alius alio iudice melior aut sapientior existimetur: vnũ est enim, & simplex aurium iudicium, & promiscuè, & cõmuniter stultis

13 ac sapientibus ab natura datum. * quid est igitur, vbi elucere possit prudentia? vbi discerni stultus auditor,

& cre-

& credulus, ab religioso, & sapienti iudice? nimirũ illud, in quo ea quæ dicuntur à testibus, coniectura, & cogitatione traduntur, quanta auctoritate, quanta animi æquitate, quanto pudore, quanta fide, quanta religione, quanto studio existimationis bona, quanta cura, quanto timore dicantur. an verò vos id in testimoniis hominum barbarorũ dubitabitis, quod persæpè & nostra, & patrũ memoria sapientissimi iudices de clarissimis nostræ ciuitatis viris dubitandum non putauerunt? qui Cn. & Q. Capionibus, L. & Q. Metellis testibus in Q. Pompeium hominem nouum non crediderunt: quorum virtuti, generi, rebus gestis fidem & auctoritatem in testimonio cupiditatis atq; inimicitiarum suspicio derogauit. * ecquem hominẽ vidi- 14
nus, ecquem verè commemorare possumus parem cõsilio, grauitate, constantia, ceteris virtutibus, honoris, ingenij, rerũ gestarum ornamentis M. Aemilio Scauro fuisse? tamen huius (cuius iniurati nutu propè terrarum orbis regebatur) iurati testimonio neque in C. Fimbriam, neq; in C. Memmium creditum est. noluerunt ij, qui iudicabant, hanc patere inimicitiis viam: quem quisque odisset, vt eum testimonio posset tollere. quantus in L. Crasso pudor fuerit, quod ingenium, quanta auctoritas, quis ignorat? tamen is, cuius etiam sermo testimonij auctoritatem habebat, testimonio ipso, quæ in M. Marcellum inimico animo dixit, probare non potuit. * Fuit, fuit illis iudicibus diui- 15
num ac singulare, iudices, consilium, qui se non solùm de reo, sed etiam de accusatore, de teste iudicare arbitrabantur, quid fictum, quid fortuna ac tempore allatum, quid pretio corruptum, quid spe aut

metu deprauatum, quid à cupiditate aliqua aut inimicitijs profectum videretur. quæsi iudex non amplectetur omnia consilio, non animo ac mente circũspiciet: si quid ex illo loco dicetur, ex oraculo aliquo dici arbitrabitur: profectò satis erit id, quod dixi, antea, non surdum iudicem huic muneri atq; officio præesse: nihil erit, quamobrem ille nescio quis sapiens homo, ac multarum rerum peritus adres iudicandas
16 requiratur.* an verò illi equites R. quos nos vidimus, qui nuper in rep. iudicijs q; maximis floruerunt, habuerunt tantum animi, tantum roboris, vt M. Scauro testi non crederent: vos Belgarum atque Allobrogum testimonijs non credere timetis? Si inimico testi credi non oportuit: inimicior Marcello Crassus, aut Fimbriæ Scaurus ex ciuilibus studijs atq; obtrectatione domestica, quàm huic Galli? quorum, qui optima in causa sunt, equites, frumentum, pecuniam semel atque iterum, ac sæpius imuitissimi dare coacti sunt: ceteri, partim ex veteribus bellis, agro mulctati, par-
17 tim ab hoc ipso, bello superati, & oppressi.* si, qui ob aliquod emolumentum suum cupidius aliquid dicere videntur, ijs credi non conuenit: credo maius emolumentum Capionibus & Metellis propositum fuisse ex Q. Pompeij damnatione, cum studiorum suorum obtrectatorem sustulissent, quam cunctæ Galliæ ex M. Fonteij calamitate, in qua illa prouincia prope suam immunitatem ac libertatem positam esse arbitratur. an si homines ipsos spectare conuenit (id quod in teste profectò valere plurimùm debet) non modò cum summis ciuitatu nostræ viris, sed cum infimo ciue Rom. quisquam amplissimus Galliæ comparandus est? scio

Indu-

Inducio marus, quid sit testimonium dicere? mouetur eo timore, quo nostrûm vnusquisque, cùm in eum locum producitus est? *recordamini, iudices, quanto- 18
perè laborare soleatis, non modò quid dicatis pro testimonio, sed etiam quibus verbis vtamini, ne quod minus moderatè positum, ne quod ab aliqua cupiditate prolapsum verbum esse videatur. vultu denique laboratis, ne qua significari possit suspicio cupiditatis: vt & cùm proditis, existimatio sit quadam tacita de vobis pudoris, ac religionis: & cùm discedatis, ea diligenter conseruata, ac retenta videatur. *credo hac 19
eadem Inducio marum in testimonio timuisse, aut cogitasse: qui primùm illud verbum consideratissimum vestra consuetudinis, Arbitror, quo nos etiam tunc vtimur, cũ ea dicimus iurati, quæ comperta habemus, quæ ipsi vidimus, ex toto testimonio suo sustulit, atque omnia se scire dixit. verebatur enim videlicet, ne quid apud vos populumq; R. de existimatione sua deperderet: ne qua famæ consequeretur eiusmodi Inducio marum, talem virum, tam cupidè, tam temerè dixisse: non intelligebat, se in testimonio nihil prater vocem, & os, & audaciam, neque ciuibus suis, neq; accusatoribus nostris præstare debere. *an verò istas na- 20
tiones religione iurisiurandi, ac metu deorũ immortalium in testimonijs dicendis commoueri arbitramini? quæ tantùm à ceterarum gentium more ac natura dissentiunt, quòd cetera pro religionibus suis bella suscipiunt, istæ contra omnium religiones: illæ in bellis gerendis ab dijs immortalibus pacem, ac veniam petunt, istæ cum ipsis dijs immortalibus bella gesserunt. hæ sunt nationes, quæ quondam tam longè ab

suis sedibus Delphos vsq; ad Apollinem Pythium atq; ad oraculum orbis terræ vexandum ac spoliandũ profectæ sunt. ab ijsdem gentibus sanctis, & in testimonio religiosis obsessum Capitolium est, atq; ille Iupiter, cuius nomine maiores nostri sanctam testimoniorũ fi-
31 dem esse voluerunt. * postremò, ijs quicquã sanctum ac religiosum videri potest, qui, etiam si quãdo aliquo metu adducti deos placandos esse arbitrantur, humanis hostiis eorum aras ac templa funestant: vt ne religionem quidem colere possint, nisi eam ipsam priùs scelere violarint. quis enim ignorat, eos vsq; ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram consuetudinem hominum immolandorum? quamobrem quali fide, quali pietate existimatis esse eos, qui etiam deos immortales arbitrentur hominũ scelere & sanguine facillimè posse placari? cum his vos testibus vestram religionem coniungetis? ab his quicquã sanctè, aut moderatè dictũ putabitis? * hoc vestræ mentes tã castæ, tam integræ sibi suscipient, vt cùm omnes legati
22 nostri, qui illo triennio in Galliam venerunt, omnes equites R. qui in illa prouincia fuerunt, omnes negotiatores eius prouinciæ, denique omnes in Gallia, qui sunt socij populi R. atq; amici, M. Fonteium incolumem esse cupiant, iurati priuatim & publicè laudent, vos tamen Gallis credere malitis? quid vt secuti esse videamini? voluntatémne hominum? grauior igitur vobis erit hostium voluntas, quã ciuium? an dignitatẽ testium? potestis igitur ignotos notis, iniquos æquis, alienigenas domesticis, cupidos moderatis, mercenarios gratuitis, impios religiosis, inimicissimos huic imperio ac nomini, bonis, ac fidelibus & sociis,

& ci-

& ciuibus anteferri? *an verò dubitatis, iudices, quin 23
insitas inimicitias istæ gentes omnes & habeant, &
gerant cum populi Rom. nomine? sic existimatis eos
hic sagatos bracchatosq; versari animo demisso atque
humili, vt solent ij, qui affecti iniurijs, ad opem iudi-
cum supplices confugiunt? nihil verò minus. hi contra vagantur læti atque erecti passim toto
foro, cum quibusdam minis, & barbaro atq; immani terrore verborum. quod ego profectò non crederem, nisi aliquoties ex ipsis accusatoribus vobiscum simul, iudices, audissem, cùm præciperent, vt caueretis, ne, hoc absoluto, nouum aliquod bellum Gallicum concitaretur. * si M. Fonteium, iudices, in caussa de- 24
fenderent omnia, si turpi adolescentia, vita infami,
magistratibus, quos ante oculos vestros gessit, malè ge-
stu, legationibus flagitiosè obitis, conuictus virorum bo-
norum testimonijs, inuisus suis omnibus in iudicium
vocaretur: si in eo iudicio colonorum populi R. Nar-
bonensium, fidelissimorum sociorum Massiliensium,
ciuium Rom. omnium testimonijs tabulisq; premere-
tur: tamen esset vobis magnoperè prouidendum, ne
quos ita afflictos à vestris patribus maioribusq; ac ce-
pissetis, vt contemnendi essent, eos pertimuisse, & eo-
rum minis & terrore commoti esse videremini. * nunc 25
verò, cùm lædat nemo bonus, laudent omnes vestri
ciues, atque socij, oppugnent ij, qui sapissimè hanc vr-
bem & hoc imperium oppugnarunt: cumque inimi-
ci M. Fonteij vobis, ac populo Rom. minentur, amici
ac propinqui supplicent vobis: dubitabitis non
modò vestris ciuibus, qui maximè gloria ac laude
ducuntur, verùm etiam exteris nationibus ac gen-

tibus

tibus ostendere, vos in sententijs ferendis ciui parce-
26 re, quàm hosti cedere maluisse? * magna mehercle,
caussa, iudices, absolutionis cum ceteris caussis haec est,
ne qua insignis huic imperio macula atq; ignominia
suscipiatur. si hoc ita perlatum erit in Galliam, sena-
tum, equites q; populi Romani, non testimonijs Gallo-
rum, sed minis commotos, rem ad illorum libidinem
iudicásse. ita verò, si illi bellum facere conabuntur,
excitandus nobis erit ab inferis C. Marius, qui Induci-
omaro isti, minaci atque arroganti, par in belligeran-
do esse possit: excitandus Cn. Domitius & Q. Maxi-
mus, qui nationem Allobrogum & reliquias suis i-
terum armis conficiat atq; opprimat: aut, quoniam
id quidem non potest, orandus erit nobis amicus meus
M. Pletorius, vt suos nouos clientes à bello faciendo
deterreat, vt eorum iratos animos atq; horribiles im-
petus deprecetur: aut, si non poterit, M. Fabium sub-
scriptorẽ eius rogabimus, vt Allobrogum animos mi-
tiget, quoniam apud illos Fabiorum nomen amplissi-
mum: vt velint isti aut quiescere, id quod victi ac sub-
acti solent: aut, cùm minantur, intelligere, se pop. Ro-
man. non metum belli, sed spem triumphi ostendere.
27 * quòd si in turpi reo patiendum non esset, vt quic-
quam isti se minis profecisse arbitrarentur: quid fa-
ciendum vobis in M. Fonteio arbitraremini? de quo
homine, iudices (tũ enim mihi videor hoc propè causs-
sa duabus actionibus peroratа, debere dicere) de quo
vos homine, iudices, ne ab inimicis quidem vllum fi-
ctum probrosum non modò crimen, sed ne male dic-
tum quidem audistis. ecquis vnquam rem, praesertim
in hac vita ratione versatus, ita honoribus petendis, in

pote-

potestatibus, in imperijs gerendis, sic accusatus est, vt, nullum probrum, nullum facinus, nulla turpitudo, quæ à libidine, aut à petulantia, aut ab audacia nata esset, ab accusatore obijceretur, si non vera, attamen ficta, cum aliqua ratione ac suspicione? * M. AEmilium Scaurum, summum nostræ ciuitatis virum, scimus accusatũ à M. Bruto. extant orationes, ex quibus intelligi potest, multa in illum ipsum Scaurum esse dicta falsò, quis negat? veruntamen ab inimico dicta, & obiecta. Quàm multa M. Aquilius audiuit in suo iudicio? quàm multa L. Cotta? denique P. Rutilius? qui etsi damnatus est, mihi videtur tamen inter viros optimos atq; innocentissimos esse numerandus. ille igitur ipse homo sanctissimus, ac temperantissimus, multa audiuit in sua caussa, quæ ad suspicionem stuprorum ac libidinem pertinerent. * Extat oratio hominis, (vt opinio mea fert) nostrorũ hominum longè ingeniosissimi, atque eloquentissimi, C. Gracchi: qua in oratione permulta in L. Pisonem turpia ac flagitiosa dicuntur: at in quem virũ? qui tanta virtute atque integritate fuit, vt etiam illis optimis temporibus, cùm hominem inuenire nequam neminem posses, solus tamen Frugi nominaretur: quem cùm in concionem Gracchus vocari iuberet, & viator quæreret, quem Pisonem? quòd erant plures, cogis me, inquit, dicere inimicum meum Frugi. is igitur vir, quem ne inimicus quidem satis in appellando significare poterat, nisi antè laudasset: qui vno cognomine declarabatur, non modò qui esset, sed etiam qualis esset: tamen in falsam atque iniquam prorrorum insimulationem vocabatur. * M. Fonteius

ita

ita duabus actionibus accusatus est, vt obiectum nihil
sit, quo significari vestrum libidinis, petulantiæ cru-
delitatis, audaciæ possit. non modò nullum facinus
huius protulerunt, sed ne dictum quidem aliquod re-
prehenderunt. quòd si aut quantam voluntatem ha-
bent ad hunc opprimendum, aut quantam ad male-
dicendum licentiam, tantum haberent aut ad menti-
endum animi, aut ad fingendum ingenij, non me-
liore fortuna ad probra nunc audienda Fonteius, quã
illi, de quibus antea commemorauit, fuisset. frugi igi-
tur hominem, iudices, frugi, inquam, & in omnibus
vitæ partibus moderatum ac temperantem, plenum
pudoris, plenum officij, plenum religionis, videtis po-
situm in vestra fide ac potestate: atque ita, vt com-
31 missus sit fidei, permissus potestati. * videte igitur, v-
trum sit æquius, hominem honestissimum, virum for-
tissimum, ciuem optimum de vniuersis inimicissimis, ac
immanissimis nationibus, an reddi amicis: præsertim
cùm tot res sint, quæ vestris animis pro huius inno-
centia salute supplicent: primùm generis antiquitas,
quam Thusculo ex clarissimo municipio profectam
in monimentis rerum gestarum incisam ac notatam
videmus: tum autem continua prætura, quæ & ce-
teris ornamentis, & existimatione innocentiæ maxi-
mè floruerunt: deinde recens memoria parentis, cuius
sanguine non solùm Asculanorum manus, à qua in-
terfectus est, sed totum illud sociale bellum macula
sceleris imbutum est: postremò ipse cùm in omnibus
vitæ partibus honestus atque integer, tum in re mili-
tari cùm summi consilij, & maximi animi, tùm ve-
rò vsu quoq; bellorum gerendorum, imprimis eorum

homi-

hominum qui nunc sunt, exercitatus. * quare si eti 32
iam monendi estis à me, quòd non estis iudices, video
hoc leuiter pro mea auctoritate vobis præcipere posse,
vt ex eo genere homines, quorum cognita virtus, in-
dustria, felicitas in re militari sit, diligenter vobis
retinendos existimetis. fuit enim maior talium viro-
rum in hac rep. copia: quæ cùm esset, tamen eorum
non modò saluti, sed etiam honori consulebatur, quid
nunc nobis faciendum est, studiis militaribus apud
iuuentutem obsoletis, hominibus autem ac summis
ducibus partim ætate, partim ciuitatis discordijs hac
reip. calamitate consumptis, cùm tot bella aut à vo-
bis necessariò suscipiantur, aut subitò atque impro-
uisa nascantur. nónne & hominem ipsum ad dubia
reipub. tempora reseruandum, & ceteros studio lau-
dis ac virtutis inflammandos putatis? * recordami- 33
ni, quos legatos nuper in bello L. Iulius, quos P. Ru-
tilius, quos L. Cato, quos Cn. Pompeius habuerit:
scietis fuisse tum M. Cornutum, L. Cinnam, L. Sul-
lam, prætorios homines, belli gerendi peritissimos:
præterea C. Marium, P. Didium, Q. Catulũ, P. Cras-
sum, non literis homines ad rei militaris scientiam,
sed rebus gestis ac victorijs eruditos. age verò nunc in-
ferte oculos in curiam, introspicite penitùs in omnes
reip. partes, vtrum videtis, nihil posse accidere, vt ta-
les viri desiderandi sint: an, si acciderit, eorum homi-
num copia populum R. abundare? quæ si diligenter
attendetis, profectò, iudices, virum ad labores belli
impigrum, ad pericula fortem, ad vsum ac disciplinã
peritum, ad consilia prudentẽ, ad casum fortunamq;
felicem, domi vobis ac liberis vestris retinere, quàm
inimicissimis populi Roman. nationibus & crudelis-

34 simùs tradere, & condemnare, maletiu. * at infestis
propè signis inferuntur Galli in Fonteium, & instant
atque vrgent summo cum studio, summa cum audacia: nos verò, iudices, non & multis & firmis præsidijs, vobis adiutoribus, isti immani atque intolerandæ barbariæ resistemus. primum obijcitur cõtra istorum impetus Macedonia, fidelis & amica populo Roman. prouincia: quæ se ac suas vrbes non solùm consilio, sed etiam manu Fonteij conseruatam esse dicat: vt illa per hunc à Thracum aduentu ac depopulatione defensa fuit, sic ab huius nunc capite Gallorum
35 impetus terroresque depellit, * constituitur ex altera parte vlterior Hispaniæ: quæ profectò non modò religione sua resistere istorum cupiditati potest, sed etiam sceleratorum hominum periuria, testimonijs ac laudationibus suis refutare. Atque ex ipsa etiam Gallia fidelissima & grauissima auxilia sumuntur. venit huic subsidio, misero atque innocenti, Massiliensium cuncta ciuitas: quæ non solum ob eam causam laborat, vt huic, à quo ipsa seruata est parem gratiam referre videatur, sed etiam, quòd ea conditione atque eo fato sese in ijs terris collocatam esse arbitratur, ne quid
36 nostris hominibus ista gentes nocere possint. * pugnat pariter pro salute M. Fonteij Narbonensis colonia, quæ per hunc ipsa nuper obsidione hostium liberata, nunc eiusdem miseriis ac periculis commouetur. denique, vt oportet bello Gallico, vt maiorum iura mo. resq; perscribunt, nemo est ciuis Rom. qui sibi vlla excusatione vtendum putet. omnes illius prouinciæ publicani, agricolæ, pecuarij, ceteri negotiatores vno animo M. Fonteium atque vna voce defendunt. quòd si tan-

tantas auxiliorum nostrorum copias Inducio marus ipse despexerit, dux Allobrogum ceterorumq; Gallorum: num etiam de matris hunc complexu, lectissimæ miserrimæq; feminæ, vobis inspectantibus auellet atque abstrahet? præsertim cùm virgo Vestalis ex altera parte germanum fratrem complexa teneat, vestramq;, iudices, ac populi Rom. fidem imploret: quæ pro vobis liberisq; vestris tot annos in dijs immortalibus placandis occupata est, vt ea nunc pro salute sua, fratrisq; sui animos vestros placare possit: * cui miserę quod præsidium, quod solatium reliquum est, hoc amisso? nam ceterę feminę gignere ipsę sibi præsidia, & habere domi fortunarum omnium socium participem possunt: huic verò virgini quid est præter fratrem, quod aut iucundum, aut carum esse possit? nolite pati, iudices, aras deorum immortalium, Vestæq; matris, quotidianis virginis lamentationibus de vestro iudicio commoueri. prospicite, ne ignis ille æternus, nocturnis Fonteæ laboribus vigilijsq; seruatus, sacerdotis Vestæ lacrymis extinctus esse dicatur. 37

* tendit ad vos virgo Vestalis manus supplices easdē, quas pro vobis dijs immortalibus tendere consueuit. cauete, ne periculosum, superbumq; sit, eius vos obsecrationem repudiare, cuius preces si dij aspernarentur, hæc salua esse non possent. videtisne subitò, iudices, virum fortissimum M. Fonteium parentis & sororis cōmemoratione lacrymas profudisse? qui nunquam in acie pertimuerit, qui se armatus sæpè in hostium manum immiserit, cùm in eiusmodi periculis eadem se solatia suis relinquere arbitraretur, quæ suus pater sibi reliquisset, idem nunc perturbato ani- 38

mo pertimescit, ne non modò ornamento & adiumẽto non sit suis, sed etiam cum acerbissimo luctu dedecus aeternum miseris atque ignominiam reliquat.

39 * ô fortunam longè disparem M. Fonteij, si diligere potuisses, vt potius tela tibi Gallorum, quàm periurijs intereundum esset: tum enim vitae socia virtus, mortis comes gloria fuisset: nunc verò qui est dolor? victoriae te atque imperij poenas ad eorum arbitrium sufferre. qui aut victi armis sunt, aut inuitissimi paruerunt? à quo periculo defendite, iudices, ciuem fortem atque innocentem: curate, vt nostris testibus plus, quàm alienigenis credidisse videamini, plus saluti ciuium, quàm hostium libidini consuluisse, grauiorem duxisse eius obsecrationem, quae vestris sacris praesit, quàm eorum audaciam, qui cum omnium sacris delubrisque bella gesserunt. postremò prospicite, iudices, id quod ad dignitatem populi Rom. maximè pertinet, vt plus apud vos preces virginis Vestalis, quàm minae Gallorum valuisse videantur.

PRO

PRO A. CÆCINA

ORATIO XII.

SI, quantum in agro locisq; desertis audaciæ potest, tantum in foro, atque in iudicijs impudentia valeret: non minùs nunc caussa cæderet A. Cæcina Sex. AEbutij impudentiæ, quàm tum in vi facienda cessit audaciæ. verùm & illud considerati hominis esse putauit, qua de re iure decertari oporteret, armis non contendere: & hoc constantis, qui cum vi & armis certare noluisset, eum iure iudicioq; superare. * Ac mihi quidem cùm audax præ- 2
cipuè fuisse videtur AEbutius id conuocandis hominibus & armandis, tum impudens in iudicio: non solũ quòd in iudicium venire ausus est: (nam id quidem, tametsi improbè fit in aperta re, tamen malitia est iam vsitatum) sed quod non dubitauit id ipsum, quod arguitur, cõfiteri, nisi fortè hoc rationis habuit, quoniam si facta vis esset, moribus, superior in possessione retinenda non fuisset: quia contra ius moremq; facta sit, A. Cæcinam cum amicis metu perterritu profugisse: nunc quoq; in iudicio, si caussa more institutoq; omnium defendatur, nos inferiores in agendo nõ futuros: sine consuetudine recedatur, se, quò impudẽtiùs egerit, hoc superiorem discessurum, quasi verò aut in iudicio possit idem improbitas, quod in vi confidentia: aut nõ sò libentiùs tum audaciæ cesserimus, quò nunc impudentiæ faciliùs obsisteremus. * itaque 3
longè alia ratione recuperatores ad agendã caussam

hac actione venio, atque initio veneram: tum enim nostræ causæ spes erat posita in defensione meæ, nunc in confessione aduersarij: tum in nostris, nunc vero in illorum testibus, de quibus ego antea laborabam, ne si improbi essent, falsi aliquid dicerent: si probi existimarentur, quod dixissent, probarent. nunc sum animo æquissimo. si enim sunt viri boni, me adiuuant, cũ id iurati dicunt, quod ego iniuratus insimulo: sin autem minùs idonei, me non lædunt, cùm siue creditur ijs hoc ipsum, quod nos arguimus, confitentur, siue fides non habetur, de aduersarij testium fide derogatur. * 4 veruntamen cùm illorum causæ actionem considero, non video, quid impudentiùs dici possit: cum autem vestram in iudicando dubitationem, vereor, ne id, quod videntur impudenter facisse, astutè & callidè fecerint: nam si negassent vim hominibus armatis esse factam, facilè honestissimis testibus, in re perspicua tenerentur: sin confessi essent, & id quod nullo tempore iure fieri potest, tum ab se iure factum esse defenderent, sperarunt id, quod assecuti sunt, se iniecturos vobis causam deliberandi, & iudicandi iustam moram ac religionem. simul illud, quod indignissimũ est, futurum arbitrati sunt, vt in hac causa non de improbitate Sexti Aebutij, sed de iure ciui- 5 li iudicium fieri videretur. * qua in re si mihi esset vnus A. Cæcinæ causa agenda, profiterer satis idoneum esse me defensorem, propterea quòd fidẽ meam, diligentiamque præstarem: quæ cum sunt in actore causæ, nihil est, in re præsertim aperta ac simplici, quòd excellens ingenium requiratur. sed cum de eo iure mihi dicendũ sit, quod pertineat ad omnes, quod consti-

constitutum sit à maioribus, conseruatum vsq; ad hoc tempus, quo sublato, non solùm pars aliqua iuris diminuta, sed etiam vis ea, quæ iuri maximè est aduersaria, iudicio cõfirmata esse videatur: video summi ingenij causſam esse, non vti demonstretur, quod ante oculos est, sed ne, si quis vobis error in tanta re sit obiectus, omnes potiùs me arbitrentur causſæ, quã vos religioni vestræ defuisse. * quanquam ego mihi sic 6
persuadeo recuperatores, nõ vos tam propter iuris obscuram dubiamq; rationem bis iam de eadem causſa dubitasse, quàm, quòd videtur ad summam illius existimationem hoc iudicium pertinere, moram ad condemnandum acquisisse, simul & illi spatium ad sese colligendum dedisse, quod quoniam iam in consuetudinem venit, & id viri boni vestri similes in iudicando faciunt, reprehendendum fortasse minùs, querendum vero magis etiam videtur: ideo quòd omnia iudicia ad distrahendarum controuersiarum, aut puniendorum maleficiorum causſa reperta sunt: quorum alterum leuius est, propterea quòd & minùs ladit: & persæpè disceptatore domestico dijudicatur: alterum est vehementißimum, quod & ad grauiores res pertinet, non honorariam operam amici, sed seueritatem iudicis ac vim requirit. * quod est gra- 7
uius, & cuius rei causſa maximè iudicia constituta sunt, id iam malæ consuetudine dissolutum est. nam vt quæque res est turpißima, sic maximè, & maturißimè iudicanda est: at ea, in qua existimationis periculum est, tardißimè iudicatur. quî igitur conuenit, quæ causſa fuerit ad constituendum iudicium, eandem moram esse ad iudicandum? si quis, qui spo-

pondit, qua in re verbo se vno obligauit, id non facit
maturo iudicio, sine vlla religione iudicis condemna-
tur: qui per tutelam, aut societatem, aut rem man-
datam, aut fiduciæ rationem fraudauit quempiam,
8 in eo quò delictum maius est, eò pœna est tardior. * est
enim turpe iudicium, & factum quidem turpe. vi-
dete igitur quàm iniquè accidat, quia res indigna
sit, ideò turpem existimationem sequi: quia turpis
existimatio sequatur, ideò rem indignam non iudi-
cari. at si quis mihi hoc iudex, recuperatórue dicat:
potuisti enim leuiore actione consligere: potuisti ad
tuum ius faciliore & commodiore iudicio peruenire:
quare aut mutua actionem, aut noli mihi instare, vt
iudicem: tamen is aut timidior videatur, quàm for-
tem aut cupidior, quàm sapientem iudicem esse a-
quum est. si aut mihi præscribat, quemadmodum
meum ius persequar, aut ipse id, quod ad se delatum
sit, non audeat iudicare. etenim si prætor, is, qui iudi-
cia dat, nunquam petitori præstituit, qua actione il-
lum vti velit: videte quàm iniquum sit, constituta
iam re, iudicem, quid agi potuerit, aut quid possit, nõ
9 quid actum sit, quærere. * veruntamen nimiæ vestræ
benignitati pareremus, si alia ratione ius nostrum re-
cuperare possemus. nunc verò quis est, qui aut vim ar-
matis hominibus factam relinqui putet oportere, aut
eius rei leuiorem actionem nobis aliquam demon-
strare possit? ex quo genere peccati (vt illi clamitant)
vel iniuriarum, vel capitis iudicia constituta sunt, in
eo potesne atrocitatem nostram reprehendere, cùm
videatur nihil aliud actum, nisi possessionem per in-
terdictum esse repetitam? verùm sint vos existima-
tio

tionis illius periculum, siue iuris dubitatio tã occasio-
fecit adhuc ad iudicandum: alterius rei causſam vos-
metipſi iam vobis ſæpius prolato iudicio ſuſtul-ſtis, al-
terius ego vobis hodierno die causſam profectò aufe-
ram, ne diutiùs de controuerſia noſtra, ac de commu-
ni iure dubitetis. Eſi forte videbor altiùs initium rei 10
demonſtrandæ petiſſe, quàm me ratio iuris, & ius,
de quo iudicium eſt, & natura causſæ coëgerit, quæſo
vt ignoſcatis: non enim minùs laborat A. Cæcina, ne
ſummo iure egiſſe, quàm ne certum ius non obtinuiſ-
ſe videatur. M. Fulcinius fuit, recuperatores, è mu-
nicipio Tarquinienſi, qui & domi ſuæ cumprimis
honeſtus exiſtimatus eſt, & Romæ argentariam non
ignobilem fecit. Habuit in matrimonio Ceſenniam,
eodem è municipio ſummo loco natam, & proba-
tiſſimam feminam, ſicut & vitus multis ipſe rebus
oſtendit, & in morte ſua teſtamento declarauit.
*huic Ceſenniæ fundum in agro Tarquinienſi vendi- 11
dit temporibus illis difficillimis ſolutionis, cùm vte-
retur dote vxoris numerata, quò mulieri eſſet res
cautior, curauit vt in eo fundo dos collocaretur. a-
liquantò pòſt, iam argentaria diſſoluta, Fulcinius
huic fundo vxoris continentia quædam prædia, at-
que adiuncta mercatur. moritur Fulcinius: (multa
enim, quæ ſunt in re, quia remota ſunt à cauſſa, prae-
termittam) teſtamento facit hæredem, quem habebat
è Ceſennia filium: vſumfructum omnium bonorum
ſuorum Ceſenniæ legat, vt frueretur vnà cum filio.
*magnus honos viri iucũdus mulieri fuiſſet, ſi diutur- 12
num eſſe licuiſſet, frueretur enim bonis cum eo, quem
ſuis bonis hæredem eſſe cupiebat, & ex quo maximũ

fructum ipsa capiebat. sed hunc fructum maturè fortuna ademit: nam breui tempore M. Fulcinius adolescens mortuus est, hæredē P. Cesenniam fecit, vxori grande pondus argenti, matriq; partem bonorum
13 maiorem legauit. *itaque in partem mulieres vocatæ sunt. cùm esset hac auctio hæreditaria constituta, AEbutius iste, qui iam diu Cæsenniæ viduitate, ac solitudine alebatur, ac se eius in familiaritatem insinuasset hac ratione, vt cum aliquo suo compendio negotia mulieris, si qua acciderent, controuersiasq; susciperet, versabatur quoque eo tempore in hu rationibus auctionis, & partitionis, atque etiam se ipse inferebat, & intrudebat, & in eam opinionem Cesenniam adducebat, vt mulier imperita nihil putaret
14 agi callidè posse, vbi non adesset AEbutius. *quam personam iam ex quotidiana cognoscitis vita, recuperatores, mulierum assentatoris, cognitoris viduarum, defensoris nimium litigiosi, conciti ad rixam, inepti ac stulti inter viros, inter mulieres, periti iuris & callidi: hanc personam imponite AEbutio: is enim Cesenniæ fuit AEbutius, ne fortè quæratis num propinquus? nihil alienius. amicus aut à patre, aut à viro traditus? nihil minus. quis igitur? ille, quem supra deformaui, voluntarius amicus mulieris, non necessitudine aliqua, sed ficto officio, simulataq; sedulitate cōiunctus, magis opportuna opera nonnunquam, quàm
15 aliquando fideli. *cùm esset, vt dicere instituerem, constituta auctio Romæ, suadebant amici cognatiq; Cesenniæ id, quod ipsi quoque mulieri in mentem veniebat: quoniam potestas esset emendi fundum illum Fulcinianum, qui fundo eius antiquo continens esset, nullam

nullam esse rationem, amittere eiusmodi occasionem, cùm præsertim pecunia ex partitione deberetur: nusquã eam posse melius collocari: itaq; mulier facere constituit. mandat, vt fundum sibi emat. cui tandem? cui putatis? an non in mentẽ venit hominis illius ad hoc munus, & ad omnia mulieris negotia parati, sine quo nihil satis cautè, nihil satis callidè agi, posset? * re- 16
ctè attenditis. AEbutio negotium datur, adest ad tabulam. licetur AEbutius: deterrentur emptores multi, partim gratia Cesenniæ, partim etiam pretio fundus addicitur AEbutio: pecuniam argentario promittit AEbutius, quo testimonio nunc vir optimus vtitur, sibi emptum esse. quasi verò aut nos ei negemus addictum, aut tum quisquam fuerit, qui dubitarit, quin emeretur Cesenniæ, cùm id plerique scirẽt, omnes ferè audissent, hi coniectura assequi possent, cùm pecuniæ Cesenniæ ex illa hæreditate deberetur. eam porrò in prædijs collocari maximè expediret. essent autem prædia, quæ mulieri maximè conuenirent, ea venirent, liceretur is, quem Cesenniæ dare operam nemo miraretur. sibi emere nemo posset suspicari. * hac em- 17
ptione facta, pecunia soluitur à Cesennia. cuius rei putat iste rationem reddi non posse, quòd ipse tabulas auerterit: se autẽ habere argentarij tabulas, in quibus sibi expensa pecunia lata sit, acceptaque relata: quasi id aliter fieri oportuerit. cùm omnia ita facta essent, quemadmodum nos defendimus, Cesennia fundum possedit, locauitq;, neque ita multò post A. Cæcinæ nupsit, vt in pauca conferam, testamento facto mulier moritur, facit hæredem ex deunce, & semuncia Cæcinam, ex duabus sextulis M. Fulcinium liber.

tum superioris viri, AEbutio sextulam aspergit. hanc sextulam ille mercedem isti esse voluit assiduitatis, & molestiæ, si quam susceperat. iste autem hac sextula se ansam retinere omnium controuersiarum putat.

18 *iam principiò ausus est dicere, non posse hæredem esse Cesenniæ Cæcinam, quòd is deteriore iure esset, quàm ceteri ciues, propter incommodum Volateranorum, calamitatemque ciuilem. itaque homo timidus, imperitusq;, qui neque animi, neque consilij satis haberet, non putauit esse tanti hæreditatem, vt de ciuitate in dubium veniret: concessit credo, AEbutio, quàtum vellet de Cesenniæ bonis, vt haberet: immo, vt viro forti, ac sapienti dignum fuit, ita calumniam, stultitiamq; obtriuit, ac contudit. *in possessione bo-

19 norum cùm esset, & cùm ipse sextulam suam nimium exaggeraret, nomine hæredis arbitrum familiæ erciscundæ postulauit. itaque illis paucis diebus, posteaquam videt nihil se ab A. Cæcina posse litium terrore abradere, homini Romæ in foro denunciat, fundum illum, de quo ante dixi, cuius istum emptorem demonstrauisse mandato Cesenniæ, suum esse, seq; sibi emisse. quid ais? cuius ille fundus est, quem fine vlla controuersia quadriennium (hoc est, ex quo tempore fundus venit, quoad vixit) possedit Cesennia? vsus enim (inquit) eius & fructus fundi testa-

20 minto viri, fuerat Cesenniæ. *cùm hoc nouæ litis genus tam malitiosè intenderet, placuit Cæcinæ de amicorum sententia constituere, quo die in rem præsentem veniretur, & de fundo Cæcina moribus deduceretur. colloquuntur. dies ex vtriusque commodo sumitur. Cæcina cum amicis ad diem venit in cæ-

sellium

stellum Axiam: ex quo loco fundus is, de quo agitur, non longè abest. ibi certior fit à psuribus, homines per multos liberos atque seruos, coegisse, & armásse AEbutium. cùm id partim miraretur, partim non crederet, ecce ipse AEbutius in Castellum venit, denunciat Cæcinæ se armatos habere, abiturum eum non esse, si accessisset. Cæcinæ placuit, & amicis, quoad videretur saluo capite fieri posse, experiri. *tum de 21
castello descendunt, in fundum proficiscuntur. videtur temerè commissum. verũ, vt opinor, hoc fuit causse: tam temerè istum re commissurum, quam verbis nunciabatur, nemo putauit: atque iste ad omnes introitus, quà adire poterat, non modò in eum fundũ, de quo controuersia fuerat, sed etiam in illum proximum, de quo nihil ambigebatur, armatos homines opponit. itaq; primò cùm in antiquum fundũ ingredi vellet, quòd ea proximè accedi poterat: frequentes armati obstiterunt. *quo loco depulsus Cæcina, ta- 22
men, quà potuit, ad eum fundum profectus est, ex quo ex conuentu vim fieri oportebat. eius autem fundi extremam partem oleæ directo ordine definiunt. ad eas cùm accederetur, iste cum omnibus copijs præsto fuit, seruumq; suum nomine Antiochum ad se vocauit, & clara voce imperauit, vt eum, qui illum olearũ ordinẽ intrasset, occideret. homo mea sententia prudentissimus, Cæcina, tamen in hac re plus mihi animi, quàm consilij videtur habuisse: nã cùm & armatorũ multitudinẽ videret, & eam vocẽ AEbatij, quam commemorauit, audisset, tamẽ accessit propiùs, & iam ingredientis intra finem eius loci, quẽ oleæ terminabant, impetũ armati Antiochi, ceterorumq; tela atq; incursus

refu-

refugit. eodem tempore se in fugam conferunt vnà amici, aduocatiq; eius metu perterriti: quemadmodum illorum testem dicere audistis. * his rebus ita gestis P. Dolabella prætor interdixit, vt est consuetudo, DE VI HOMINIBVS ARMATIS, sine vlla exceptione, tantum, vt vnde deiecisset, restitueret. restituisse se dixit, sponsio facta est. hac de sponsione vobis iudicandum est. Maximè fuit optandum Cæcinæ recuperatores, primùm vt controuersia nihil haberet: secundo loco, vt ne cum tam improbo homine: tertiò, vt cum tam stulto haberet. etenim non minùs vos stultitia illius subleuat, quàm ladit improbitas. improbus fuit, quòd homines coëgit, armauit, coactis armatisq; vim fecit. læsit in eo Cæcinam. subleuauit ibidem: nam in eas ipsas res, quas improbissimè fecit, testimonia sumpsit, & eis in caussa testimonijs vtitur.

24 * itaque mihi certum est recuperatores, antequam ad meam defensionem meosq; testes venio, illius vti confessione & testimonijs. quid confitetur? atque ita libenter confitetur, vt non solum fateri, sed etiam profiteri videatur, recuperatores, conuocaui homines, coëgi, armaui: terrori mortis ac periculo capitis, ne accederes, obstiti. ferro, (inquit) ferro (& hoc dicit in iudicio) te reieci atque perterrui. quid? testes quid aiunt? P. Vetilius propinquus AEbutij se AEbutio cum armatis seruis venisse aduocatum. quid præterea? fuisse complures armatos. quid aliud? minatum esse AEbutium Cæcinæ, quid ego de hoc teste dicam, nisi hoc, recuperatores, vt iccirco non minùs ei credatis quòd homo minus idoneus habetur: sed ideo credatis, quòd ex illa parte id dicit, quod illi caussæ maximè est

mè est alienum? * A. Terentius alter testis non mo- 25
dò AEbutium, sed etiã seipsum arguit. in AEbutium
hoc dicit, armatos homines fuisse. de se autem hoc
prædicat, Antiocho AEbutij seruo imperasse, vt in
Cæcinam aduenientem cum ferro inuaderet. quid lo-
quar amplius hoc de nomine? in quem ego dicere,
cùm rogarer à Cæcina, nunquam volui, ne arguere
illum rei capitalis viderer: de eo dubito nunc, quo-
modo aut loquar, aut taceam, cùm ipse de se iuratus
prædicet. * deinde L. Cælius non solùm AEbutium cũ 26
armatis dixit fuisse compluribus, verùm etiam cum
aduocatis perpaucis eò venisse Cæcinam. de hoc ego
teste detrahã, cui æquè atque meo testi vt credatis,
postulo? P. Memmius secutus est, qui suum non par-
uum beneficium commemorauit in amicos Cæcinæ,
quibus sese viam per fratris sui fundum dedisse dixit,
qua effugere possent, cùm essent metu omnes perterri-
ti. huic ego testi gratias agam, quòd & in re miseri-
cordem se præbuit, & in testimonio religiosum. * A. 27
Atilius, & eius filius L. Atilius, & armatos ibi fuisse,
& se suos armatos adduxisse, dixerunt, etiam hoc am-
plius: cùm AEbutius Cæcinæ malum minaretur, ibi
tum Cæcinam postulâsse, vt moribus deductio fieret.
hoc idem P. Rutilius dixit, & eò libentiùs dixit, vt a-
liquo in iudicio eius testimonio creditum putaretur.
duo præterea testes nihil de vi, sed de ipsa emptione
fundi dixerunt, P. Cesennius auctor fundi, non tam
auctoritate graui, quàm corpore, & argentarius Sex.
Clodius, cui nomen est Phormio, nec minùs niger, nec
minùs confidens, quàm ille Terentianus est Phormio,
nihil de vi dixerunt, nihil præterea, quod ad vestrum

iudi-

28 iudicium pertineret. * Decimo verò loco testiũ expẽctatus, & ad extremum reseruatus dixit senator populi Rom. splendor ordinis decus atque ornamentum iudiciorum, exemplar antiquæ religionis, Fidiculanius Falcula: qui cùm ita vehemens accesserit, vt non modo Cæcinam periurio suo læderet, sed etiam mihi videretur irasci: ita eum placidum mollemque reddidi, vt non auderet, sicut meministis, iterum dicere, quoi milia fundus suus abesset ab vrbe: nam cũ dixisset minùs abesse LIII. populus cum risu acclamauit ipsa esse: meminerant enim omnes, quantum
29 in Albiano iudicio accepisset. * in eum quid dicam, nisi id, quod negare non possit? venisse in consilium publicæ quæstionis, cùm eius consilij iudex non esset? & in eo consilio, cùm causam non audisset, & potestas esset ampliandi, dixisse, sibi liquere? dum incognita re iudicare voluisset, maluisse condemnare, quàm absoluere? cùm, si vno minus damnarent, condemnari eius non posset, non ad cognoscendam causam, sed ad explendam damnationem præsto fuisse? vtrum grauius aliquid in quemptam dici potest, quã ad hominem condemnandum, quem nunquam vidisset, neque audisset, adductum pretio esse? an certius quicquam obiici potest, quàm quod is, cui obiici-
30 tur, ne nutu quidem infirmare conatur? * veruntamen is testis (vt facilè intelligeretis eum non adfuisse animo, cùm ab illis caussa ageretur, testesq; dicerent, sed tantisper de aliquo reo cogitasse) cùm omnes ante eum dixissent testes, armatos cum Ebutio fuisse complures: solus dixit, non fuisse. visus est mihi primò veterator intelligere præclarè, quid caussa optaret:

& tam-

& tantummodo errare, quod omnes testes infirmaret, qui ante eum dixissent: cùm subito ecce idem qui solet, suos solos seruos armatos fuisse dixit. quid huic tu homini facias? nónne concedas interdum, vt excusatione summæ stultitiæ, summæ improbitatis odium deprecetur? * vtrum recuperatores his testibus non credidistis, cùm, quid liqueret, non habuistis? at controuersia non erat, quin verum dicerent, an in coacta multitudine, in armis, in telis, in præsenti metu mortis. perspicuo periculo cædis, dubium vobis fuit, an esse vis aliqua videretur, nécne? quibus igitur in rebus vis intelligi potest, si in his non intelligetur? an vero illa defensio vobis præclara visa est? non deieci, sed obstiti: non enim te sum passus in fundum ingredi, sed armatos homines opposui: vt intelligeres, si in fundo pedem posuisses, statim tibi esse pereundum. quid ais? is, qui armis perterritus, fugatus, pulsus est, non videtur esse deiectus? * posteriùs de verbo videbimus: nunc rem ipsam ponamus, quam illi non negant: & eius rei ius, actionemq; quærramus. Est hæc res posita, quæ ab aduersario non negatur: Cæcinam, cùm ad constitutum diem tēpusq; venisset, vt vis ac deductio morib. fieret, pulsum prohibitumq; esse vi coactis hominibus, & armatis. cùm hoc constet, ego homo imperitus iuris, ignarus negotiorum ac litium, hanc puto me habere actionem, vt per interdictū, meum ius teneam, atque iniuriam tuam persequar. fac in hoc errare me, nec vllo modo posse hoc per interdictum id assequi, quod velim: te vti in hac re magistro velo. * quæro, sitné aliqua huius rei actio, an nulla? conuo-

31

32

33

conuocari homines propter possessionis controuersiam non oportet: armari multitudinem iuris retinendi caussa non conuenit: nec iuri quicquam tam inimicum, quàm vis: nec æquitati quicquam tam infestum est, quàm conuocati homines & armati. quod cùm ita sit, resq; eiusmodi sit, vt inprimis à magistratibus animaduertenda esse videatur: iterum quæro, sit ne eius rei aliqua actio, an nulla? nullam esse dices? audire cupio, qui in pace & ocio cùm manum fecerit, copias parârit, multitudinem hominum coëgerit, armarit, instruxerit, homines inermes, qui ad constitutum experiundi iuris gratia venissent, armis, viris, terrore periculoq; mortis repulerit, fugarit, auerterit, hoc dicat. * feci equidem, quæ dicis, omnia, & ea sunt & turbulenta, & temeraria, & periculosa: quid ergo est? impunè feci: nam, quid agas mecum ex iure ciuili, ac prætorio, non habes. itáne verò recuperatores? hoc vos audietis? & apud vos dici patiemini sapiùs? cùm maiores nostri tanta diligentia prudentiaq; fuerint, vt omnia omnium non modò tantarum rerum, sed etiam tenuissimarum iura statuerint, persecutio sint, vt hoc genus vnum vel maximũ prætermitterent, vt si qui me exire domo mea coëgisset armis, haberem actionem: si qui introire prohibuisset, non haberem? nondum de Cæcinæ caussa disputo, nondum de iure possessionis nostræ loquor, tantùm de tua defensione C. Piso queror. * quando ita dicis, & ita constituis: si Cæcina, cùm in fundo esset, inde deiectus esset, tum per hoc interdictũ eum restitui oportuisse: nunc verò deiectum nullo modo esse inde vbi non fuerit, hoc interdicto nihil nos assecutos

34

35

tutos esse: quæro, si te hodie domum tuam redeuntem coacti homines & armati non modò limine tectoq́, adium tuarum, sed primo aditu vestibuloque prohibuerint, quid acturus sis? monet amicus meus L. Calphurnius, vt idem dicas quod ipse antea dixit, iniuriarum. quid ad causſam possessionis? quid ad restituendum eum, quem oportet restitui? quid denique ad ius ciuile? aut actoris, ad notionem atque animaduersionem ages iniuriarum? plus tibi ego largiar. non solùm tgeris verùm etiam condemnaris licet: nunquid magis possidebis? actio enim iniuriarum non ius possessionis assequitur, sed dolorem imminutæ libertatis iudicio pœnaque mitigat. *prætor 36
interea, Piso, tanta de re tacebit? quemadmodum te restituat in ades tuas, non habebit? qui dies totos aut vim fieri vetat, aut restitui factam iubet, qui de fossis, de cloacis, de minimis aquarum itinerumq́, controuersiis interdicit, is repentè obtumescet? in atrocissima re quid faciat, non habebit? & C. Pisone domo tectisque suis prohibito, prohibito inquam per homines coactos, & armatos, prætor, quemadmodum more & exemplo opitulari possit, non habebit? quid enim dicet? aut quid tu tam insigni accepta iniuria postulabis? vnde vi prohibitus sis? nemo vnquam interdixit. nouum est, non dico inusitatum, verùm omnino inauditum. vnde deiectus? quid proficies, cùm ille hoc respondebit tibi, quod tu nunc mihi: armatos se tibi obstitisse, ne in ades accederes: deiici porrò nullo modo potuisse, qui non accesseris? *deiicior 37
ergo, inquis. si quis meorum deiicitur. omnino. iam bene agis: à verbis enim recedis, & æquitate veteris:

nam verba ipsa si sequi volumus, quomodo tu deiceris, cùm seruus tuus deiicitur? vtrùm ita est, vt dicas te deiectum debeo intelligere, etiam si tactus non fueris. nónne? age nunc, si ne quidem tuorum quisquã loco motus erit, atq; omnes in ædibus adseruati ac retenti, tu solus prohibitus, & tuis ædibus vi atque armis perterritus: vtrum hanc actionem habebis, qua nos vsi sumus, an illam quampiam? an omnino nullam? nullam esse actionem dicere in re tam insigni, tamq; atroci, neque prudentiæ neque auctoritatis tuæ est. alia si qua fortè est, quæ nos fugerit, dic quæ sit:
38 cupio discere. * hæc si est, qua nos vsi sumus: te iudice vincamur, necesse est: non enim vereor, ne hoc dicas, in eadem caussa eodem interdicto te oportere restitui, Cæcinam non oportere. etenim cui perspicuum non sit, ad incertum reuocari bona, fortunas, possessiones omnium, si vlla ex parte sententia huius interdicti diminuta, aut infirmata sit? si auctoritate virorum talium, vis armatorum hominum iudicio approbata videatur, in quo iudicio non de armis dubitatum, sed de verbis quæsitum esse dicatur? isné apud vos obtinebit caussam suam, qui se ita defenderit? eieci ego te armatis hominibus, non deieci: vt tantum facinus non in æquitate defensionis, sed in vna litera latuisse videatur? + huiusce rei res statue-
39 tis nullam esse actionem? nulli experiundi, ius constitutũ quòd obstiterit armatis hominibus? quòd multitudine coacta nõ introitu, sed omninò aditu quempiam prohibuerit? quid ergo? hoc EIECI EGO TE, NON DEIECI. quã habet enim vt illa res aliquid aliqua ex parte differre videatur, vtrum pedem cùm intu-

intulero, atq; in possessionē vestigium fecero, tum expellar atq; deiciar: an quum eadem vi atque iisdem armis mihi antè occurratur, ne non modò intrare, verùm etiam aspicere aut aspirare possim? qui hoc ab illo differt? vt ille cogatur restituere, qui ingressū expulerit: ille, qui ingredientē repulerit, non cogatur? *valete per deos immortales, quod ius nobis, quā conditionem vobismetipsis, quam deniq; ciuitati legem constituere velitis. huiusce generis vna est actio, per hoc interdictum, quo nos vti iussimus, constituta. ea si nihil valet, aut si ad hanc rē non pertinet, quid negligentius, aut quid stultius maioribus nostris dici potest, qui aut tantæ rei prætermiserint actionem, aut eam constituerint, quæ nequaquā satis verbis caussam & rationē iuris amplecteretur? periculosum est dissolui hoc interdictū: capitosum est omnibus rem vllā constitui eiusmodi, qua cùm armis gesta sit, rescindi iure non possit: veruntamē est turpissimum illud tantæ stultitiæ prudentissimos homines condemnari, vt vos iudicetis huius rei interdictum, atq; actionē in mentē maioribus nostris non venisse. *queramur, inquit, licet, tamen hoc interdicto AEbutius nō tenetur. quid ita? quia vis Cæcinæ facta non est. dici in hac caussa potest, vbi arma fuerint, vbi coacta hominū multitudo, vbi instructi & certis locis cū ferro homines collocati. vbi minæ, pericula, terrores q; mortis, ibi vim nō fuisse? nemo, inquit, occisus est, neq; saucius. quid ais? cùm de possessionis controuersia, & de priuatorū hominum contentione iuris loquaviur, tu vim negabis esse factā si cades & occisio facta nō erit? ego exercitus maximos sæpè pulsos & fugatos esse dico terrore ipso

impetuq; hostium, sine cuiusquam non modò morte,
42 verùm etiam vulnere. * etenim recuperatoris, non
ea sola vis est, quæ ad corpus nostrum vitamq; per-
uenit, sed etiam multò maiore ea, quæ periculo mor-
tis iniecto, formidine animum perterritum loco sæpè
& certo de statu dimouet: itaq; sauciÿ sæpè homines,
cùm corpore debilitantur, animo tamen non cedunt,
neq; eum relinquunt locum, quē statuerint defende-
re. at alÿ pelluntur, integri, vt non dubium sit, quin
maior adhibita vis ei sit, cuius animus sit perterritus,
43 quàm illi, cuius corpus vulneratum sit. quòd si vi pul-
sos dicimus exercitus esse eos, qui metu ac tenui sæpè
suspicione periculi fugerunt: & si non solùm impulsu
scutorum, neq; conflictu corporum, neq; ictu cominùs,
neq; coniectione telorum, sed sæpè clamore ipso militū,
aut instructione, aspectuq; signorū magnas copias pul-
sas esse & vidimus, & audiuimus: quæ vis in bello ap-
pellatur, ea in otio appellabitur? & quod vehemens in
re militari putatur, id lene in iure ciuili iudicabitur?
& quod exercitus armatos mouet, id aduocationē to-
gatorū nō videbitur mouisse? & vulnus corporis magis
istā vim, quàm terror animi declarabit? & sauciatio
44 quæreretur, cùm fugam factā esse constabit? * tuus, n.
testis hoc dixit, metu perterritis nostris aduocatis, lo-
cum, quà effugerent, demonstrâsse. qui non modò vt
fugerent, sed etiā ipsius fugæ tutam viam quæsierunt,
hic vis adhibita nō videbitur? quid igitur fugiebant?
propter metum quid metuebant? vim videlicet. po-
testis igitur principia negare, cùm extrema cōceditis?
fugisse perterritos confitemini: causam fugæ dicitis
eandem, quam omnes intelligimus, armā, multitudi-
nem

uem hominum, incursionem atq; impetũ armorũ: hæc
vbi cõceduntur esse facta, ibi vis facta negabitur? * at 45
verò hoc quidẽ iam vetus est, & maiorũ exemplo mul-
tis in reb. vsitatum: cùm ad vim faciendã veniretur.
si quos armatos quãuis procul conspexissent, vt statim
testificati discederent, optimè sponsionem facere pos-
sent, ni aduersus edictũ prætoru vis facta esset. itane
vero? scire esse armatos, satis est vt vim factã probes:
in manus eorũ incidere, non est satis? aspectus arma-
torum ad vim probandam valebit, incursus & impe-
tus non valebit? quis abierit, facilius sibi vim factam
probabit, quàm qui effugerit? * at ego dico hoc: si, vt 46
primò in castello Cæcinæ dixit Ebutius, se homines
coëgisse, & armásse, neq; illum si eò accessisset, abitu-
rum statim Cæcina discessisset: dubitare vos non de-
buisse, quin Cæcinæ facta vis esset. si verò simul ac pro-
cul conspexit armatos, recessisset: eò minus dubitare-
tis: omnis enim vis est, quæ periculo aut decedere nos
aliunde cogit, aut prohibet accedere. quòd si aliter
statueritis, videte, ne hoc vos statuatis, qui vnus dis-
cesserit, ei vim non esse factam: ne hoc omnibus in pos-
sessionum controuersiis præscribatis, vt confligendum
sibi & armis decertandum putent: ne, quemadmodũ
in bello, pœna ignauis ab imperatoribus constituitur,
sic in iudicijs deterior causa sit eorum, qui fugerint,
quã qui ad extremum vsq; contenderint. * cũ de iure 47
& legitimis hominum controuersiis loquimur, & in
hu reb. vim nominamus, pertenuis vis intelligi debet.
vidi armatos, quamuis paucos: magna vis est. decessi
vnius hominis telo perterritus: deiectus detrususq; sũ.
hoc si ita statuetis, non modò non erit cur depugnare

quisquam postea possessionis causa velit, sed ne illud quidē, cur repugnare. sin autē vim sine cæde, sine vulneratione, sine sanguine nullam intelligetis, statuetis, homines possessionis cupidiores, quā vitæ, esse oportere.

48 *age verò, de vi te ipsum habebo iudicem Æbuti: respondē. si tibi videtur: in fundum Cæcinæ vtrū noluit tandem, ac non potuit accedere? cùm te obstitisse, & prohibuisse dicis, certè hunc voluisse cōcedis. potes igitur dicere non ei vim fuisse impedimento, cui, cū cuperet, eoq; consilio venisset, per homines coactos non fuit licitū accedere? si n. id, quod maximè voluit, nullo modo potuit: vis profectò quædam obstiterit necesse est: aut tu dic, quamobrem cùm vellet accedere, non accesserit. *

49 iam vim factam negare non potes. deiectus quemadmodum sit, qui non accesserit, id quæritur: dimoueri enim, & depelli de loco necesse est eum, qui dejiciatur. id autē accidere ei, qui potest, qui omnino in eo loco, vnde se deiectum esse dicit, nunquam fuit? qui si fuisset, & ex eo loco, metu permotus fugisset, cū armatos vidisset: dicerēsne esse deiectum? opinor, at tu, qui tā diligenter & tam callidè verbis controuersias, nō æquitate dijudicas, & iura nō vtilitate communi, sed literis exprimis, poterisne dicere deiectū esse eum, qui tactus non erit? quid? detrusum dices? nam eo verbo antea prætores hoc interdicto vti solebant. quid ais? potestne detrudi quisquam, qui non attingitur? nonne, si verbum sequi volumus, hoc intelligamus necesse est, eum detrudi, cui manus afferantur? necesse est inquam. si ad verbum rem volumus adstringere, neminem statu detrusum, qui non adhibita vi, manu demotus, & actus præceps intelligatur. *deiectus verò

qui

qui potest esse quisquam, nisi in inferiorē locum de superiore motu? potest pulsus, fugatus, eiectus deniq; illud verò nullo modo potest, deiectus esse quisquam non modò qui tactus non sit, sed ne æquo quidem, & plano loco. quid ergo? hoc interdictum putamus eorum esse causſa compositum, qui se præcipitatos ex locis superioribus dicerent? eos enim verè possumus dicere esse deiectos. annon, cùm voluntas & consilium, & sententia interdicti intelligatur, impudentiam summā, aut stultitiam singularem putabimus, in verborū errore versari, rem, & causſam & vtilitatem communem nō relinquere solùm, sed etiam prodere? *an hoc 51
dubium est, quin neq; verborum tanta copia sit, non modò in nostra lingua, quæ dicitur esse inops, sed ne in alia quidē vlla, res vt omnes suis certis ac proprijs vocabulis nominentur? neq; verò quicquā opus sit verbis, cū ea res, cuius causſa verba quæsita sint, intelligatur. quæ lex, quod senatusconsultū, quod magistratus edictū, quod fœdus aut pactio, quod (vt ad priuatas res redeam) testamētū, quæ iudicia aut stipulationes, aut pacti & conuenti formula nō insimari, aut conuelli potest, si ad verba rē deflectere velimus, consilium aut eorū, qui scripserunt, & rationē, & auctoritatē relinquamus? *sermo mehercule, & familiaris & quoti- 52
dianus nō cohærebit. si verba inter nos aucupabimur. deniq; imperium domesticum nullum erit, si seruulis hoc nostris concesserimus, vt ad verba nobis obediant, non ad id quod ex verbis intelligi possit, obtemperent. exemplū nunc vti videlicet mihi necesse est harū rerū omnium. non occurrit vnicuiq; vestrûm aliud alijs in omni genere exemplū, quod testimonio sit, non ex ver-

bũ totum pendêre ius, sed verba seruire hominum cõ-
53 silijs, & auctoritatibus? *ornatè & copiosè L. Crassus, homo longe eloquentißimus, paulò antè quàm nos in forum venimus, iudicio centumuirali hanc sententiam defendit: & facilè, cùm contra eum prudentissimus homo Qu. Mutius diceret, probauit omnibus M. Curium, qui hæres institutus esset ita, mortuo Posthumo filio, cum filius non modò non mortuus, sed ne natus quidem esset, hæredem esse oportere? quid? verbũ satis hoc cautũ erat? minimè. quæres igitur valuit? voluntas quæ tacitis nobis intelligi posset, verbis omnino non vteremur. quia nos potest, verba reperta sunt, non quæ impedirent, sed quæ indicarent voluntatem. *lex vsum auctoritate fundi iubet esse bien-
54 nium. at vtimur eodem iure in ædibus, quæ in lege non appellãtur. si via sit immunita, iubet, quà velit, agere iumentũ. potest hoc ex verbis intelligi, licere, si via sit in Brutijs immunita, agere. si velit, iumentum per M. Scauri Tusculanum. actio est in auctorem præsentem his verbis: Quandoquidem te in iure conspicio. hac actione Appius ille cæcus vti non posset, si tam verè homines verba conjectarentur, quã rẽ, cuius caussa verba sunt, nõ considerarent. testamento, si recitatus hæres esset pupillus Cornelius, isq; iam annos XX. habe-
55 ret, vobis interpretib. amitteret hæreditatẽ? *veniunt in mentem mihi permulta, vobis plura certò scio. verum ne nimium multa cõplectamur, atq; ab eo, quod propositum est, longiùs aberret oratio: hoc ipsum interdictum, de quo agitur, consideremus, intelligetis enim in eo ipsi, si in verbis ius constituamus, omnem vtilitatem nos huius interdicti, dum versuti & callidi

lidi volumus esse, amissuros. VNDE TV AVT FAMILIA, AVT PROCVRATOR TVVS. Si me villicus tuus solus deiecisset: non familia deiecisset, vt opinor, sed aliquis de familia: rectè igitur diceres te restituisse? quippe. quid enim facilius est, quã probari ijs, qui latinè sciant, in vno seruulo familiæ nomen nõ valere? si verò ne habeas quidem seruum præter eum, qui me deiecerit: clames videlicet, si habeo familiam, à familia mea fateor te esse deiectũ. neq; dubium est, quin, si ad rem iudicandam verbo ducimur, non re familiam intelligamus, quæ constet ex seruis pluribus, quin vnus homo familia non sit. verbum certè hoc nõ modò postulat, sed etiam cogit. * at verò ratio iuris 56
interdictiq; vis, & prætorum voluntas, & hominum prudentium consilium, & auctoritas respuat hanc defensionẽ, & pro nihilo putet. quid ergo? isti homines latinè non loquuntur? immò verò tantũ loquuntur, quantũ est satis ad intelligendam voluntatẽ: cùm sibi hoc proposuerint, vt siue metu deiecerit, siue tuorum quispiam, siue seruorum, siue amicorum, vt seruos nõ numero distinguant, sed appellẽt vno familiæ nomine.
*de liberis, aut quisquis est, procuratoris nomine ap- 57
pellatur: nõ quo omnes sint aut appellentur procuratores, qui negotij nostri aliquid gerant: sed in hac re, cognita sententia interdicti, verba exquiri omnia noluerunt: nõ n. alia causa est æquitatis in vno seruo, & in pluribus: nõ alia ratio iuris in hoc genere dũtaxat, vtrũ me tuus procurator deiecerit ũ, qui legitimè procurator dicitur omnium rerum eius, qui in Italia nõ sit, absitvé reip. causa, quasi quidã penè dominus, h. e. alieni iuris vicarius: an tuus colonus, aut vicinus aut

cliens, aut libertus, aut quiuis, qui illam vim, deie-
58 ctionemq; tuo rogatu, aut tuo nomine fecerit. *quare
si ad eum restituendum, qui vi deiectus est, eandē vim
habet æquitatis ratio: ea intellecta, certè nihil ad rem
pertinet, quæ verborū vis sit, ac nominum. tam resti-
tues, si tuus me libertus deiecerit, nulli tuo præpositus
negotio, quàm si procurator deiecerit: non quòd omnes
sint procuratores, qui aliquid nostri negotij gerunt:
sed quod in hac re quæri nihil attinet. tam restitues, si
vnus seruulus, quàm si familia deiecerit vniuersa: nō
quòd idē sit seruulus, quod familia: verū quia, nō quib.
verbis quicquid dicatur, quæritur, sed quæ res agatur.
etiam vt tam longiùs à verbo decedamus, ab æquitate
ne tantulum quidem: si tuus seruus nullus fuerit, &
omnes alieni ac mercenarij: tamē & ipsi tuæ familiæ
59 & genere & nomine continebantur. *Perge porrò hoc
idē interdictum sequi. HOMINIB. COACTIS ne-
minem coëgeris, ipsi cōuenerint suā sponte: certè cogit
is, qui congregat homines & conuocat. coacti sunt ij,
qui ab aliquo sunt vnum in locum congregati. si non
modò conuocati nō sunt, sed ne conuenerunt quidem:
sed ij modò fuerunt, qui etiam antea non vis vt fierent,
verùm colendi, aut pascendi causſa, esse in agro cōsue-
uerant: defendes, homines coactos nō fuisse: & verbo
quidem superabis, me ipso iudice, re autē ne consistes
quidē vllo iudice; vim enim multitudinis restituti vo-
luerunt, non solùm conuocatæ multitudinis: sed quia
plerūq; vbi multitudine opus est, homines cogi solent,
ideò de coactis compositū interdictum est, quod etiam
si verbo differre videbitur, re tamen erit vnum, & o-
mnib. in causſis idem valebit, in quib. perspicitur vna

atq; eadem causa æquitatis. * ARMATIS'VE. 60
quid dicemus? armatos. si Latinè loqui volumus, quos
appellare verè possumus? opinor eos, qui scutis, telisq;
parati, ornatiq; sunt. quid igitur? si glebis aut saxis,
aut fustib. aliquem de fundo præcipitè egeris, iussusq;
sis, quem hominib. armatis deiceris, restituere: resti-
tuisse te dices? verba si valent si causæ nō ratione, sed
vocib. ponderantur: me auctore dicito, vinces profec-
tò non fuisse armatos eos, qui saxa iacerent, quæ de
terra ipsi tollerent: non esse arma cespites neq; glebas,
non fuisse armatos eos, qui prætereuntes ramū defrin-
gerent arboris: arma esse suis nominibus alia ad te-
gendum, alia ad nocendum: quæ qui non habuerint,
eos inermes fuisse vinces. * verùm, siquidē erit armo- 61
rum iudicium, tum ista dicito. iuris iudicium, cùm
erit & æquitatis, caue in ista tam frigida, tam ieiuna
calumnia delitescas: non enim reperies quenquā iu-
dicem, aut recuperatorem, qui, tanquam si arma mi-
litis inspiciunda sint, ita probet armatum: sed perin-
de valebit, quasi armatissimi fuerint, si reperientur
ita parati fuisse, vt vim vitæ, aut corpori potuerint
afferre. * atq; vt magis intelligas, quàm verba nihil 62
valeant: si tu solus, aut quisquis vnus cū scuto, cū gladio
impetū in me fecisset, atq; ego ita deiectus essem, au-
derésne dicere interdictum esse de armatis hominib.
hic autem hominem armatum vnum fuisse? nō, opi-
nor, tam impudens esses. atqui vide, ne multò nunc sis
impudentior: nam tum quidē omnes mortales implo-
rare posses, quòd homines in tuo negotio Latinè loqui
obliuiscerentur, * quòd inermes armati iudicarentur,
quòd, cùm interdictū esset de pluribus, cōmissa res esset

ab vno,

63 ab vno, vnus homo plures esse homines iudicaretur: * verùm in his causis non verba veniunt in iudicium, sed res, cuius causa verba hæc in interdictum coniecta sunt, vim, quæ ad caput & ad vitam pertinet, restitui sine vlla exceptione voluerunt. ea fi[t] plerunq; per homines coactos armatosq;. quæ si alio consilio, eodem periculo facta sit, eodem iure esse voluerunt: non enim maior est iniuria, si tua familia, quàm si tuus villicus: non si tui serui, quàm si alieni ac mercenarij: non si tuus procurator, quàm si vicenus, aut libertus tuus: non si coactis hominibus, quàm si voluntarijs, aut etiam assiduis ac domesticis: non si armatis, quàm si inermib. qui vim haberem armatorum ad nocendum: non si pluribus, quàm si vno armato: quib. enim reb. plerunq; vis fit, eiusmodi hæres, appellantur interdicto, si per alias res eadem facta vis est, ea, tametsi verbis interdicti non concludatur, tamen

64 sententia iuris atq; auctoritate retinetur. * venio nunc ad illud tuum: NON DEIECI, si non sui accedere puto te ipsum, Piso, perspicere, quanto ista sit angustior, iniquiorq; defensio, quàm si illa vterere: nõ fuerunt armati, cum fustib. & saxis fuerunt, si me hercule mihi, non copioso homini ad dicendum, optio detur, vtrum malim defendere, non esse deiectum eum, cui vi & armis ingredienti sit occursum: an armatos non fuisse eos qui sine scutis ac sine ferro fuerint: omnino ad probãdum vtramq; rem videam infirmam nugatoriamq; esse: ad dicendum autem, in altera videar mihi aliquid reperire posse, non fuisse armatos eos, qui neq; ferri quicquam, neq; scutum vllum habuerint: hic verò hæream, si mihi defendendum sit,

dendum sit, eum qui pulsus fugatusq; sit, non esse deiectum. * atq; illud in tota defensione tua mihi ma- 65
ximè mirum videbatur, te dicere iuris consultorum auctoritati obtemperari non oportere. quod ego, tametsi non nũc primùm, neq; in hac caussa solum audio, tamen admodum mirabar abs te quamobrem diceretur: nam ceteri tum ad istam orationem decurrunt, cùm se in caussa putant habere, æquum & bonum quod defendant. si contra verbis, & litteris (& vt dici solet) summo iure contenditur: solẽt eiusmodi iniquitati boni & æqui nomen dignitatemq; opponere, tum illud, quod dicitur, SVMMO IVRE, rrident: tum aucupia verborum & literarum tẽdiculas in inuidiam vocant: tum vociferantur, ex æquo & bono, non ex callido versutoq; iure, rem iudicari oportere: scriptum sequi, calumniatoris esse: boni iudicis, voluntatẽ scriptoris, auctoritatẽq; defendere. * in 66
ista verò caussa, cũ tu sis in qui te verbo, literaq; defendas, cũ tuæ sint eæ partes: vnde deiectus es? an inde, quò prohibitus es accedere? eiectus es, non deiectus. cùm tua sit hæc oratio, fateor me homines coëgisse, fateor, armasse, fateor, tibi mortem esse minitatum, fateor hoc interdicto prætoris vindicari, si voluntas & æquitas valeat. sed ego inuenio in interdicto verbum vnum, vbi delitescam. non deieci te ex eo loco, quem in locum prohibui ne venires. in ista defensione accusas eos, qui consuluntur, quod æquitatis censeant rationem, non verbi haberi oportere? * & hoc loco Scæuolam dixi- 67
sti caussam apud centumuiros non tenuisse: quẽ ego antea commemorauí, cum idem faceret, quod tu nunc (tametsi ille in aliqua caussa faciebat, tu in nulla fa-

cis)

cù) tamen probâsse nemini quod dixerit, quia verbũ oppugnare æquitatẽ videbatur. cùm id miror, te hoc in hac re alieno tempore, & contra quàm ista caussa postulasset, defendisse: tum illud vulgò in iudicijs, & nonnunquã ab ingeniosis hominibus defendi mihi mirum videri solet. nec iurisconsulto concedi: nec ius ciuile in caussis semper valere oportere. * nam qui hoc
68 disputant, si id dicunt, non rectè aliquid statuere eos, qui consulantur, non hoc debent dicere, iuri ciuili, sed hominibus stultis obtemperari non oportere. sin illos rectè respondere concedunt, & aliter iudicari dicunt oportere, malè iudicari oportere dicunt: neq; .n. fieri potest, aut aliud iudicari de iure, aliud responderi oporteat, nec vt quisquam iuris numeretur peritus, qui
69 id statuat esse ius, quod non oporteat iudicari. * at est aliquando contra iudicatum, primùm vtrum recte, an perperam? si rectè, id fuit ius, quod iudicatum est: sin aliter, non dubium est, vtrum iudices, an iurisconsulti vituperandi sint. Deinde, si de iure vario quippiam iudicatũ est, non potiùs cõtra iurisconsultos statuunt, si aliter pronunciatũ est ac Mutio placuit, quã ex eorum auctoritate, sic vt Manilius statuebat sic est iudicatum. etenim ipse Crassus non ita caussam apud Centumuiros egit, vt contra iurisconsultos diceret, sed vt hoc doceret, illud, quod Scæuola defendebat, nõ esse iuris: & in eam rem non solùm rationes afferret, sed etiam Q. Mutio socerò suo, multisq; peritissimis ho-
70 minibus auctoribus vteretur. * nam qui ius ciuile contemnendum putat, is vincula refellit non modò iudiciorum, sed etiam vtilitatis, vitæq; cõmunis. qui autem interpretes iuris vituperant, si imperitos iuris esse

d. cuis

dicit, de hominibus, non de iure ciuili detrahit: sin peritis non putat esse obtemperandum, non homines laedit, sed leges ac iura labefactat. quod vobis venire in mentē profectò necesse est: nihil enim in ciuitate tam diligenter, quam ius ciuile, retinendum: etenim hoc sublato, nihil est: quare exploratum cuiquam possit esse, quid suum, aut quid alienum sit: nihil est, quod æquabile inter omnes, atq; vnum omnibus esse possit.
* itaq; in ceteris controuersijs atq; iudicijs. cùm quæritur, aliquid factum, nécne sit, verùm an falsum proferatur, & fictus testis subornari solet, & interponi falsæ tabulæ, nonnunquā honesto ac probabili nomine bono viro iudici error obiici, improbo facultas dari, vt cùm sciens peràm iudicarit, testimonium aut tabulas secutus esse videatur, in iure nihil est eiusmodi recuperatores, nō tabulæ falsæ, nō testis improbus. deniq; nimia ista, quæ dominatur in ciuitate, potentia, in hoc solo genere quiescit: qui agat, quomodo aggrediatur iudicem, quà deniq; digitum perferat, non habet. * illud enim potest dici iudici ab aliquo non tàm verecundo homine, quàm gratioso: iudica hoc factum esse, aut nunquam esse factum, vel cogitatum. crede huic testi: has comprobat tabulas, hoc non potest. cui filius agnatus sit, eius testamentū nō esse ruptum, iudica: quod mulier sine tutore auctore promiserit, deberi. non est aditus ad huiusmodi res neque potentiæ cuiusquam, neque gratiæ. denique quo maius hoc sanctiusque videatur, ne pretio quidem corrumpi iudex in eiusmodi causa potest. * iste vester testis, qui ausus est dicere, feciſſe videri eum, de quo, ne cuius rei arguatur, quidem scire potuisset, ipse

71

72

73

ipse nunquam auderet iudicare, deberi viro dotem, quam mulier nullo auctore dixisset. ô rem præclarã, vobisq; ob hoc retinendam recuperatores. quod enim est ius ciuile? quod neq; inflecti gratia, neq; perfringi potentia, neq; adulterari pecunia possit. quod si non modò oppressum, sed etiam desertum: aut negligentius adseruatum erit. nihil est, quod quisquam sese habere certum, aut à patre accepturum, aut relicturum
74 literis arbitretur.* quid enim refert, ades, aut fundum relictum à patre, aut aliqua ratione habere bene partum. si incertũ sit, quæ tua communi iure mãcipij sint, ea posis ne retinere? si parum sit communitum ius? si ciuili ac publica lege contra alicuius gratiam teneri potest? quid inquam prodest fundum habere, si quæ decentissimè descripta à maiorib. iura finium, possessionum, aquarum, itinerumq; sunt, hæc perturbari aliqua ratione, commutarique possunt? mihi credite, maior hæreditas venit vnicuiq; nostrum in ijsdem bonis à iure & à legib. quam ab ijs, à quibus illa ipsa bona relicta sunt. nam vt perueniat ad me fundus, testamento alicuius fieri potest: vt retineam quod meum factum sit, sine iure ciuili non potest. fundus à patre relinqui potest: at vsucapio fũdi, h. e. finis solicitudinis, ac periculi litium, non à patre relinquitur, sed à legibus. aquæ ductus, haustus, iter, actus, à patre, sed tanta auctoritas harum rerum omnium à
75 iure ciuili sumitur.* quapropter non minus diligenter ea, quæ à maiorib. accepistis, publica patrimonia iuris, quàm priuata rei vestræ retinere debetis: non solùm, quod hæc iure ciuili septa sunt: sed etiam, quod patrimonium vnius incommodo diminuitur, ius amitti

mitti non potest sine magno incommodo ciuitatis. in hac ipsa caussa recuperatores si hoc nos non obtinebimus, vt armatis hominibus deiectum esse eum, quem vi armatis hominib. pulsum fugatumq; esse constet: Cæcina rem non amittet, quam ipsam animo forti, si tempus ita ferret, amitteret: in possessionem in præsentia nõ restituetur, nihil amplius * populi R. caussa, 76
ciuitatis ius, bona, fortunæ, possessionesq; in dubium, incertumq; reuocabuntur: vestra auctoritate hoc cõstituetur, hoc præscribetur: qui cùm tu post hac de possessione contendes, eum si ingressum modò deieceris, in prædium restituas oportebit; sin autem ingredienti, eum armata multitudine obuius fueris; & ita venientem repuleris, fugaris, auerteris, non restitues: tum statueritis vim in cæde solùm, non in animo & libidine: nisi cruor appareat, vim non esse factam: iniuriam tantùm ei qui prohibitus sit: nisi ex eo loco, vbi vestigium impresserit, deiici neminem posse. * Iuris i- 77
gitur retinere sententiam, & æquitatem plurimum valere oportere, an verbo ac litera ius omne torqueri, vos statuite recuperatores, virũ vtilius esse videatur. hoc loco per commodè accidit, quòd non adest is, qui paulò ante affuit, & adesse nobis frequenter in hac caussa solet, vir ornatissimus C. Aquilius: nam ipso præsente, de virtute eius & prudentia timidiùs dicerem, quod & ipse pudore quodam afficeretur ex sua laude, & me similis ratio pudoris à præsentis laude tardaret. cuius auctoritati dictum est ab illa caussa concedi nimium non oportere. vereor, de tali viro plus dicam, quàm vos aut sentiatis, aut apud nos commemorari velitis. * quapropter hoc dicam, nunquam eius 78

 auctо-

auctoritatem nimiùm valere, cuius prudentiam populus R. in cauendo, non in decipiendo perspexerit: qui iuris ciuilis rationem nunquam ab æquitate seiunxerit: qui tot annos ingenium, laborem, fidem suam populo R. promptam, expositamq; præbuerit: qui ita iustus & bonus vir est, vt natura, non disciplina consultus esse videatur, ita peritus, ac prudens, vt ex iure ciuili non scientia solùm quædam, verùm etiam bonitas nata videatur: cuius tantum est ingenium, ita prōpta fides, vt quicquid inde haurias, pu-
79 rū, liquidumq; te hausisse sentias. * quare permagnā initiù à nobis gratiam: cùm eum auctorem nostræ defensionis esse dicitis. illud autē miror, cur vos aliquid contra me sentire dicatis, cùm eum auctorem vos pro me appelletis, vestrū nominetis: veruntamen quid ait iste vester auctor? omnibus quicquid verbis actū pronunciatumq; sit, spectari conuenit. ego ex isto genere consultorum possum nominare non neminem, vt opinor istum ipsum, quo vos auctore rem istam agere, & defensionem causæ constituere dicitis: qui cùm istam disputationem mecum ingressus esset, nō posse probari quenquam esse deiectum, nisi ex eo loco, in quo fuisset, rem, & sententiam interdicti mecum facere fatebatur, verbo me excludi dicebat: à verbo autē posse recedi
80 nō arbitrabatur. * cùm exemplis vterer multis, etiam illa me tuerer æquitate, ab verbo, & ab scripto plurimùm sæpè in rebus æqui bonique rationem esse seiunctā, semperq; id valuisse plurimum, quod in se auctoritatis habuisset, æquitatis plurimum: consulatus est me, & ostendit, in hac ipsa causa nihil esse quod laborarē: nam verba ipsa sponsionis facere mecum, si vellem di-

ligenter

ligenter attenderes. quónam inquam modo? quia certè, inquit, deiectus est Cæcina vi, hominibus armatis aliquo ex loco: si non ex eo loco, quò in locum venire voluit, at ex eo certè, vnde fugit. quid tum? prætor, inquit, interdixit, vt, vnde deiectus esset, eò restitueretur, hoc est, quicunque in locus esset, vnde deiectus est. AEbutius autem, qui fatetur aliquo ex loco deiectum esse Cæcinã, ũ, quo modo se restituisse dixit, necesse est malè fecerit sponsionem. * quid est Piso? placet tibi 81
pugnare verbũ? placet causam iuris, & æquitatis, & nõ nostræ possessionis, sed omninò possessionũ omnium constituere in verbo? ego quod mihi videretur, quod à maioribus factitatum, quod horum auctoritate, quibus iudicandum est, dignum esset, ostendi, id verum, id æquum, id vtile omnibus esse: spectari, quo consilio & quæ sententia, non quibus quidq; verbis esset actum. eu me ad verbũ vocas? non antè venio, quã recusaro. nego oportere, nego obtineri posse, nego vllam rem esse, quæ aut cõprehendi satis, aut caueri, aut excipi possit, si aut præterito aliquo verbo, aut ambiguè posito, sententia & re cognita, nõ id quod intelligitur, sed id quod dicitur, valebit. * quoniam satis recusaui, venio iam 82
quo vocas, quæro abste, simne deiectus, non de Fulviano fundo, (neq; enim prætor, si ex eo fundo essem deiectus, ita me restitui iussit, sed eò, vnde deiectus esse) sum ex proximo vicini fundo deiectus, quà adibã ad istum fundum: sum de via, sum certè alicunde, siue de priuato, siue de publico: eò restitui sũ iussus, restituisse te dixisti; nego me ex edicto prætoris restitutum esse. quid ad hæc dicimus? aut tuo, quẽadmodũ dicitur, gladio, aut nostro, defensio tua conficianur necesse est.

83 * si ad interdicti sententiam confugis, & de quo fundo actum sit tum, cùm AEburius restituere iubebatur, id quærendum esse dicis, neque æquitatem rei verbi laqueo capi putas oportere, in meis castris, præsidio q3 versaris: mea est ista defensio: ego hoc vociferor, ego omnes homines deosque testor, cùm maiores vim armatam nulla iuris defensione texerint, non vestigium eius, qui deiectus sit, sed factum illius, qui deiecerit, in iudicium venire: deiectum esse, qui fugatus sit, vim
84 esse factam, cui periculum mortis sit iniectum, * Istum locum fugis, & reformidas? & me ex hoc, vt ita dicam, campo æquitatis ad istas verborum angustias, & ad omnes literarum angulos reuocas? in ijs ipsis intercludere insidijs, quas mihi conaris opponere. Non deieci, sed eieci. Peracutum hoc tibi videtur: hic est mucro defensionis tuæ: in eum ipsum causa tua incurrat, necesse est. ego enim tibi refero. Si non sum ex eo loco deiectus, quò prohibitus sum accedere: at ex eo sum deiectus, quò accessi, vnde fugi si prætor non distinxit locum, quo me restitui iuberet, & restitui iussit: non sum ex edicto restitutus. * Velim recuperatores, hoc totum si vobis versutius, quam mea consuetudo defendendi fert, videbitur, sic existimetis: primùm, alium num me excogitásse. deinde, huius rationis non modò non inuentorem, sed ne probatorem quidem esse me: idq3 me non ad meam defensionem attulisse, sed illorum defensioni retulisse: me pro meo posse iure dicere: neque in hac re, quam ego protuli, quæri oportere, quibus verbis prætor interdixerit, sed de quo loco fit actum, cùm interdixit, neque in vi armatorum spectari oportere, in quo loco sit facta vis,

verùm

verùm sitné facta: te verò nullo modo posse defendere, in qua re tu vela, verba spectari oportere, in qua re nolu non oportere. * verumtamen ecquid mihi respõ- 86
detur ad aliud. quod antea dixi non solùm re & sententia, sed verbis quoq; hoc interdictum ita esse compositum, vt nihil commutandum videretur? attendite diligenter quæso recuperatores: est enim vestri ingenij, non meam, sed maiorum prudentiam cognoscere: non enim sum id dicturus, quòd ego inuenerim, sed quod illos non fugerit. cùm de vi interdicitur, duo genera causarum esse intelligebant, ad quæ interdictũ pertineret: vnum, si qui ex eo loco, in quo esset; alterum, si ab eo loco, quò veniret, vi deiectus esset, & horum vtrumque neque præterea quicquam potest accipere recuperatores. * id adeò, si placet, considerate, si 87
qui meam familiam de meo fundo deiecerit, ex eo me loco deiecerit, si qui mihi præsto fuerit cũ armatis hominibus extra meum fundum, & me introire prohibuerit, non ex eo, sed ab eo loco me deiecerit. ad hæc duo genera rerum, vnum verbum, quod satis declararet vtraque res, inuenerunt, vt siue ex fundo, siue à fundo deiectus essem, vno atq; eodem interdicto restituerer. VNDE TV. hoc verbum, VNDE, vtrunque declarat, & ex quo loco, & à quo loco. vnde deiectus est Cæcina? ex vrbe. vnde deiectus Carbo? ab vrbe. vnde deiecti Galli? à Capitolio. vnde qui cum Gracho fuerunt? ex Capitolio. * videtis igitur hoc v- 88
no verbo significari res duas, & ex quo, & à quo loco, cùm autẽ eò restitui iubet, ita iubet, vt, si Galli à maioribus nostris postularent, vt eò restituerentur, vnde deiecti essent, & aliqua vi hoc assequi possent: nõ opi-

vor, eos in cuniculum, quà agressi erant, sed in Capitolium restitui oportere. hoc enim intelligitur. VNDE TV DEIECISTI: siue ex quo loco, siue à quo loco EO RESTITVAS. hoc iam simplex est, in eum locum restituas: siue ex hoc loco deiecisti, restitue in hunc locum: siue ab hoc loco, restitue in eum locum, non ex quo, sed à quo deiectus. vt si qui ex alto, cùm ad patriam accessisset, tempestate subitò reiectus optaret, vt vnde esset deiectus, eò restitueretur: hoc, opinor, optaret, vt à quo loco depulsus esset, in eum se fortuna restitueret, non in salum, sed in ipsam vrbẽ, quã petebat: sic (quoniam vim verborum necessariò similitudinem rerum aucupamur) qui postulat, vt à quo
98 loco deiectus est, eò restituatur. *cum verba nos eò ducunt, tum res ipsa hoc sentire, atque intelligere cogit, etenim Piso (redeo nunc ad illa principia defensionis meæ) si quis te ex ædibus tuis vi hominibus armatis deiecerit, quid ages? opinor, hoc interdicto, quo nos vsi sumus, persequere. quidẽ si qui iam de foro redeũtem armatis hominibus domum tuam te introire prohibuerit, quid ages? vtere eodẽ interdicto. cùm igitur prætor interdixerit, vnde deiectus es, vt eò restituaris, tu hoc idem, quod ego dico, & quod perspicuum est, interpretabere: cùm illud verbum vnde, in vtranque rẽ valeat, eoq; tu restitui sis iussus, tam te in ædes tuas restitui oportere si è vestibulo, quam si ex interiore ædium parte deiectus sis. * vt verò iam, recuperatores,
90 nulla dubitatio sit, siue rem siue verba spectare vultis, quin secundum nos iudicetis: exoritur hic, iam obruta rebus omnibus & perdita, illa defensio, eum deijci posse, qui tum possideat: qui non possideat,

nullo

nullo modo posse. itaq;, si ego sim à tuis ædibus deiectus, restitui non oportere: si ipse sis, oportere. numera, quam multa in ista defensione falsa sint, Piso. Ac primùm illud attende, te iam ex illa ratione esse depulsum, quod negabas quenquam deiici posse, nisi qui in eo loco esset: nunc iam posse concedis: eum, qui non possideat, negas deiici posse. *cur ergo aut in illud quo- 91
tidianum interdictũ, VNDE ILLE ME VI DEIECIT, additur, cùm ego possiderem, si deiici nemo potest, qui non possidet: aut in hoc interdictum, DE HOMINIBVS ARMATIS, non additur, si oportet quæri, possederit, nécne? negas deiici nisi qui possideat. ostendo, si sine armatis, coactisve hominibus deiectus quisquã sit, eum, qui fateatur se deiecisse, vincere sponsionem, si ostendat eum non possedisse. negas deiici nisi qui possideat. ostendo, ex hoc interdicto DE ARMATIS HOMINIBVS, qui possit ostendere non possedisse, eum, qui deiectus sit, condemnari tamẽ sponsionis necesse esse, si fateatur esse deiectum. *dupli- 92
citer homines deiiciuntur: aut sine coactis armatisvé hominibus, aut per eiusmodi rationẽ ac vim. ad duas dissimiles res duo deuincta interdicta sunt, in illa vi quotidiana non satis est posse docere se deiectum, nisi ostendere possit, cùm possideret, tũ deiectum. nec id quidẽ satis est, nisi docet ita se possedisse, vt nec vi, nec clã, nec precariò possederit. itaq; is, qui se restituisse dicit, magna voce sæpè confiteri solet, se vi deiecisse: verùm illud addit, non possidebat: vel etiam, cùm hoc ipsum concessit, vincit tamen sponsionem si planum facit, ab se illum aut vi, aut clàm, aut precariò possedisse. *videtúnc, quot defensionibus eum, qui sine armis ac 93

multitudine vim fecerit, vti posse maiores voluerunt? hunc verò qui ab iure, officio, bonis moribus ad ferrum, ad arma, ad cædem confugerit, nudum in caussa destitutumq́, videtis: vt, qui armatus de possessione contendisset, inermis planè de sponsione certaret. ecquid interest Piso inter hæc interdicta? ecquid interest, vtrum hoc additum, cùm A. Cæcina possederit, néne? ecquid te ratio iuris, ecquid interdictorum dissimilitudo, ecquid auctoritas maiorum commouet? si esset additum, de eo quæri oporteret. additum
94 non est, tamen oportebit? * atque ego in hoc Cæcinã non defendo: possedit enim Cæcina recuperatores: & id tametsi extra caussam est, percurram tamen breui, vt non minus hominem ipsum, quàm ius commune defensum velitis. Cæsenniam possedisse (propter vsum fructum) non negas, qui colonus habuit conductum de Cæsennia fundum, cùm idem ex eadem conductione fuerit in fundo, dubium est, quin, si Cæsennia tum possidebat, cùm erat colonus in fundo, post eius mortem hæres eodem iure possederit? deinde, ipse Cæcina, cùm circuiret prædia, venit in istum fundũ, rati-
95 ones à colono accepit, sunt in eam rem testimonia. * postea cur Aebuti de isto potius fundo, quàm de alio, si quem habes, Cæcina denunciabas, si Cæcina nõ possidebat? ipse porrò Cæcina cur se moribus deduci volebat, idq́, tibi de amicorum etiam de ipsius C. Aquilij sententia respondebat? At enim Sylla legem tulit. vt nihil de illo tempore, nihil de calamitate reipubl. quærar. hoc tibi spondeo, adscripsisse eundem Syllam in eandem legem, si quid ius non esset rogari, eius ea lege nihilum rogatum. quid est, quod rogari ius non
fit?

sit? quod populus iubere, aut vetare non possit? vt ne longius abeam, declarat ista ascriptio esse aliquid: nam nisi esset, hoc in omnibus legibus non adscriberetur. * sed quaero abs te, putesne, si populus tulerit me 96
tuum, aut item te meum seruum esse, id iustum ratũ atq; firmum futurum? perspicis hoc nihil esse. vt in ceteris, * quæ regaui, primum illud concedis, nõ quicquid populus tulerit, ratũ esse oportere, deinde nihil rationis affers, quamobrem si libertas adimi nullo modo possit, ciuitas possit: nam & eodem modo de vtraque re traditum nobis est. & si semel ciuitas adimi potest, retineri libertas non potest. quî enim potest iure Quiritum liber esse, is, qui in numero Quiritum non est? * atque ego hanc adolescẽtulus causſam cùm 97
agerem cõtra hominem disertissimũ nostræ ciuitatis Cottam, probaui. cùm Arretina mulieris libertatem defenderem & Cotta decemuiris religione impedisset, nõ esse sacramẽtum nostrum iustum iudicari, quòd Arretinis adempta ciuitas esset: & ego vehementius contendissem, ciuitatem adimi non potuisse: Decemuiri prima actione non iudicauerunt, postea requisita & deliberata, sacramentum nostrum iustũ iudicauerunt. atque hoc & contradicente Cotta, & Sylla viuo iudicatum est. iam verò in ceteris vt omnes, qui in eadem causa sunt, & lege agant: & suum ius persequantur, & omnes iure ciuili sine cuiusquam aut iudicis aut periti hominis, aut imperiti dubitatione vtantur, quid ego commemorem? dubium nemini vspiam est. * certè quæri hoc solere me non præ- 98
teriit (vt ex meis ea, quæ tibi in mentem non veniunt, audias) quemadmodum, si ciuitas adimi non

possit

possit, in colonias Latinas sæpe nostri ciues profecti sint, aut sua voluntate, aut legis mulcta profecti sunt: quã mulctam si sufferre voluissent, tamen manere in ciuitate potuissent. quid? quem pater patratus dedidit, aut suus pater populúsve vendidit, quo is iure amittet ciuitatem? vt religione ciuitas soluatur, ciuis R. traditur: qui cùm est acceptus, est eorum, quibus est deditus. si non accipiunt (vt Mancinum Numantini) retinet integram causam, & ius ciuitatis, si pater vendidit, eum, quem in suam potestatem susceperat, ex
99 potestate dimittit.* iam populus cùm eum vendidit, qui miles factus non est, non adimit ei libertatem, sed iudicat non esse eum liberum, qui, vt liber sit, adire periculum noluit. cùm autem incensum vendit, hoc iudicat, cùm ij, qui in seruitute iusta fuerint, censu liberentur, eum, qui, cùm liber esset, censeri noluerit, ipsum sibi libertatem abiudicasse. quòd si maximè ijsce rebus adimi libertas aut ciuitas potest, non intelligunt, qui hæc commemorãt, si per has rationes adimi maiores posse voluerunt, alio modo noluisse? nam vt hæc ex iure ciuili protulerunt, sic asserant velim, quibus lege aut Romana ciuitas, aut libertas erepta
100 sit.* nam quod ad exilium attinet, perspicuè intelligi potest quale sit: exilium enim non supplicium est, sed perfugium portusq; supplicij: nam qui volunt pœnam aliquam subterfugere, aut calamitatẽ, eò solum vertunt, hoc est, sedem ac locũ mutant. itaq; nulla in lege nostra reperietur, vt apud ceteras ciuitates, maleficium vllum exilio esse mulctatum, sed cùm homines vincula, neces, ignominiasq; vitant, quæ sunt legibus constitutæ, confugiunt quasi ad aram in exi-

lium

lium: qui si in ciuitate legis vim subire vellent, non prius ciuitatem, quàm vitam amitterent, quia nolunt, non admittur hu ciuitas, sed ab his relinquitur, atque deponitur. nam cùm ex nostro iure duarum ciuitatum nemo esse possit, tum amittitur hæc ciuitas. denique, cùm is, qui profugit, receptus est in exilium, hoc est, in aliam ciuitatem. * Non me præterit, recu- 101
peratores, tametsi de hoc iure multa prætereo, tamen me longius prolapsum esse, quàm ratio vestri iudicij postularit: verùm id feci, non quòd in hac causa hanc defensionem desiderare arbitrarer, sed vt omnes intelligerent, nec ademptam cuiquam ciuitatem esse, nec adimi posse. hoc cùm eos scire volui, quibus Sylla voluit iniuriam facere, tum omnes ceteros nouos, veteresq; ciues. neque enim ratio afferri potest, cur, si cuiquam nouo ciui potuerit adimi ciuitas, non omnibus antiquissimis ciuibus possit. * nam ad hanc 102
quidem causam nihil hoc pertinuisse, primùm ex eo intelligi potest, quòd vos ea de re iudicare non debetis: deinde, quòd Sylla ipse ita tulit de ciuitate, vt non sustulerit horum nexa atque hæreditates: iubet enim eodem iure esse, quo fuerunt Arimimenses: quos quis ignorat duodecim coloniarum fuisse, & à populo Roman. hæreditates capere potuisse? quòd si adimi ciuitas A. Cæcinæ lege potuisset, magis illam rationem tamen omnes boni quærerenus, quem admodum spectatissimum, prudentissimumque hominem, summo consilio, summa virtute, summa auctoritate domestica præditum, leuatum iniuria, ciuem retinere possemus, quàm vti nunc, cùm de iure ciuitatis nihil potuerit disperdere, quisquam exstet, nisi tui

Sexte

Sexte similis & stultitia, & impudentia, qui huic ci-
103 uitatem ademptam esse dicat. * qui quoniam recupe-
ratores suum ius non deseruit, neq; quicquã illius au-
daciæ, petulantiæq; concessit. de relinquo iam com-
munem caussam, populiq; Rom. ius in vestra fide ac
religione depono. ius homo ita se probatũ nobis vestriq;
similibus semper voluit, vt id non minus in hac caussa laborarit, nec contenderit aliud, quàm ne ius suum
dissolutè relinquere videretur, nec minus vereretur,
nec contemnere AEbutium, quàm ne ab eo cõtemptus
104 esse existimaretur. * quapropter si quid extra iudi-
cium est, quod homini tribuendum sit, habetis homi-
nem singulari pudore, virtute cognita, & spectata fi-
de, amplissimum Etruriæ totius, in vtraq; fortuna co-
gnitum multa signis & virtutis, & humanitatis. si
quid in contraria parte in homine offendendũ sit, ha-
bet eum, vt nihil dicam amplius, qui se homines coëgisse fateatur. sin hominibus remotis de caussa quari-
tis, cùm iudicium de vi sit, is qui arguitur, vim se ho-
minibus armatis fecisse fateatur: verbo se, non æqui-
tate defendere conetur. id quoque ei verbum ipsum
ereptum esse videatis: auctoritatem sapientissimorũ
hominum facere nobiscum in iudicium non venire,
vtrum Cæcina possederit, nécne: tamen doceri posse-
disse: multo etiam minus quari, A. Cæcinæ fundus
sit, nécne: me tamen id ipsum docuisse, fundum esse
Cæcinæ: cùm hæc ita sint, statuite, quid vos tempora
reipub. de armatis hominibus, quid illius confessio,
de vi, quid nostra decisio de æquitate, quid ra-
tio interdicti de iure admoneant,
vt iudicetis.

PARTIS PRIMÆ FINIS.

HOF-BIBLIOTHEK CARLSRUHE

impudentia, qui hoc i-
. qua quum exp-
nat, quis qui ideo ex-
. deridemus eam im-
. eam in reprehen-
probatū noluerūt
eam meam in hac
illud, quàm me iudicem
mes mihi metus verentur,
eam me ab eo cōtempn
si quid extra iudi-
um sit, habetis bonis
gnata, & spectata fi-
as vero, fortuna co-
, & humanitas. si
mina offendendis sit, la
, quis se hominibus in-
mnia de causa quæri-
is arguitur, eam se bo-
: verbo se, non actu
quoque ex verbo ipsis
rum. sequentibus
in malorum non eam,
dicam: tamen boni pos-
quæri, A. Cæcina simu
sum docuisse, simulem ip
sanare, quid remoto
ibus, quid illum impedi
sis de agitur, qui a
mare animum,
dicata.

IMÆ FINIS

Δ H

ΘENOY

PHTOPO

DEMO

ORATIO

THIA

Colon

In Officina

H

ANN

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg



Baden-Württemberg
BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK